
3 1761 07833935 5

THESAURUS RESOLUTIONUM SAC. CONGREGATIONIS CONCILII

Quæ conſentaneè ad Tridentinorum PP. Decreta aliaſque Canonici Juris Sanctiones

MUNUS

SECRETARII EJUSDEM SAC. CONGREG.

OBEUNTE

R.P.D. JO. FRANCISCO FALZACAPPA

Prodierunt in Causis sub anno 1817.

PROPOSITIS

Epiſcopis, eorumque Vicariis, Cauſarum Patronis, ac aliis in Eccleſiaſtico Foro verſantibus apprimè utilis, ac neceſſarius.


TOMUS LXXVII.

TRIPLICI INDICE LOCUPLETATUS.



ROMÆ MDCCCXVIII.

Typis Vincentii Poggioli Rev. Cam. Apost. Typographi



INDEX
ALPHABETICUS CAUSARUM
Quæ in Sac. Congregatione Concilii propositæ fuerunt anno 1817. per Diœceses disposituss.

A

B

C

F

J

L

M

N

P

R

S

T

V

F I N I S.

Die Sabathi 25. Januarii 1817. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilii, in qua præter alia proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

FERRARIEN DISMEMBRATIONIS

An, et quomodo sit locus dismembrationi Incolarum di Pavoara a Parecia di Boara in casu ec.

Sess. 21. cap. 4. De Reform.

Negative, et Archiepiscopus curet reaedificationem Pontis

CAMERINEN AEDIFICATIONIS ECCLESIAE

An, et quomodo sit providendum in casu ec.

Sess. 21. cap. 3. De Reform.

rovisum per Rescriptum SSmi diei 12. Januarii 1808.

PA-

Sess. 14. *cap.* 5. *Ee Doctrina Matrimonii*

PANORMITANA MATRIMONII. Inauspicatum matrimonium inter Marchionissam Eleonoram Galletti Colonna ex Principibns Soriae, et Gasparem Aprile Primogeuitum familae Cartajegironensis ex Baronibus Cimiae, praemissis nuptialibus tabulis *die* 2. *Julii anni* 1802., in faciem Ecclesiae *die* 13. *sequentis Septembris* contractum est, et celebratum ad fores Conservatorii Divinae Providentiae (quod Panormi audit *di Suor Vincenza*) in quo Eleonora utroque orbata parente plures ante annos sese receperat, ibique postea consentiente viro mansit, ut ipse conquista, qua carebat, pecūnia nuptiarum sumptus parare posset. Sed statim inito MatrimonioConjugum benevolentia frigescere coepit, inde dissidia, et injuriae, quod cum neque propinquorum officia, neque Regia authoritas componere posset, eo res pervenit, ut Eleonora anno 1803. imploraverit a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO dispensationem super matrimonio rato, et non *consumato*, cujus preces delegatae fuere *Congregationi Particulari* (quemadmodum Eleonora postulaverat) EE., et RR. DD. S. R. E. Cardinalium *Carandini*, *Castiglioni*, *Erskine* ut consuleret Santitati suae, num substiterent canonicae causae dispensandi *servata forma Const.tuionis Benedictinae.* Commissa hinc est confectio Processus Archiepiscopo Panormitano *super non consumatione*, *et causis dispensationis*, *servata tamen in omnibus forma Constitutionis* S. *M. Benedicti XIV. Dei Miseratione*.

Non aute, quam anno 1807. absolutus est Processus ab Emo Archiepis., dataeque sunt Litterae *Informationis*, in quibus haec notatu digna habentur: compilationem Processus mandante Gubernio factam fuisse juxta *Ritum*, *et Leges Regni*, quae tamen non multum absuut ab illis, quibusCuriaeEcclesiasticae utuntur: omissam fuisse recognitionem corporis mulieris, propterea quod ab initio Matrimonio semper deinceps in Conservatorio mansit: causam dispensationis positam esse in reciproca conjugum avversione, cum nulla superesset spes animos exasperatos ad concordiam revocandi. Sed ob publicas rerum calamitates ad Romam Processus non pervenit, et ob

per-

perturbationem veteris disciplinae cognitio hujus causae intermissa fuit, donec veteri restituto judiciorum ordine (cum ex particulari Congregatione duo jam praeobivissent Emi Cardinales, alter ab Urbe abesset) reassumpta est ab hac S. Congregatione Concilii, ita mandante *Sanctissimo* per Rescriptum *diei* 31. *Augusti* 1814. ad preces Gasparis Aprile datum. Sed cum ex utrinsque Conjugis precibus constitisset Eleonoram e Conscevatorio migrasse S. Congregatio *recognitionem corporis* ipsius Mulieris *servata forma Benedictinae* imperavit ex Rescripto *diei* 22. *Julii* 1815. delegato Vicario Capitulari Panormitano.

Acta absoluta remisit Vicarius, qui licet suam sententiam obtegat; attamen suffragari re dispensationi non obscure intelligitur. Causa nunc proponitur, solo contradicente Defensore Matrimonii: nam Gasper, qui initio acriter dispensationi contradicere videbatur, nunc eidem assensum praebet. Defensor autem Matrimonii cum validitatem Processus strenue oppugnet; hinc inquirendum erit primum de *nullitate* actorum; deinde de probationibus non *sequutae consumationis*; tandem de *causis* dispensandi. Quae super hisce omnibus tum Eleonora in distribuenda impressa *Allegatione*, tum Defensor Matrimonii in impressis pariter *Animadversionibus* deducunt, paucis complectar.

Quoad Actorum nullitatem haec duo notanda sunt: primum quod tum in Rescripto Sanctissimi *diei* 11. *Septembris* 1803. tum in altero S. Congregationis particularis 26. *Novembris* sequentis, tum demum in tertio hujus S. Congregationis *diei* 22. *Julii* 1815. praescriptum fuit, ut in confectione *Processus* servaretur *in omnibus forma Benedictinae Constitutionis - Dei Miseratione.* Alterum, quod Panormitanus Archiepiscopus affirmat Processum compilatum fuisse juxta *ritum, legesque illius Regni.* Hinc Defensor Matrimonii contendit conclamatam esse Processus nullitatem non solum in forma, sed etiam in substantia: Nam neque deputatus fuit, neque in singulis actis citatus Defensor Matrimonii, id quod sub interminatione nullitatis fieri jubet *Benedictina* §. 7. Neque defectum hujusmodi convalescere dicit, ex quo citatus fuit Promothor Fiscalis Curiae Panormitanae. Nam Benedictina praescribit, ut *ab omnibus, et singulis locorum*

Ordinariis in hisce causis deputetur praecipuus Defensor Matrimonii; unde arguit illius officium suppleri nequivisse a Promothore Fiscali. Quod si etiam posset; Promothor Fiscalis neque in singulis actis citatus fuit, neque ipso praesente omnes examinati fuere sub interrogatoriis ab ipso exhibitis. Quibus neglectis semper pro nullitate Processus pronunciavit S. Rota, et praecipue in *Posnanien. Matrimonii* 9. *Martii* 1759. §.15. *coram Bussio*, *et in Gesnen. Matrimonii* 16. *Martii* 1772. *cor. Herzan*, *et* Sacra haec Congregatio *in Corduben. Dispensationis* 20. *Septembris*, *et* 22. *Novembris* 1760., *et in Januen.*, *seu Albintimillien. nullitatis Matrimonii* 17. *Februarii* 1768. Quin huic nullitati medelam afferre possit, quod ex Regio jussu compilata sint acta juxta *ritum illius* Regni, qui non multum differt ab ea ratione, qua in aliis Curiis Ecclesiasticis acta hujusmodi colligi solent, vel quod usus inoleverit in Panormitana Ecclesiastica Curia ita conficiendi *Processus*, quemadmodum in hac causa factum fuit. Nam observat Defensor Matrimonii, quod cum primum praesentatum fuit Rescriptum Summi Pontificis, tum S. Congregationis, nulla interposita mora imperatum fuit, ut acta ad praescriptum S. Congregationis conficerentur. Quare non nisi istante Eleonora, et repugnante Gaspare aliud supervenit Regium imperium pro confectione Processus juxta *ritum illius Regni*, ut propterea Curia Ecclesiastica Panormitana potuisset satagere, ne a norma *Benedictinae* Constitutionis recederetur. Tandem ait Defensor Matrimonii assertam, non probatam esse consuetudinem Curiae Panormitanae conficiendi Processum contra hanc normam, nec illam esse in hujusmodi judiciis admittendam.

Contra vero Defensores Eleonorae totam hanc de nullitate controversiam inutilem dicunt:, quia in Processu servata est saltem in *sustantialibus* forma Benedictinae Constitutionis, cui formae satis est factum citato Promotore Fiscali, qui vices Defensoris Matrimonii supplevit, et contendunt usum hunc inolevisse in Curia Ecclesiastica Panormitana, ut Promotor Fiscalis officium gerat Defensoris Matrimonii, id quod satis esse putant ad servandam in *sustantialibus* formam Benedictinae Constitutionis.

Ad

Ad probationem non *sequutae consummationis* quod attinet, multa utrinque deducuntur. Qui pro Eleonora causam dicunt nituntur praecipue in *negativa coartata* hujus consummationis: nam a *die* 13. *Septembris* 1801, quo contractum fuit matrimonium, semper Eleonora in Conservatorio permansit, neque cum viro nisi ad crates collocuta est. Quamquam vero *mense Augusti* 1811 proprio arbitratu e Conservatorio emigraverit, neque in illud reversa sit, nisi *mense Julii anni* 1812, attamen impossibile est cum viro nec furtim concubuisse, cum jam exasperati essent animi, et ipse vir tantopere insteterit, et per Regium imperium obtinuerit, ut ad Conservatorium remigraret. A quo si iterum egressa est *mense Julii anni* 1815 valetudinis curandae causa, hoc factum est, opportuna impetrata venia, et sub custodia deputatae matronae *Mariae Annae Nicosia*, quae una cum aliis testibus consumationem excludunt.

Matrimonii vero Defensor negat ex hisce excludi omnem sequutae consumationis possibilitatem, ac proinde deficere eam probationem muneris omnibus absolutam, quam Sacrorum Canonum censura requirit in *Cap. Praeposuisti* 4. *de probat. Cap. Laudabilem de frigidis*, *et Cap. Litterae vestrae eodem tit.* Hinc necessarium dicit *Juramentum* saltem mulieris, cui concors accedat *septima propinquorum manus*, *et signa* virginitatis ex *inspectione* corporis. Probationes hujusmodi vel deficere in Processu, vel inutiles esse contendit Defensor Matrimonii, ut Processus etiam in substantia deficiat: nam declaratio mulieris, vel jurata non fuit, vel emissa coram Judice laico, vel tandem emissa procul ab interventu Defensoris Matrimonii, vel tandem facta una cum viro, quae inefficax est, et suspecta *ex Cap. Super De eo*, *qui cognov.* Deficit prorsus septima propinquorum manus contra praescriptum *Can. Requisivisti* 2. *caus.* 33. *qu.*1., *et Cap.*5. *de Frig.* Tandem multa vitia inesse dicit *recognitioni Virginitatis* factae ab una tantum Obstetrice non praemisso balneo, nullaque adhibita cauthela, ac neglecto prorsus formali examine, tum Obstetricis, tum Matronae, tum peritorum sub interrogatoriis Defensoris Matrimonii faciendo. Quae

cum

cum facti sint, EE. PP. investigare, et cognoscere poterunt ex *Summariis* utrinque distributis.

Ne nimius sim praetermittam singula referre, quae alternatim disputantur super causa dispensationis, quae redeunt ad aversionem inter utrumque conjugem conceptam, quam Archiepiscopus Panormitanus, et Vicarius Capitularis negant deliniri, aut convelli ullo modo posse. Eleonora hanc aversionem vitio vertit ipsius Viri, ob pravos ejus mores, ob amentiam, ob asperam ejus indolem, et injurias sibi illatas. Defensor vero Matrimonii haud innocuam ex actis dicit Eleonoram, et Gasparem a vitiorum, et amentiae nota defendit. Utrum haec causae idonea sit ad dispensationem concedendam, erit Sapientiae Vestrae definire, atque ex iis quae hinc inde afferuntur deliberare.

An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione matrimonii rati, et non consumati in casu etc.

Dilata, et ad D. Secretarium pro examine Eleonorae Galletti aliorumque testium si qui sunt in Urbe citato Defensore Matrimoni, et scribatur Emo Archiepiscopo ad mentem.

Sess.24. Cap.3 de Reform.

CAMERINEN. CANONICATUS. Varius fuit hujus causae exitus. Nam proposita die 2. Decembris 1815. sub dubio - *An provisio Episcopi sit servanda in casu etc.* - Canonicus Tosti responsum obtinuit - *Affirmative attenta contumacia* - Capituli Collegiatae terrae Apyri, quod causam indefensam reliquit. Sed postea jura sua strenue deducens in Congregatione *diei 17. Februarii 1816.* impetravit, ut *a Decisis* recederetur. Novae *Audientiae* beneficium postulavit Canonicus Tosti, et hodie reproponitur Causa, quin ullam mihi exhibuerit allegationem. Capitulum Collegiatae Apyri iterum per impressam *Allega-*

legationem sua deducit jura, quae jam exposita sunt in *Folio Congregationis diei* 17.*Februarii* 1816., quod EE. PP. reassumere dignentur, ut decernant

An sit standum in primo, vel secundo loco decisis in casu etc.

In Secundo loco Decisis, et amplius.

PLACENTINA JURIUM PARROCHIALIUM Deliberata haec Causa fuit in Congregatione *diei* 25. *Maii praeteriti anni*, *et* geminis propositis Dubis *I. An sustineatur Decretum Episcopi diei* 21. *Julii* 1813. *in casu etc. II. An sustineatur Decretum Episcopi diei* 21. *Decembris* 1808. *in casu* responsum prodiit. *Ad I. quoad* primum caput *quoad associationem negative*, *et quoad spolium cerae servetur consuetudo*. *Quoad* secundum *negative*, *et curam animarum competere praeposito*, *et Capitulo et in his terminis inscriptionem esse restituendam*. *Quoad* tertium *negative exceptis functionibus parrochialibus*, *quatenus Praepositus eas per se exerceat*. *Quoad* quartum *servetur omnino forma Constitutionis Benedicti XIII. - Maxima Vigilantia - Ad II. - Affirmative juxta modum nempe ad formam praecedentium conventionum*. *Sess.* 24.*Cap.* 18. *De Reform.*

Praepositus Antonius Galli Dordoni impetravit statim a me *novae Audientiae* beneficium. Saepius tamen dilata fuere vadimonia. Cum tamen peremptorie haec dicta esset dies definitioni causae, praeces mihi obtulit pro declaratione Resolutionis S.Congregationis, scilicet a vobis postulat, ut haec duo declarentur.

Il primo è, ehe avendo l' EE. VV. deciso, che il Capitolo di S. Michele abbia il dritto di associare i Cadaveri de' Canonici morti, si cerca di sapere, se il me-

medesimo debba esercitare un tale dritto capitolarmente, cioè con levare il Cadavere in corpo, ed insieme unito col Proposto, siccome capo, oppure non volendo procedere capitolarmente, possa allora il Preposto come Paroco levare il cadavere di proprio dritto, ovvero possa il Capitolo delegare uno, o due Cappellani, acciocchè vadano a prendere il morto.

In secondo luogo, avendo l'EE. VV. Reverendissime parimenti deciso, che il Preposto abbia il transito dalle sue camere per postasi nella Chiesa giusta l'antecedenti concessioni, sorge un secondo dubbio, in che maniera debbansi intendere queste concessioni, cioè se quelle che di pieno dritto si pratticavano dai preposti prima della convenzione Mantegazzi stipolata l' anno 1732., oppure quelle precarie, che dopo seguirono con cui i Canonici precariamente concederono un tal transito ai propositi pro tempore? E posta questa seconda parte, se queste concessioni precarie debbano così intendersi nel caso, che il Preposto fosse solamente capo del Capitolo, e non esercitasse l'officio di Paroco, oppure quando attendesse ancora ad un tal officio.

Super quibus precibus rescriptum fnit - *utatur jure suo in repropositione causae* - Dum itaque Capitulum Colleggiatae S. Michaelis urget confirmationem praecedentis resolutionis, quam nunc Prepositus impugnare non videtur, cum declarationes superius expositas postulet, dignabuntur EE. VV. reassumere Folium *Congegationis diei* 25. *Maii* 1816., et statuere, num jam *decisis* aliqua declaratio adiicienda sit.

Dubium proponitur.

An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu etc.

Dentur Dubia super declarationibus.

CIVI-

CIVITATIS PLEBIS CONGRUAE. Anno 1806. a Paraecis oppidorum *Panicale*, *et* *Ceraseto* ab Episcopo facta dismembratio est earum animarum, quae per agrum dispersae trium milliarium spatio, interjecto *Flumine Treja* sine ullo pronte ab Ecclesiis distabant, et ne spiritualibus carerent subsidiis proprius iisdem Parochus in Ecclesia S. *Mariae Nemorum* est constitutus. Quamquam a Paraecia *di Panicale* capita supra *quatuor centum*, et ab altera *di Ceraseto centum* subducta fuerint, novaeque Paraeciae attributa; attamen veteres Parochi jus sibi reservarunt percipiendi decimas personales, et praediales a dismembratis familiis. Congrua vero novi Parochi constituta est in annua summa *scutorum* 75. 72., quae deductis oneribus ad annua tantum *scuta* 53. 72. cohibetur comprehensis incertis. *Ses.* 24. *Capite* 13. *de Reform.*

Defuncto primo Parocho Sacerdote Gaspare Giorgetti, indicto licet concursu, nemo ob congruae tenuitatem ad Paraeciam optavit. Hinc postulant Parochiani augumentum vel ex decimis, quas adhuc exigunt Rectores utriusque Ecclesiae matricis, vel per applicationem redituum alterutrius ex sodalitiis *Sanctissimi Sacramenti*, *et Septem Dolorum* erectis in Paraecia *Ceraseti*, qui reditus modo erogantur in expensas, ad quas tenerentur Patres Servitae *S. Mariae Novae* Perusiae, qui jure patronatus, et praesentandi Parochum fruuntur.

Episcopus de sua sententia rogatus testatur necessitatem factae dismembrationis, et augendae congruae novae Paraeciae. Auditi Rectores utriusque Ecclesiae Matricis decimas cedere recusant. Nam ait Archipraesbiter *di Panicale*, nullam fieri posse decurtationem ex fructibus suae Paraeciae, quae duplici gravatur pensione, altera imposita a Dataria Apostolica in annuis *scutis triginta*, altera reservata favore antecessoris Parochi *Dorichi* in annuis *scut.* 75. Addit etiam se aere alieno esse implicatum tum ob expensas factas in assecutione Paraeciae; tum quia illius reditibus caruerit, quo tempore in praeterita rerum perturbatione fuit deportatus. Rector vero *Ceraseti* exhibito statu activo,

 et

et passivo ostendit congruam non excedere annua *scuta* 75. 60. deductis oneribus. Ait etiam centum tantum capita e sua Paraecia idcirco fuisse dismembrata, quia prope Ecclesiam S. Mariae *Nemorum* accolebant, numquam vero ex eo quod incomodum haberent accessum ad Parochialem *Ceraseti*, vel destituta essent spiritualibus subsidiis, proptereaque potius quam cedere decimas, paratum se esse dismembratos Parochianos iterum ad antiquum ovile reducere.

Pari modo repugnant Confratres utriusque sodalitii aliquid ulterius novo Parocho praestare, cum jam ab initio illius favore cesserint tot census, unde annua *scuta triginta* redibant; et nunc ducto calculo redituum, et expensarum scuta tantum *septem* annuatim supersunt eroganda in dimissionem aeris alieni *scut.* 52. cum proprio Cammerario contracti, et in sacras supellectiles pro Ecclesia Parochiali *Ceraseti* necessarias.

At Parochiani S. Mariae *Nemorum* nonnulla observanda proponunt quoad erogationem redituum Sodalitatum. Ajunt enim Ecclesiam Parochialem *Ceraseti* in medio agri positam, nullisque circumdatam domibus, post factum dismembrationem vix constare capitibus *centum decem*, et quasi desertam esse, ad quam vix diebus festis *triginta* Parochiani accedunt, cum coeteri alias vicinas Ecclesias freqnentent. Hinc excessivas dicunt expensas in statu passivo signatas pro caera *in scutis* 24; pro celabrandis festis diebus *in scutis* 10.; et pro legatis Missarum Vigintiquattuor *in scutis* 5. 40, cum satis sint *scuta* 3. 60; fabricae manutentionem spectare ad Patres Servitas, qui patronatu, et jure nominandi fruuntur; Sacrarium demum sacris utensilibus abbundare.

Episcopus in sua *informatione*, haec ad augendam Parochi congruam media proponit; nimirum ut cum primum vacaverint Ecclesiae *Panicalis*, et *Ceraseti* addicantur Parocho Ecclesiae *Nemorum* decimae personales, quae in annuis scutis *quatuor* ab iis pensitantur, qui terram non colunt; ut Archipraesbytero *Panicalis* imponatur annua pensio

Scu-

scutorum 10. praestanda vel in pecunia, vel in tritico; ut ejusdem summae pensio imponatur sodalitiis, quibus affirmat annua saltem *scuta* 20. superesse; utque augeantur decimae in vino pensitandae ex iis praediis sitis in Paraecia *Nemorum*, que vitibus abundant.

Ex his EE. PP. deliberare dignentur quomodo augenda sit congrua Parochi *Nemorum*: cum enim jam facta sit dismembratio ob necessitatem, et utilitatem animarum profecto nunc in discrimen revocari nequit. Tenuitas vero congruae satis patere videtur, cum vacata Paraecia, indictoque concursu nemo fuerit, qui ad eam optare vellet. Quare deliberatio omnis redit ad *modum*, quo congrua augenda sit. Quamquam enim agatur de congrua jam ab Ordinario constituta, quae propterea idonea censetur ad alendum Parochum, ut statuit S. Congregatio *in Albinganen. Reductionis Missarum* 15. *Decembris* 1792., attamen disponit Trid. *Ses.* 24. *Cap.* 13. *de Reform.* ut: *In Parrochialibus Ecclesiis, quarum adeo exigui sunt fructus, ut debitis neqneant oneribus satisfacere, curabit Episcopus si per beneficiorum unionem id fieri non possit, ut primitiarum, vel decimarum assignatione, aut per Parrochianorum symbolam, ac collectas, aut qua commodiori ei videbitur ratione tantum redigatur quod pro Rectoris, et Parochiae necessitate decenter sufficiat.*

Parrochiani postulant proprio Parocho S. Mariae Nemorum assignari decimas tam personales, quam praediales, quas ipsi Parochi *Panicalis*, et *Ceraseti* persolvunt. Atque eorum instantia nititur Tridentino, qui *loco superius* citato vult, ut exigui Paraeciarum fructus per assignationem decimarum augeantur. Verum obest Parochorum utriusque Matricis dissensus, qui in hanc dismembrationem consenserunt, reservata sibi ex familiis dismembratis decimarum perceptione. Cum tamen haec dismembratio ex causa necessitatis ob locorum distantiam facta sit, ac propterea sicut eorum dissensus ad impediendam dismembrationem parvi faciendum erat, cum dismembratio ex hac causa etiam *invitis Re-*

ctoribus ex Tridentino *Sess.* 21. *Cap.* 4. fieri poterat, ita nihil obesse videtur dissensus ad augendam congruam ex reservatis decimis, quatenus congrua tenuis comperiatur. Nec praetereundum est, quod, si facta non fuisset dismembratio, si veteres Parochi satis non erant ad curam adeo numerosi Populi exercendam tenebantur de proprio assumere coadjutores in administratione Sacramentorum; aeque igitur tenentur ad augendam congruam novi Parochi, per quem ab onere administrationis curae sublevantur.

Quoniam vero arbitrio Episcopi relinquit *Triden. citat. Ses.* 24. *Cap.* 13. *de Reform.* consulere tenuitati congruae Parochorum *qua commodiori ei videbitur ratione*; videant EE. PP. num probanda sint media, qnae proponit Episcopus, quaeque hujusmodi sunt, scilicet: Decimas personales assignare Parocho S. Mariae *Nemorum* post obitum utriusque Parochi *Panicalis*, *et Ceraseti*: Pensionem *scutorum decem* imponere Archipresbytero *Panicalis*: itidemque *scut.* 10. Sodalitiis Sanctissimi *Sacramenti*, *et septem Dolorum*: Decimas praediales in vino augere praestandas ex fundis in Paraecia *Nemornm* sitis ita ut Parochus congerat *quindecim* cados vini. Ita enim ducto calculo augeretur congrua Parochi S. Mariae *Nemorum* in annuis scutis *triginta*, quae una cum aliis scut. 52., quae nunc percipit, annuum reditum scutorum *octaginta* constituerent.

Dubium proponitur:

An, et quomodo sit locus augmento congruae Parochi S. Mariae Nemorum in casu etc.

Non proposita cum sequentibus.

SAN-

SANCTI MINIATIS VISITATIONIS SS. LIMINUM. Episcopus vigilantissimus S. Miniatis tria *postulata* proponit, de quibus sententiam hujus S. Congregationis rogat: Quid Capitulum, quid ipse Episcopus in suo voto referant, exponam. *Sess. 24. Cap. 14. de Reform.*

I. *Postulatum* ,, Non raro accidit, ut quivis Canoni-
,, cus tum pro Poenitentiae Sacramento administran-
,, do, seu Missae actione exequenda ad sui priva-
,, tam commoditatem abscedere a Choro soleat,
,, suasque interim, antiqua favente consuetudine,
,, distributiones faciat. Praefata consuetudo in ea-
,, dem Ecclesia Cathedrali obtinuit vigore Constitu-
,, tionumCapituli in limine fundationis sancitarum die
,, 11. Augusti 1488. Massa insuper distributionum
,, initium duxit ex tot bonis Praepositurae (cui
,, etiam nunc cura animarum incumbit) quarum
,, fructus *decem*, *et septem Florenorum auri de*
,, *Camera* aequabant. Quaerit hinc Episcopus an
,, super ista consuetudine aquiescere possit.

,, Et quatenus concedatur, ut iidem Canonici ut su-
,, pra a Choro abscedentes lucrari debeant distri-
,, butiones, dum in eadem Ecclesia adsistant fide-
,, lium Confessionibus, quaeritur ulterius, an id
,, juris extendi debeat etiam ad Canonicos, quorum
,, Praebendae post Concilium Tridentinum funda-
,, tae quotam pro quotidianis distributionibus in
,, Capitularem massam erogarunt juxta ejusdem Ca-
,, pituli Constitutionem Anni 1702.

Nonnulla in facto praemittenda sunt, quae suppeditat Capitulum suo in *Voto*. Capitulum hujusmodi sub titulo S. Ginnesi, et Mariae S. Miniatis institutum fuit a Pontifice Innocentio VIII. in Bulla: *Ex supernae Providentiae Majestate* data apud S. Petrum *pridie Nonas Decembris Anni* 1487., quam refert *Lami S. E. Florent: monumenta Tom. I. pag.* 510., in qua Delegatis Apostolicis jussit fundationem Praepositurae, et decem Canonicatuum, quibus indulsit: *eidem Praeposito, ac Capitulo aliqua statuta laudabilia, et honesta SS. Canonibus non contraria condere.*

Hisce facultatibus auctum Capitulum *die* 11. *Augusti* 1488. sta-

statuta vulgavit, quae post multos annos authoritate Apostolica roboravit Clemens VII. in Bulla - *Romanus Pontifex* data apud S. Petrum pridie *Idus Junii anni* 1526. apud *Hughellium Italia Sacra Tom.* 3. *pag.* 274.

Ad Cathedralis honorem postmodum evecta Ecclesia S. Miniatis a Pontifice Gregorio XV. posteriores Constitutiones publicatae fuere ab Episcopo Michaele Carolo Cortigiani *die 6. Decembris* 1702. in quibus antiqua statuta translata sunt. His tamen posterioribus Constitutionibus, haud constat, Apostolicae confirmationis robur accepisse.

Ex veteribus Capituli statutis ortum ducit consuetudo ut qui Canonici Sacramentales Confessiones excipiunt lucrentur distributiones quamvis a Choro absint. Nam in Cap. VIII. statutum est: *Quod si Praepositus, vel aliquis ex Canonicis fuerit occupatus in aliquo negotio pro Capitulo, sive curae Confessionis, vel aliorum Sacramentorum administratione, lucretur distributiones quotidianas, ac si esset praesens*. Quae etiam recepta fuere in recentioribus Constitutionibus Cap. VII. *Intelliguntur praeterea exempti a Choro, et divinis Officiis participando semper de Distributionibus, ac si interessent qui adsistunt Confessionibus in Cathedrali tantum*.

Primae fundationis Canonici Massam distributionum ex bonis dismembratae Praebendae Praepositurae constituere caeperunt, cum nihil in hanc causam a fundatoribus traditum fuerit, et nunc e Massa Capitulari distributiones accipiunt. Canonici vero post Tridentinum erecti in Massam Capitularem immiserunt quantum necesse erat pro distributionibus quotidianis.

Hisce praemissis Capitulum putat servandam esse consuetudinem, ut Canonici instituti ante Tridentinum percipiant distributiones, ac si Choro interessent, dum Sacramentales excipiunt Confessiones. Nam haec consuetudo originem ducit a vetustioribus statutis Capituli a Sede Apostolica praecipue probatis ante Tridentinum, et postea in Constitutiones recentiores translatis. Maxime cum censendum sit idcirco ita sancitum fuisse: quia Canoni-

cis

cis primae erectionis constituta est massa distributionum ex dismembrata Praebenda Praepositurae, quae habet animarum curam, cui coadjuvant Canonici in administratione Sacramentorum; quod utile Ecclesiae Cathedrali esse videtur, praesertim cum in Capitulo deficiat Canonicus Poenitentiarius, cujusque vices sub nomine Canonici Pro-poenitentiarii suppleat Canonicus Theologus, qui diebus ferialibus abest a Choro.

Quoad vero Canonicos post *Tridentinum* constitutos putat Capitulum, ut eis ex indulto Apostolico concedi possit, ut ad servandam uniformitatem distributiones percipiant quamvis a Choro absint Confessionum Sacramentalium excipiendi causa. At Episcopus in sua *Informatione* secus censet: exiguum nam esse affirmat Canonicorum numerum, qui Choro intersunt, cum alii fruantur Jubilationis indulto, alii impotentes sint ad Sacras functiones obeundas. Ex novem vero Capellanis quinque tantum de mane, et quatuor ad vesperas Choro intersunt, proindeque cuperet ut omnes Canonici interessent, quin discedere possent ad Sacramentales Confessiones excipiendas, maxime cum id necesse non sit: nam adest Parochus, et Capellanus Curatus, et capita Parrochianorum sunt *tercentum*.

Quoad Missae celebrationem observat Capitulum, non id fieri a Canonicis proprio arbitratu, sed juxta ordinem Hebdomadae, excepto Praeposito, ad nutum Sacristae, qui cum munus simul exerceat Caeremoniarii, ac Punctatoris curat rectum ordinem sacrarum Functionum inspecto etiam interessentium fidelium commodo. De hac Missarum celebratione nihil habent vetustiora statuta, et Constitutiones anni 1702. unum tantum praescribunt *Inter Missam unam, et alteram sit aliqua distantia, et mora in diebus praesertim festivis*.

Ex his in facto deductis, duo emergunt *dubia*: quoad *primum postulatum*: *Unum* respicit Confessiones Sacramentales, quas excipiunt Canonici tempore divini Offici, et quaeritur num ex hac causa lucrari possint distributiones. *Trid. Ses.* 24. *Cap.* 12. *de Reform.* jubet *distributiones recipi ab eis qui statutis*

tutis horis interfuerint; *reliqui vero, quavis collusione, aut remissione exclusa, his careant juxta Bonifacii VIII. Decretum, quod incipit: Consuetudinem, quae S. Synodus in usum revocat non obstantibus quibuscumque statutis, et consuetudinibus*. Ex citato vero *Cap. consuetud. de Cler. non residen. in 6.* nisi ex causa *infirmitatis*, *corporalis necessitatis*, et *Ecclesiae utilitatis* potest quis distributiones recipere, quamvis Choro non interveniat. Quare si Tridentinum revocat contraria statuta, et consuetudines, sequitur, ut satis non sit sola consuetudo, sed una simul concurrere debet Ecclesiae utilitas.

Etenim in eodem *Trident.* Ses. 24. *cap.* 8. *de Reform.* sancitum est *ut Poenitentiarius etc. dum Confessiones in Ecclesia audiet interim praesens in choro censeatur*. Quae dispositio, quum ad eos tantum ampliata sit, qui pro muneris necessitate Confessiones excipere tenentur, *Fagnan. im Cap. licet de Praeben. num.* 118. ideo nisi quis ex lege fundationis, aut de mandato Episcopi absit ad Sacramentum illud administrandum, Distributionibus frui non posse videtur, ut pluribus relatis exemplis firmavit S. haec Congregatio *in Maceraten.* 13. *Aprilis* 1768. et *in Spoletana sertitiis Chori* 18. *Februarii* 1795. in qua proposito III. dubio: *An, et quomodo Capitulares absentes ad audiendas Confessiones in eadem Ecclesia Divi Petri quo tempore Confessiones audiunt pro praesentibus haberi debeant*. S. Congregatio respondit: *Negative juxta votum Episcopi*: nempe *excepto Parocho, et Capellano Curato*; *nec non Deputatis in casu Populi confluentiae*.

Inquirendum igitur erit, num Canonici primaevae erectionis teneantur ad Confessiones excipiendas ratione muneris, sive quia in vetustioribus statutis eisdem conceduntur distributiones, quo tempore Confessiones excipiunt, ita ut implicite eisdem injunctum videatur onus excipiendi Confessiones; sive quia distributiones percipiunt ex dismembratione Praebendae Praeporiture, cui animarum cura in-

incumbit, et idcirco teneantur Canonici coadjuvare Praepositum in Sacramentorum administratione. Quatenus vero EE. PP. censeant Canonicos, ante Concilium Tridentinum constitutos, lucrari posse distributiones, quo tempore a choro absunt, ut Sacramentales excipiant Confessiones; videant num ex indulto id concedendum sit caeteris Canonicis post Tridentinum constitutis, ut in Capitulo uniformis servtii ratio servetur.

Secundum dubium respicit Missarum celebrationem tempore divini Officii, et quaeritur num Canonici ex hac causa immunes esse debeant a punctaturis. Qua quidem in re, cum nihil decernant statuta, et constitutiones Capituli inspiciendum erit quid in jure constitutum sit. In hac porro controversia dissident Canonistarum Sententiae: alii tenent non posse Canonicos tempore divini Officii Missas celebrare, et si id faciant, distributiones illius horae amittere *Cecoper Lucubrat. Canon. lib.* 3. *tit.* 9. *num.* 10. *Covar. var. resolut. lib.* 3. *num.* 3. *cap.* 3. *Gonzal. in lib.* 3. *Decret.* §. 3. *num.* 18. *Zipeus. lib.* 3. *Decret. De Cler. non residen.* Alii censent non esse reprobandam consuetudinem lucrandi distributiones, dum Missas celebrant tempore chori, cum ex hac causa absentes actum divini cultus exerceant: *Garz*: *De Benef. part.* 3. *cap.* 2. §. 1. *num.* 441. *Antonel. De Cler. non resid. lib.* 3. *cap.* 16. *num.* 25. *Monet de Distrib. part.* 1. *quaest.* 11. 52. Tertia sententia eorum est, qui una cum consuetudine putant conjunctam esse oportere utilitatem Ecclesiae, ita ut nisi de legittimi superioris licentia quis absit ad celebrandam Missam in Populi commodum, distributiones lucrari nequeat qualibet non obstante consuetudine. Hanc sententiam sequutus est S. *Carolus Borromeus in Concil. IV. Mediolan. part.* 2. *cap.* 13. *Bened. XIV. Instit. Eccles.* 107. *num.* 74.

Jamdiu vero S. Congregatio hanc ipsam sententiam amplexa est: nam Anno 1573. ut legitur *in Lib.* 13. *Decret. pag.* 51. propositum fuit Dubium: *quia quandoque in Cathedralibus, et Collegiatis sunt aliqui Canonici, vel alii Officiales, qui in eisdem ha-*

bent Cappellanias , vel in titulum , vel tamquam mercenarii ; quaeritur an eo tempore quo in dictis Capellaniis celebrant distributiones recipere debeant, licet absint a Choro , et quid de illis Canonicis , qui celebrant in eadem Ecclesia suae devotionis gratia ; an et quando hac de causa a choro absunt distributiones recipere possint , et dato quod non ; quid , si a Superiore Ecclesiae injungatur , ut eo tempore celebrent ? Re ad Sanctissimum relata *Ex sententia S. Congregationis Concilii* declaravit *non posse, nisi quando sic jussissent* Superiores, *quos tamen admoneri voluit, ut ab hujusmodi jussu se abstineant .*

Recentiores adstipulantur Resolutiones S. Congregationis *in Comen Celebrationis Missarum 23. Novembris* 1771. in qua disputato II. Dubio *An sustineatur consuetudo celebrandi Missam a Canonicis tempore horarum canonicarum* - Rescriptum fuit - *Negative, nisi de legitimi* Superioris *licentia et in Spolet.* Servitii *chori* 28. *Februari* 1795. *Disputato tertio Dubio . An et quomodo Capitulares absentes ad Missam in eadem Ecclesia Divi Petri celebrandam tempore choralis officiaturae lucrari possint distributiones quotidianas* - S. Congregatio respondit - *Negative juxta Votum Episcopi .*

II. *POSTULATUM. In Ecclesia Cathedrali adest consuetudo , ut interessentes Choro medietatem quotidianarum distributionum percipiant ad Missam cantatam Conventualem et aliud dimidium ad Vesperas , et Matutinum , non vero per singulas horas distribuunt contra statutum quod nunc adhuc viget ; supplicat Episcopus , an super ista consuetudine acquiescere debeat* - .

Ex Tridentino *Sess.* 24. *Cap.* 12. *de Reform.* lucrantur distributiones ab iis qui *statis horis* choro intersunt . Cui decreto consonat statutum Capituli *Cap.* 9. in quo injungitur Sacristae - *tenere computum tam Canonicorum , quam Cappellanorum , et eos punctare singulis horis prout servient in divinis* -. Et alia quoque adsunt statuti capita quae brevitatis causa omittuntur , in quibus pro singulis horis sin-

singulis Canonicis quantitas distributionum statuitur. Habent ex his EE. PP., unde in tertio dubio respondeant *postulato*, et secum reputent quanti facienda sit contraria consuetudo, quae juri, et statuto adversatur, cujus statuti executionem pro suo munere urget Episcopus,

III. *Postulatum. Episcopus supplicat, ut duo Canonici Cathedralis in Visitatione Civitatis, et Diaecesis eum comitantes, veluti convisitatores, quotidianas distributiones juxta antiquam ejusdem Ecclesiae consuetudinem ratione tenuitatis praehebendarum percipere possint.*

De hoc queritur in *Quarto dubio*. Censuit S. Congregatio *in Sulmonen. 5. Decembris 1626. lib. 13. decret. pag. 329. Canonicos suum Episcopum in Visitatione Liminum comitantes distributiones quotidianas lucrari debere; Comitantes vero in visitatione Diaecesis, si omnes fructus, ut supponitur, in distributionibus quotidianis consistant, lucrari duas partes, amissa tertia, quae inservientibus accrescat*. Notandum tamen est, quod in Ecclesia S. Miniatis contraria viget observantia, et Canonici Comitantes Episcopum in Sacra Visitatione ipsius Ecclesiae utilitati inservire videntur. Quod si haec satis non sint Episcopus indultum postulat, etiam ex Causa tenuitatis redituum Canonicalium.

Quatuor propoununtur dubia.

I. *An, et quomodo Canonici Cathedralis Sancti Miniati absentes ad audiendas confessiones in eadem Ecclesia Cathedrali quo tempore Confessiones audiunt pro praesentibus haberi debeant, ita ut lucrari possint quotidianas distributiones in casu ec.*

II. *An, et quomodo iidem Canonici absentes ad Missam in eadem Ecclesia Cathedrali celebrandam tempore Choralis Officiaturae lucrari possint distributiones quotidianas in casu ec.*

III. *An distributiones quotidianae lucrari debeant a Canonicis singulis horis officiaturae, seu potius dimidium ad Missam Cantatam Conventualem, et aliud dimidium ad Vesperas et Matutinum juxta introductam consuetudinem in casu ec.*

 IV. *An*

IV. *An, et quomodo sit concedendum indultum absentiae a Choro duobus Canonicis comitantibus Episcopum in Sacra Visitatione in casu etc.*

Sess. 24. Cap. 13. de Reform.

SANCTI SEVERINI. In Septempedana Civitate Paraecia Cathedralis jurisdictionem habet super universa Civitate, paucis exceptis familiis subjectis alterae Paraeciae Sancti Laurentii, quae distinctum non habet territorium, propriasque domus, sed *gentilitia* est certas completens familias in Paraecia Cathedralis permixtas. Thomas Egidi e Villa *Cagnorum* puer Civitatem petiit, ut studiis operam daret, et in privata diversans domo, Paraecie Cathedralis, cum aliam sibi non elegisset, subditus fuit. Adolescens factus in Domo Congregationis Oratorii *S. Philippi Neri* ingressus, ad S. Ordines promotus semper inter illos Praesbyteros mansit usque ad annum 1810. in quo ob rerum publicarum subversionem ab illa pulsus fuit. Iterum ad Paraeciam Cathedralis revertens, ab ejus Parocho testimonium *Superviventiae* tum sibi, tum laico Fratri Thomae Porri rogavit, ut pensiones a Gubernio assignatas, uterque exigere posset.

Factum praeterea est, ut Antonius Egidi Nepos Sacerdotis Josephi conduxerit domum Congregationis Oratorii, quae cum sita sit e fronte Ecclesiae, et Oratorii via intermedia, non habet aditum ad Ecclesiam nisi per subeterraneum cuniculum. Praesbiter itaque Joseph Egidi in aedibus Congregationis migravit, et sibi selegit Parochum Sancti Laurentii, et cum sit

ae-

aetate gravis, et infirma valetudine lecto decumbit, et S. Eucharistiam sumit a Parocho S.Laurentii, qui cum opus est ad Ecclesiam Oratorii accedit, et per subeterraneum illum aditum Sacram Particulam infirmo defert in aedibus Congregationis Oratorii, quin per publicam jannam Ecclesiae, viamque publicam transeat. Quamquam Parochus Cathedralis statim ad Vicarium Capitularem reclamasset tam contra electionem novi Parochi factam a Presbitero Egidi; tum contra delationem SSmi Eucharistiae per subterraneam viam, attamen ob notissimam temporum acerbitatem utrumque tollerandum censuit.

Nunc vero Canonicus Mazza ex antiquiori Capitulo Cathedralis (ita enim in Capitulo discriminantur Canonici primae, et posterioris erectionis, atque illis habitualis cura ParaeciaeCathedralis tributa est) Canonicus inquam Mazza preces obtulit hinc S. Congregationi, ut rejecta nova eletione Parochi S.Laurentii facta a Sacerdote Josepho Egidi, et laico Thomae Porri, declaretur, utrosque subjectos esse oportere Parocho Cathedralis; tum etiam ut impediatur, ne SS. Eucharestiae Sacramentum per aditum subterraneum deferatur. Vicarius Capitularis primae instantiae favet, alteri repugnat.

Primis Ecclesiae saeculis distinctae finibus non erant Paraecie sed, cura animarum Episcopi per deputatos Presbiteros gerebant. Divisionem Paraeciarum primus induxit Dionisius Papa, qui singulis proprium constituit territorium ut *ex Cap. Pastoralis De iisque fiunt a Prelat, et Cardinalis Baron. Annal. Eccles. Tom.3.ad ann. 325. vers. unde hic.*Et quamquam Tridentinum *Sess. 24. Cap. 13. de Reform.* mandet Paraeciarum divisionem, attamen divisio hujusmodi etiam per familias stare potest,ut probat *Ursaja Tom.8.part.1 disc. 24. per tot.* Eo itaque redit in I.*Dubio* quaestio, utrum Praesbyter JosephEgidi,etLaicusThomas Morri potuerint se subducere a Paraecia Cathedralis, et Parochum S.Laurentii seligere. Injuria id factum esse contendit Vicarius Capitularis in sua *Informatione*, quia *Presbiter Joseph Egidi moratus est, subjectusque fit Pareciae Cathedralis Ecclesiae. Non enim aliam unquam elegit, ut mihi ipse ingenue fateri non du-*

dubitavit. Dixi semper subjectus fuit Paeciae Cathedralis Ecclesiae, quoniam qui alium non eligit, pertinet semper apud nos ad Ecclesiam Matricem, quae jus habet in omnibus, paucis exceptis familiis huc illuc dispersis spectantibus Ecclesiae Parochiali S. Laurentii. Adolescentia transacta, Clericus ingressus est Congregationem Oratorij S. Philippi Neri, et laudabiliter in ea perseveravit usque ad annum 1810. *in quo accidit irreligiosa suppressio ejusdem Congregationis. Congregatione suppressa annuum censum a subernio exacturus Parochum adiit Ecclesiae Cathedralis, et ab eo ut proprio Parocho attestationem expostulavit suae supraviventiae. Documentum pariter hujusmodi postulavit* Thomas *Porri Frater laicus Congregationis. Igitur Praesbyter Joseph Egidi, quam Thomas Porri pertinent ad Parochum Cathedralis, nec unus nec alter poterat post praefata electionis documenta, nec aliam Parochiam eligere, nec a prima subjectione poterat se subtrahere.*

In II. Dubio agitur de delatione SS. Eucharistiae. Contendit siquidem Canonicus Mazza *ex Rituali Romano Cap. 4. de Communione Infirmorum num. 6. et 7.* reprobari delationem Sacramenti per aditum subterraneum, tum ne per loca minus decentia, et sordida pertranseat; tum ut deferatur aperta manifestatione, et obsequio, et amore ab omnibus prosequatur. Et idcirco a S. Congregatione Immunitatis *in Aquilana 9. Martii* 1632. vetiti fuerunt aditus subterranei e privatis domibus in Ecclesias. Verum Vicarius Capitularis observat - *aditum praefatum non ex iis esse, qui indecentes sunt, vel umbrosi, vel faedi. Lucidus satis hic aditus est non immundus, non dedecens. Hac eadem occulta via semper utebantur Patres Oratorii in exportatione SS. Eucharestiae, ad infirmos propriae Congregationis, et per hanc semper, aut fere semper, ipsi transibant, quando descendere volebant ad Ecclesiam, vel Missam celebrandam, vel ad alia Sacra peragenda. Pervetustam praxim sequutus est Parochus servata semper debita decentia, idemque peregit non solum ad majorem commoditatem, sed etiam ut desideriis satis faceret ipsius infirmi octogenarii, et amplius. Numqnam*

ali-

aliquid absonum evenit, nec evenire omnino poterat, et idcirco Provicarius nec approbavit, nec improbavit.

Notandum tamen est, haec omnia usnvenisse, dum stabat Congregatio Oratorii; Tunc enim ab Ecclesia deferebatur Eucharistia per aditum subterraneum in Religiosa domo ad infirmos ejusdem Congregationis. Nunc domus conducta, locataque est, in eaque manent laici, et foeminae. Num indecorum sit SS. Eucharestiam per illud cuniculum, licet non foedum, aut sordidum deferre in privatas domos, cum januae Ecclesiae pateant, cum nihil nunc impedimento sit, quominus SS. Sacramentum manifeste adsportetur vestrum EE. PP. erit judicium.

Duo deliberanda proponuntur Dubia.

I. An Sacerdos Joseph Egidii, et laicus Thomas Porri pertineant ad Paraeciam Cathedralis, seu potius ad Paraeciam S. Laurentii Civitatis S. Severini in casu etc.

II. An delatio SS. Eucharestiae ab Ecclesia ad domum Congregationis Oratorii fieri possit per aditum subterraneum in casu etc.

Sess. 7. Cap. 15. de Reform.

FOROSEMPRONIEN CONDONATIONIS. Inter caetera, quae retroactis annis ab occupatoribus Pontificiae Dictionis immutata fuere, id actum etiam est, ut Locorum Piorum, praesertim quae, ad pauperes opitalandos erant instituta, unica esset generalis administratio concredita cuidam Congregationi, cui nomen erat - *di Carità* - quae licet de omnibus reddibus insimul coactis disponeret, tamen cujuslibet

Loci

Loci Pii peculiares rationes accepti, expensique retineret. Id ipsum obtinuit in Civitate Forosempronii, ubi Xenodochium, cum impar esset ex proprio censu extraosdinariis sumptibus in pauperum levamen faciendis, aere alieno scut. *octingentum* obnoxium evasit ob pecunias partim ab extraneis in summa scut. 323. partim ab aliis Locis Piis commodatas pro reliqua summa scut. 477. Nimirum habuit.

Ab haereditate *Chiappolini*, cujus fructus erogari debent in publicas scholas pro puellis *Scuta* 97. 57. 1.

Ab *Orphanotrophio* Scuta 19. 9.

Ab haereditate Boldrini Scuta 130. 65. 4.

A Sodalitio *Charitatis* Scuta 35. 69. 5.

Ab *Xenodochio* Montis Felcini *Scuta* 18. 95. 4.

Ab haereditatibus *Modesti*, et *Particelli*, quae in unum coalescunt cum Pietatis Monte *sc.* 180. 14.

Restituto Pontificio Regimine, et abrogata Congregatione Charitatis Curatores Hospitalis noverunt annuos illius redditus assurgere ad scuta 1770.45. 1. expensas vero ad scuta 1812. 36. ita ut deficiant annua scuta 50. 90. 4. ad coequandas rationes. Hisce in circumstantiis postularunt a S. Congregatione condonationem aeris alieni, quo gravantur erga caeteraLoca Pia, ut ita facilius pecunias a particularibus commodatas restituere possint, et occurrere necessitatibus Xenodochii, in quo praesertim hoc tempore plurima est aegenorum frequentia.

Episcopus narrata confirmans insantiae suffragatur. *Accivi* inquit *deputatumScholarum piarum pro puellis, idest haereditatis ita dictae Chiappolini, cui repetenda sunt scuta* 97. 57., *et idem lubenter annuit hujusmodi remissioni, ea tamen conditione si Mons Pietatis debitum ei remittat scut.* 41. 92. *Deputatum quoque Orphanotrophii a quo tunc Xenodochio tradita sunt scuta* 19. 9. *qui pariter remissioni indulgeret, dummodo ab eo major huic Montis Pietatis pecunia solveuda non esset. Quamobrem oporteret eumdem Pietatis Montem remittere praedictas summas Xenodochio, ne piae pro Puellis scholae, et Orphanatrophium tantum caperent detrimenti. Eae autem summae in unum coactae scuta* 60. 61. *efficiunt. Haec remissio utique recte concedi posset. Nam praedictus Pietatis Mons quam-*

quamplurimos habet redditus, eoque melius sese habet quam Xenodochium. Deputati vero haereditatis ita dictae Boldrini, Sodalitii Charitatis, et Xenodochii Montis Felcini hujus meae Diaecesis, quibus essent repetenda scuta 180. 30. lubenter annuunt, eo facilius quod redditus ad idem objectum publicae beneficientiae statuti sunt. Non tamen Deputatos accivi duarum haereditatum ita dictarum Modesti, et Particelli, quae cum hoc Pietatis Monte in unum coalescunt, quibus a Xenodochio solvenda sunt scuta 180. 14. Fidenter enim certiores facio EE. VV. harum redditus satis superque augeri quotannis, et persaepe pro fructibus foenerari pecuniam, qui redditus tantummodo in solutionem nonnullorum stipendiorum conferuntur. Igitur praedictae haereditates Modesti, et Particelli, et Pietatis Mons, qui magnos habent redditus, summas easdem remittentes nihil capiunt detrimenti.

Cum ex juris rigore condonatio hujusmodi fieri non possit, videndum utrum ex aequitate justa petenda sit causa, cur Summus Pontifex eamdem indulgeat. Constat enim apud omnes dominium bonorum Ecclesiae esse penes Christum Dominum, et eorum supremam administrationem penes S. Pontificem *ex Doct. D. Thomae 2.2. quaest. 100. art. 1. in respons. ad 7. Sotus de justitia, et jure lib. 3. q. 6. art. 2.* Et qua absolutus Administrator potest fructus unius Ecclesiae alteri Ecclesiae concedere *Lotter. de re Benef. lib. 1. quaest. 22. num. 18.* Aequitas in praesenti causa concurrere videtur ex eo quod Hospitale, qui fructus erogat in curandis infirmis, et excipiendis expositis redditus annuos habet impares ad haec onera sustinenda. Ei namque deficiunt annua scuta 50., ita ut si aes alienum dimittere deberet, infirmos, et expositos ejicere, cogeretur, aut saltem haud amplius recipere posset; id quod inhumanitatis notam non effugeret. Loca vero pia, a quibus condonatio poscitur ex suo instituto in opitulandis pauperibus reditus, quibus abundant erogare tenentur. Videant ergo EE. PP. utrum haec condonatio favore Hospitalis in pauperum levamen speciem praeseferat commutationis voluntatis, quae justa intercedente causa a Sum. Pontifice fieri potest, praesertim cum nullum iisdem Locis Piis afferat detrimentum.

Observandum tamen est, quod Deputati Locorum Piorum: alii pure assentiuntur, ut sunt Deputati haereditatis *Boldrini*, *Sodalitii Charitatis*, *et Montis Felcini*: alii sub conditione assensum praebent, ut sunt Deputati haereditatis *Chiapolini*, qui subministrarunt Hospitali scuta 97. 57., eaque condonare parati sunt, dummodo sibi condonentur scuta 41. 52., quae debent *Monti Pietatis*. Itidem Orphanatrophium remittit Hospitali scuta 199., quae commodavit, dummodo eadem summa sibi remittatur ex majori Montis Pietatis credito. Deputatos vero haereditatis *Particelli*, *et Modesti*, quae Monti Pietatis unita sunt, non interrogavit Episcopus, sed affirmat eorum redditus uberiores adeo esse, ut nedum expensis faciant satis, sed etiam pecunias superextantes foeneri collocent, ut propterea nihil detrimenti ex condonatione capiant.

Haec prae oculis habeant EE. PP. in deliberando sesequenti Dubio -

An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro condonatione in casu etc.

Die Sabathi 8. Februarii 1817. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilii, in qua præter alia proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

CIVITATIS PLEBIS CONGRUAE. Sess. 24. Cap. 13. de Reform.

An, et quomodo sit locus augumento congruae Parochi S. Mariae Nemorum in casu etc.

Dilata, et ad Mentem: Mens est, ut scribatur Episcopo pro transmissione Status activi; et passivi utriusque Pareciae, et presertim notula decimarum tam personalium, quam praedialium, quae solvantur a Parroehianis S. Mariae Nemorum.

SANCTI MINIATIS VISITATIONIS SS. LIMINUM. Sess. 24. Cap. 14. de Reform.

I. *An, et quomodo Canonici Cathedralis Sancti Miniatis absentes ad audiendas confessiones in eadem Ecclesia Cathedrali, quo tempore confessiones audiunt pro presentibus haberi debeant, ita ut lucrari possint quotidianas distributiones in casu etc.*

II. *An, et quomodo iidem Canonici absentes ad Missam in eadem Ecclesia Cathedrali celebrandam tempore choralis officiaturae lucrari possint distributiones quotidianas in casu etc.*

III. *An distributiones quotidianae lucrari debeant a Canonicis singulis horis officiaturae. seu potius dimidium ad Missam cantatam Conventualem, et aliud dimidium ad Vesperas, et Matutinum juxta introductam consuetudinem in casu etc.*

IV. *An, et quomodo sit concedendum indultum absentiae a choro duobus Canonicis comitantibus Episcopum in Sacra Visitatione in casu etc.*

Ap I. Negativa in omnibus excepta Paenitentiario.

Ad II. Negetive nisi de licentia Praefecti choro in populi commodum.

Ad III. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ad IV. In casu de quo agitur attenta tenuitate reddituum affermative juxta votum Episcopi.

Sess. 24 Cap. 13. de Reform.

SANCTI SEVERINI.

I. *An Sacerdos Joseph Egidi, et Laicus Thomas Porri pertineant ad Paraeciam Cathedralis, seu potius ad Paraeciam S. Laurentii Civitatis S. Severini in casu etc.*

II. *An delatio SS. Eucharistiae ab Ecclesia ad domum Congregationis fieri possit per aditum subterraneum in casu etc.*

Ad I. Affirmative ad primam partem, negative ad Secundam.

Ad II. Negative donec redeat ad domum Religiosa Communitas, et interim Episcopus curet clausuram januae.

Sess. 7. Cap. 15. de Reform.

FOROSEMPRONIEN CONDONATIONIS.

An, et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro condonatione in casu etc.

Affirmative juxtu votum Episcopi.

ROMANA CENSUS. Proposita fuit haec Causa in Congregatione *diei 22. Julii* 1815. postulante Petro Salvi condonationem fructuum census super ejus officio Notarii impositi a mense Aprilis 1811. ad Mensem Maji 1811. quo tempore ob non praestitum Romanae Ditionis Occupatoribus juramentum ejusdem Officii exercitio fuit interdictus. E contra Canonicus Paulus Corsi, cui debebantur fructus Census, qui fundus est suae Cappellaniae, postulabat satisfactionem scut. 101. pro Missis praedicto tempore in deportatione celebratis. Disputato Dubio - *An, et quomodo sit annuendum precibus in casu etc.* in sequenti Congregatione *diei* 19. *Augusti* rescriptum prodiit - *Affirmative juxta Votum Emi Vicarii assignata nempe medietate reddituum pro eleemosina Missarum jam celebratarum usque ad integram satisfactionem, et altera medietate pro Missis celebrandis facto verbo cum Sanctissimo.* Quam Resolutionem Sanctissimus referente Eminentissimo de Gregorio tunc emeritissimo S. Congregationis Secretario ex *Rescripto diei* 25. *Augusti* 1815. probavit.

Hinc Eminentissimus Urbis Vicarius Decretum exequtoriale *die* 9. *Aprilis* 1816. interposuit, in quo mandavit - *praevia absolutione quoad praeteritum, ut incipiendo a die* 13. *Maii anni* 1814. *Petrus Salvi persolvat Canonico Paulo Corsi Cappellano annua scuta sexaginta quinque pro fructibus Census impositi in Officio Notariatus sui cum hac lege, ut scuta quatuor, et obuli quinquaginta sint pro utensilibus, reliqua vero summa quoad medietatem Dominus Corsi teneatur celebrare tot missas, quot ipsi summae respondere possunt. Integre autem satisfacto credito saepedicti Canonici Corsi onera Missarum ad suum plenum adimplementum redeunda esse decernimus,*

Verum S. Congregatio Visitationis Apostolicae nonnulla excitavit dubia super exequutione hujus Resolutionis S. Congregationis. Quorum solutionem cum postulasset Petrus Salvi, iterum a me rogata est sententia Eminentissimi Urbis Vicarii, ex cujus *Informa-*

matione, tum quae sint dubia, tum solutiones, quas proponit, cognoscere EE. VV. poterunt. *Post haec* inquit, *Sacra Visitationis Apostolicae Congregatio nonnulla super edita resolutione excitavit dubia, an scilicet haec fuerit Sacrae Concilii Congregationis mens, ut Petrus Salvi fundi censiti Possessor ab omnium fructuum solutione absolveretur, qui a die* 1. *Aprilis anni* 1811 *usque ad mensem Maji anni* 1814. *quo fundi recuperavit possessionem, decursi fuerant: praeterea, an eleemosina Missarum celebratarum manualis esse deberet, sive potius obulorum viginti ex fundationis lege. Cum Sacra Concilii Congregatio meam in hac re sententiam adprobare dignata fuerit, ego quidem in meo voto censui, ut Petrus Salvi ab omnium fructuum solutione absolveretur, qui a die* 1. *Aprilis anni* 1811. *usque ad mensem Maji anni* 1814. *fuerunt decursi: quod non aequum esse videbatur, ut is, qui ob suam pietatem, et in Summum Pontificem obsequium fundum perdiderat, et sui muneris exercitio fuerat interdictus, nihilominus Census fructus persolvere teneretur. Quod vero ad Missarum eleemosinam attinet, nunquam ego putavi fundatoris voluntatem esse innovandam; nec ulla suberat causa, quamobrem innovare oporteret. Hac igitur semper sententia fui, ut Missarum celebratarum, et celebrandarum eleemosina ex fundationis lege, scilicet in obulis viginti praestaretur. Et reapse sive meum Votum, sive hujus Sacrae Congregationis Resolutio Sanctissimi oraculo confirmata, sive tandem Decretum executoriale recolatur, nullum ab his argumentum inferri potest, quod diversam ab hac sententiam suadere videatur. Illud hodie praetereundum non esse arbitror, quod cum ex dimidio in Ecclesia S. Mariae de Suffragio onera impleantur, aequum esse videatur, ut utensilium nomine non integra scuta* 4. 50. *Ecclesiae Sacrario, ut antea, solvantur, sed scuta duo, et ob.* 25. *pro onerum implendorum ratione, utque reliqua scuta duo, et ob.* 25. *in onerum impletorum, et implendorum satisfactionem convertantur* –

Tria

Tria itaque declaranda eruntab EE. PP. *Primum*, an Petrus Salvi absolvendus sit quoad solutionem fructum præteritorum a mense *Aprilis anni* 1811. ad Mensem *Maji Anni* 1814. quo tempore ab officio depulsus est. Et sane si S. Congregatio Visitationis Apostolicæ concedit absolutum fuisse Salvium pro *Scutis* 101., quae Capellano pro Missis celebratis debentur, eadem sane ratio habenda videtur pro aliis fructibus; cum æquitati consonum sit, Salvium non adigere ad solutionem fructuum illius census, cujus fundus infructuosus eo tempore fuit. *Altera* declaratio est quoad Eleemosinam, in qua taxandæ sint Missæ. Aperta in hoc est fundatoris voluntas, qui jussit, ut ex fructibus assignatis - *se ne facciano celebrare tante Messe la settimana, quante ve n'entreranno alla ragione di Giulii due per ciascheduna* - *Tertia* declaratio est quoad utensilia, quæ Emus Vicarius censet solvenda esse, habita proportione ad Missas quæ juxta indultam reductionem erunt celebrandæ. Declarationes hujusmodi facere dignentur EE. PP. sub sequenti Dubio. -.

An, et quomodo sit standum, vel recedendum a decisis, in casu etc.

In Decis juxta votum Eminentissimi Urbis Vicarii.

REATINA IRREGULARITATIS. Sacerdos Victorius Lanna ex Oppido Collisalti *Die* 10. *Julii* 1798. cum Fratrem suum a Michaele Cassini baculo percussum, humi projectum, et prope moriturum vidisset, ira accensus eo vel magis, quia Cassinus pridie duas ejusdem sorores turpi, sed inutili conatu adortus erat, cum fortuito in illum incidisset

Sess. 14. *Cap.* 7. *de Refor.*

set, exploso missile igneo eumdem sauciavit, ex quo vulnere paulo post occubuit. Criminalis quæstio a Curia Episcopali constituta est in Sacerdotem Lanna, qui e carceribus evasit in tumultu *insurgentium*, et procul a patria octennio exulavit. Anno tandem 1806. stipulato Instrumento *die* 25. *Septembris* Mater, Fratres, et Sorores occisi Cassini pace facta, et remissione indulta consenserunt, ut apud Patrium Oppidum Collisalti rediret, dummodo per alios tres annos procul abesset, et expensas reficeret. Qua ex re Curia Ecclesiastica eumdem absolvit ab homicidii crimine, dummodo condictiones servaret a Consanguineis occisi interpositas. Has omnes adimplevit sacerdos Lanna.

Interea supplicavit hanc S. Congregationem pro Dispensatione ab Irregularitate, et *Mense Augusti* 1807. rescriptum fuit *supplicet elapso triennio*. Quo expleto in patriam reversus, ob rerum publicarum perturbationem haud potuit ad S. Sedem iterato recurrere. Nunc igitur post undeviginti annos, quibus fuit irregularitati obnoxius dispensationem postulat. Episcopus exposita confirmans testatur irreprehensibilem fuisse vitae rationem a Sacerdote habitam ante patratum homicidium. *Postea vero nihil habetur contra mores, et Ecclosiasticam mansuetudinem. Defuncti Michaelis propinqui auditi plenum consensum praestiterunt, in quantum ex ipsis est, pro Sacerdote Lanna, uti ex Folio, quid pariter conjungo. Poenitentiam salutarem impositam peregisse Lanna, de certo asserere non possum, sed probabiliter credendum est ex ipsa vitae moderatione, proindeque non scandalum in Populo timendum ex rehabilitatione Oratoris ad divina peragenda; immo potius desideratur. Utilem et necessarium quoque judico Oratorem in mea Dioecesi, quae caret Sacerdotibus, proindeque putarem rehabilitandum esse attenta quoque diuturnitate temporis, ex qua est patratum homicidium, et poena irregularitatis affligitur.*

Ex homicidio voluntario contrahitur Irregularitas *ex Cap. Suscepimus. De Homicid. Trid. Ses.* 14. *Cap.* 7. *De Ref.*

Ref. Et quamvis Orator in aestu irae Michaelem Cassini vulneraverit; attamen dici non potest praeter intentionem homicidium commisisse, cum armatus incederet contra expressum interdictum *Clementinae* 1. *De vita, et honest. Cleric.* ut si non in causa, saltem in effectu homicidium voluntarium dicendum sit ex Doctrina *Fagnani in Cap. Quidem de Homicidio num.2. Monacel. formul. legal.* 3. *num.* 54. S. Congregatio *in Feretrana Irregularitatis* 19. *Decembris* 1801. Et ex homicidio commisso flagrante ira incidi in Irregularitatem censuit eadem S. Congregatio *in Feretrana Irregularitatis 22. Januarii* 1737. *in Brixien. Irreg.* 19. *Januarii* 1765. Verum quia iracundia a recto consilio mentem exturbat, videant EE. PP. an commiseratione dignus ipsis videatur Sacerdos Lanna, cui statim, ac pene mortuum vidit fratrem, furor ministravit arma contra Cassinum, qui etiam pridie sororum ejus honori vim inferre conaverat.

Agitur de Homicidio ab annis decem, et novem commisso. Porro ad obliterandam criminis memoriam satis habetur decennium ut in *Vicentina Irregular.* 13 *Decembris* 1790. Accedit compositio partis, et sententia absolutoria. Boni concurrunt mores ante commissum crimen, et laudabilis vitae ratio tum cum a Patria exulavit, tum etiam post redditum. Commendatur ab Episcopo, qui ejusdem Praesbyteri rehabilitationem nec Populo esse scandalo affirmat, cum exoptetur, immo necessarium judicat in sua Dioecesi, quae Sacerdotibus indiget. His concurrentibus S. Congregatio dispensationem ab Irregularitate concessit *in Agrien. Irregularitatis* 31. *Maii* 1790. *et in Abbellinen. Irreg.* 17. *Septembris* 1808.

Non praetereundum hanc S.Congregationem sollicitam semper fuisse de peracta poenitentia. Incertum vero est, an illam Orator peregerit: ait enim Episcopus - *Poenitentiam salutarem impositam peregisse Lanna de certo asserere non possum, sed probabiliter credendum est, ex ipsa vitae moderatione*. Attamen videndum, num undecim annorum exilium, et un-

deviginti annorum irregularitas tanti sint, ut loco poenitentiae haberi possint.

Dubium est.

An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab Irregularitate in casu etc.

Affirmative peractis exercitiis spiritualibus pro tempore, et loco arbitrio Episcopi designandis.

Sess.23.Cap.9. De Reform.

JANUEN. REDUCTIONIS Joannes Baptista Masnata testamento anni 1763. jussit, ut ab haeredibns suis duae instituerentur perpetuae Cappellaniae cum onere Missae qnotidianae; atque *per l' assegnamento annuale per le sopradette Cappellanie, che dovrà essere di lire* 250. *moneta di Genova, per ciascuna delle due Cappellanie, ordino, e voglio nel caso non si facesse da me l' impiego corrispondente, che dall' Erede s' impieghi ne' Monti, o Magistrati di questa Città di Genova, ove meglio stimerà un tal capitale, che possa produrre il sudetto annuo reddito di lire Cinquecento*. Antequam tamen ipse Testator e vivis excederet pro fundo Cappellaniarum designavit quoddam *Capitale, che teneva in un publico impiego della propria Città di Genova* jubens haeredi suo, ut si constitutum *Capitale* periret, *dovesse altro rinuovarsi, e se il secondo, ed altri successori corressero la stessa sorte, così che altro più non vi rimanesse di sua eredità, obbliga, e destina i stabili ad un tale oggetto*. Hujus Joannis Baptistae Masnata uxor *Rosa Grondana*, et ipsa in testamentariis tabulis anni 1784. Cappellaniam perpetuam instituit injuncto onere Missae quotidianae *con impiegare a tale effetto la somma di lire Ottomila settecento sessanta per fondo della medesima Cappellania in compra di tanti effetti stabili, o sia Luoghi di Monti, oppure in altri impieghi ove meglio stimeranno i miei eredi*. Quae summa

ma in investimentum erogata dabat annuas Libras 350.

Quemadmodum Joannes Baptista Masnata praeviderat, ita sane evenit, constitutum pro gemina ab ipso institutta Cappellania *capitale* periisse. Nihilominus ejusdem Nepos, et haeres Franciscus Masnata celebrationem Missarum implevit, quin ta nen alium, ut Testator jusserat, fundum subrogaverit. In testamento vero, quod ipse scripsit *anno* 1793. memorans voluntatem praedefunctae Conjugis *Mariae Celestis* (quae licet intestata obiierit; attamen volutabat animo Cappellaniam cum onere Missae quotidianae instituere) jussit filiis, et haeredibus suis Joanni Baptistae, et Nicolao Masnata, *che qualora non venisse adempita in mia vita, si eseguisca dopo mia morte colla possibile brevità dalli suddetti due miei figli, ed eredi, ed a carico della mia eredità con fare l'impiego necessario per l' annuo reddito di lire 250. per detta Cappella, ne' publici impieghi, ossia monti perpetui di questa Città, ed anche fuori etc.*

Fatentur modo Joannes Baptista, et Nicolaus Masnata, se numquam curasse investimentum pro fundo geminae Cappellaniae a Joanne Baptista Masnata seniore institutae, neque pro Cappellania ab eorum parente Francisco Masnata imperata, atque investimenta hujusmodi ommississe ob publicas, privatasque, quas in commercio tulerunt, calamitates. Nihilominus usque ad annum 1800. curarunt celebrationem Missarum omnium ex quatuor hisce Cappellaniis injunctarum, pro quibus eleemosynam in annuis *Libris Genuensibus* 1100. impenderunt. Cum tamen hisce oneribus impares essent ex Rescripto diei 18. *Junii* 1800. Archiepiscopi Januensis *Lercari* Apostolicis facultatibus muniti, obtinuerunt suspensionem ad decennium trium Cappellaniarum, celebrata Missa quotidiana pro quarta Cappellania ad eleemosynam *solidorum viginti Januensium*. Quae quidem suspensio ad aliud *decennium* prorogata fuit *anno* 1810. ex Rescripto Emi Spina iisdem facultatibus Apostolicis aucti.

Antequam hoc postremum decennium ad exitum perveniret, cum Fratres Masnata foro cessissent, et a

commercialibus negociationibus recessissent, ut aes alienum dimitterent, coacti fuerunt versuram facere, pecuniasque foenori conducere. Hinc Summum Pontificem supplicarunt, ut perpetuam eisdem concederet reductionem. Delegatis precibus ad S. hanc Congregationem *die* 27. *Aprils* 1816. rescriptum fuit - *Recurrant tempore habili* - scilicet expleto decennio suspensionis. Preces nunc renovant idcirco quia, cum ingentis pecuniae foenori acceptae immineat restitutio, ne exequtionibus obnoxii sint, partem bonorum alienare coguntur, quod facere nequeunt, nisi vincula hypothecae pro oneribus Missarum, pro quibus bona obstricta sunt, super uno fundo cohibeantur ita, ut reliqui fundi alienandi ab hisce oneribus immunes fiant. Emus Archiepiscopus transmittit statum *activum*, *et passivum* patrimonij Fratruum Masnata. Ex hoc patet ab iisdem possideri fundos aestimatos in *Libris Januensibus* 67850. qui gravantur aere alieno ab anno 1804. in posterum ab ipsis Fratribus Masnata contracto in *Libris* 44850., ut liberi ab hypothecis sint pro *Libris* 23000. Annuus vero fructus iuxta praeteritum *duodemnium* calculatus ascendit ad annuas *Libras* 5380 10. ex quibus detrahendae sunt usurae ex contracto aere alieno debitae in annuis *Libris* 2839. 05. et supersunt annui reditus in *Libris* 2541. 05.

Archiepiscopus refert *Oratores olim valde divites fuisse negociatores in hac Civitate, et missarum onera quoad licuit, singula exacte adimplevisse. Redditus bonorum nulla sane Oratorum culpa perierunt, aut decreverunt, sed haec imminutio ex calamitate temporum, et passis infortuniis omnino habuit originem, neque ulla opes est eorumdem augmento, ex quo Oratores a mercatura recesserunt, et nil aliud possident praeter bona in adnexo statu descripta. Annui bonorum fructus summam conflant Scutorum* 807. *circiter monetae Romanae, ex qua detrahenda sunt publica vectigalia in summa Scutorum* 49. *circiter. Detrahenda insuper occurrit summa pro actuali quotidianae Missae adimplemento scutorum* 45. *Non mediocres expensae pro manutentione bonorum, quorum nonnulla torrens vulgo di Ramairone alluit, qui hiberno prae-*

praesertim tempore pluries muros, quibus bona sustinentur, diffringit. Alia ex natura loci sunt posita in collibus praeruptis, atque ex pluviis maceries dilatatae scinduntur, adeoque majoribus indigent reparationibus, et expensis. Addendum etiam est, aliquando fortasse futurum, ut filius alterius ex Oratoribus una cum uxore ex Calabria ad patriam remeare contingat, et vivendum ipsi foret ex hisce communibus reditibus. Facile ex his EE. VV. intelligent impares esse omnino enunciatos fructusad onera singula Cappellaniarum sustinenda, et ad alimenta licet moderata Oratoribus praebenda. Qua proter reducendas Cappellanias arbitrarer de quibus, ad unam tantummodo quotidianam cum congrua eleemosina, cum obbligatione, ut si quandocumque ad meliorem fortunam Oratores devenerint, praedictis oneribus proportionate satisfaciant.

Tum Joannes Baptista Senior Masnata, et Franciscus ejus Nepos; tum Rosa Grondona, qui quatuor instituerunt Cappellanias praecipue jusserunt, ut haeredes fundum proprium pro Cappellaniis constituerent. Si haeredes imperata facere neglexerunt, pro adimplemento Missarum etiam de proprio tenentur, eoque magis, cum fundos possideant ex fundatoribus provenientes. Ex his nunc redeunt annuae *Librae* 5380.10., unde quatuor Missae quotidianae celebrari possunt cum requiratur annua summa librarum *mille*, siquidem pro unaquaque Fundatores assignarunt annuas *Libras* 250. Ubi vero pares oneri sunt redditus, immo illud longe excedunt, reductio denegari solet, ut S. Congregatio *in Ostunen. Reductionis Missarum 4. Decembris* 1784. *et in Capuana Reductionis Missarum* 15 *Decembris* 1792. *et in Maceraten. Reductionis Missarum* 12. *Junii* 1794. Quin rem mutet si redditus hujusmodi diminuantur ad annuas *Libras* 2839. 05. ex usuris debitis pro aere alieno contracto. Nam hoc debitum non provenit ex haereditatibus fundatorum Cappellaniarum, sed illo sese implicarunt haeredes. Praeterea annui redditus qui liberi supersunt in *Libris* 2541. 05. ferre possunt onus quatuor Cappellaniarum, quae requirunt annuas *Libras* 1000.

Ni-

Nihilominus videant EE. PP. num indulgentia adhibenda sit Oratoribus, qui ex publicis, privatisque calamitatibus fortuna caeciderunt, cum paupertas obbligati pro justa causa reductionis habita fuerit ab hac S. Congregatione in *Isernien. 26. Novembris* 1723. *in S. Severini* 13. *Junii* 1725. *et in Fanen.* 22. *Novembris* 1738. *et in Alben.* 24. *Martii* 1792. *ad II. Dub.* Accedit quod Oratores sunt patroni, et consanguinei Fundatorum, quibus ex aequitate canonica succurritur ex fructibus etiam Cappellaniarum *ex Tex. in Can. Decernimus* 16. *quaest.* 7. *et in Cap. Nobis de jurepatron.* atque id etiam fieri solet per reductionem Missarum, ut in *Nucerina Paganorum Reductionis Missarum* 15. *Septembris* 1788. Verum quidem est quod ex redditibus liberis patrimonii supersunt *Librae* 2541. o5. Sed si demantur *Librae Mille* pro eleemosina quatuor Missarum hebdomadalium supersunt Librae 1541.o5. ex quibus solvenda sunt vectigalia, et faciendae reparationes pro manutentione bonorum, quemadmodum Emus Archiepiscopus observat in sua *Informatione*; itaut non haberent Fratres Masnata quantum ad eorum substentationem sufficeret.

Dubium proponitur.

An, et quomodo sit locus reductionis in casu &c.

Negative; et Emus Archiepiscopus incumbat assignationi fundorum pro quatuor Cappellaniis ad formam fundationem, et Oratores expleto decennio recurrant.

Sess. 23. Cap. 9. de Reform.

RIPANA NOMINATIONIS Magdalenam Guerrieri sororem suam, ejusque virum Josephum Isopi testamento anni 1715. haeredes instituit Joannes Guerrieri, eisque defunctis jussit, ut ex bonis suis - *se ne debba formare un Patrimonio mero, e laicale per una persona povera acciò possa ordinarsi agli Ordini Sagri, e farsi Sacerdote, quale sia obligato di celebrare, o far celebrare due Messe la settimana ec.*, *e che il Sign. Curato pro tempore di S. Gregorio, e*

Mar-

Margarita di questa Città possa, e debba eleggere il Chierico, ad effetto possa ordinarsi agli Ordini Sagri, con questo però, che essendovi Chierico nella Casa Guerrieri, Parenti, ed Attinenti al medesimo, sia sempre preferito il più povero sino al quarto grado inclusive, sì di linea Mascolina, che Femminina, e terminata la medesima linea come sopra, allora debba darsi detto Patrimonio ad una persona più povera del quartiere di Capo di Monte, che voglia farsi Sacerdote, non essendo altro l' intenzione di esso Testatore, che di far bene a persona povera, acciò possano promoversi agli Ordini Sagri.

Postremus, qui juxta Testatoris voluntatem hoc Patrimonio potitus est, fuit Sacerdos Augustinus Guerrieri, quo defuncto, *die prima Julii anni* 1802. Parochus Cathedralis Ripanae oretenus nominavit Clericum Bernardinum Jezzi, quin ullam in Actis Curiae praesentationem emiserit. Verum ne Jezzius nominationis compendio frueretur, impedimento fuit *Rescriptum Sanctissimi die* 24. *Junii* 1802, in quo Anna, et Clara Guerrieri Sorores ultimi possessoris implorarunt, attenta paupertate, applicationem redituum Beneficii, quoad viverent. Hisce defunctis *anno* 1814. Parochus, sui muneris esse putavit Clericum Jezzi rogare, ut se idoneum quoad scientiam redderet, qua posset ex titulo hujus Patrimonii ad Sacros Ordines promoveri, sin minus ut nominationi renunciaret. Fatetur Jezzius studiis operam dare non potuisse attenta paupertate, et praeteritorum temporum vicissitudinibus; Nihilominus postulat frui patrimonio absque onere ascendendi ad Sacros Ordines, sive quia pauper, est, et longum servitium *annorum viginti* in Sacrario praestitit, sive quia gravatur onere alendi sororem apoplexi laborantem.

Quominus tamen id consequatur, obstat Clericus Aurelius de Luca, qui pauper et ipse est, in seminario manens, atque affirmat posse se consequi nominationem a Parocho Cathedralis. Super hisce precibus a Jezzio, et de Luca oblatis rogata est sententia Vicarii Capitularis audito Parocho Bassotti. Hic testatur - *che fuori del Parroco della Catedra-*

drale niun'altro ha alcun interesse, e dritto su questo Patrimonio; che tutti i Parenti contemplati dal Testatore insino al quarto Grado sono morti; che il Chierico Jezzi è affatto inabile agli Ordini Sagri; che accordandosi al suddetto Jezzi la grazia di poter godere detto Patrimonio si arrecherebbe pregiudizio ad altri Chierici poveri di questa Parrocchia, tra li quali si conta Aurelio de Luca Alunno in questo Seminario, e si defrauderebbe la mente del Testatore. Addit tandem, idcirco de nova nominatione abstinuisse, dubitans quod collatio devoluta esset ad Sanctam Sedem. Vicarius vero Capitularis narrata confirmans ajt - *Quod cum Bernardus Jezzi in aetate sit constitutus triginta septem annorum omnium scientiarum expers etiam elementarium, cum in habitu clericali non incedat quasi impossibile videtur ad Sacros Ordines ascendere*.

Haec praecipua fuit fundatoris voluntas, cum hoc patrimonium laicale instituit, scilicet - *di far bene a persone povere, acciò possano promoversi agli Ordini Sagri* - Quare si Clericus Jezzi jam *triginta septem* annos natus idoneus non est ad Sacros Ordines, quia caret scientiis etiam elementaribus, et in habitu laicali incedit, profecto illius nominatio pugnare videtur cum Testatoris voluntate. Verum id sine sua culpa accidisse contendit, quia Pontificio Rescripto impeditus fuit, ne Patrimonii possessionem, et fructus nancisceretur, ideoque tum ob inopiam, tum ob anteactorum temporum vicissitudines studiorum cursum intercipere coactus fuit. Sed perpendendum quanti haec valeat excusatio in viro, qui de tempore aediti Rescripti vicesimum quintum jam numerabat annum; quique verbalem tantum nominationem fuerat assecutus, quae potius promissio de eo nominando, quam vera, et effectiva nominatio videtur.

Demum petitae a Jezzio derogationi voluntatis Testatoris, ut possit frui patrimonio absque onere ascendendi ad SS. Ordines, favet ejus summa paupertas, servitium per viginti annos sacrario Ecclesiae praestitum, et necessitas alendi Sororem; sed è contra nullam cum Fundatore Jezzius habet consan-

consanguinitatem, quae illi, ejusque sorori jus tribuat ad alimenta; nec facile ad aequitatem flectendum est, ubi praejudicium inferatur Clericis, qui nominari possent juxta mentem fundatoris.

Clericus autem Aurelius De Luca ut pote pauper, et studiis in Seminario operam navans, haberet quidem requisita in fundatione praescripta, sed caret hactenus nominatione ipsius Parrochi. Cui quidem nominationi impedimento non est lapsum fere biennii a cessato impedimento, cum agatur de patronatu laicali, quod, cum Beneficum non sit, reservationibus, et regulis Cancellariae non subjacet ut *Tex. in Clem.* 2. *de Praebend.* tradit. Rota *Decis.* 101. *num.* 1. *cor. Dunozzet*, *et in Aversana Cappellaniae* 28. *Junii* §. 3. *cor. Calcagnino* et S. Congregatio *in Firmana Cappellaniae super exequtione Litterarum Apostolicarum* 15. *Septembris* 1804.

Dubium est

An servanda sit nominatio Clerici Bernardini Jezzi, ita ut ab eo retineri possit patrimonium in statu clericali derogata lege fundationis, seu potius Parochus Cathedralis Ripanae procedere possit ad novam nominationem in casu etc.

Non proposita cum sequenti.

MARTURANEN REDUCTIONIS, ET TRANSLATIONIS. Cajetanus, et Caesar Palloni ex adversariis familiaribus noverunt a pluribus annis neglectam iri celebrationem plurimarum Missarum ex diversis legatis, quae ita enumerat Vicarius Capitularis. *Sess.* 23. *Cap.* 9. *De Reform.*

„ Pro Legato *Mauritii Palloni* annuas Missas *nonaginta*. Constat de adimplemento in totum usque

„ ad

,, ad annum 1775 : pro duàbus tertiis partibus ab
,, *anno* 1804 ad praesentem.

,, Pro Legato *Giliberti Palloni* annuas Missas *trede-*
,, *cim*. Onus incognitum, et inadimpletum ab *an-*
,, *no* 1763.

,, Pro Legato *Theresiae Galtieri semel in hebdomada*
,, Missas *quinquaginta duas*. Onus incognitum, et
,, inadimpletum ab *anno* 1763.

,, Pro Legato ejusdem *Theresïae semel in Mense* cum
,, cantu Missas *duodecim* onus inadimpletum ab *an-*
,, *no* 1804.

,, Pro Legato *Dominici Palloni semel in hebdomada*
,, Missas *quinquaginta duas*. Onus incognitum et ina-
dimpletum ab anno 1763.

,, Pro Legato *Hippolitae Palloni* annuas Missas *trigin-*
,, *ginta duas*. Onus incognitum, et inadimpletum
,, ab *anno* 1763.

,, Pro Legato *Dorotheae Veser semel in hebdomada*
,, Missas *quinquaginta duas*. Onus incognitum, et
,, inadimpletum ab *anno* 1763.

,, Pro legato *Clarae Galteri bis in Hebdomada* Missas
,, *centum quatuor*. Onus incognitum, et incertum
,, ideoque inadimpletum ab anno 1763.

Haec onera, quae conficiunt annuum Missarum numerum *tercentum septemdecim*, si esset implenda, requirerent summam *Scut*.850. et pro aliis oneribus Eleemosinarum, quae pauperibus erant distribuendae, necessaria foret alia summa *Ducatorum* 150. Impares sunt Oratores hisce oneribus, et attenta paupertate reductionem postulant quoad futurum: absolutionem quoad praeteritum: et praeterea translationem unius Missae, quae singulis Feriis III. in publico Oratorio aedibus Supplicantium, qui ejusdem Patronatu fruuntur, contiguo celebranda esset, ad dies Dominicos, et Festos in Populi commodum.

Vicarius Capitularis testatur impotentes esse Oratores ad haec onera praestanda, cum habeant redditus in *annuis Ducatis* 190., et constet *familia* quindecim capitibus, *senibus*, *pueris*, *mulieribus*, quorum plerique adversa laborant valetudine. Addit adhuc esse incertum ,, *An supplicantes ad ea saltem in majori parte teneantur* : *num capitalia pro iis relicta bonis haereditariis sint adnexa* : *num aliis applicata*, *et di-*

dispersa: num ad alios de cognatione familiae eorum saltem pars aliqua cum haereditariis portionibus transierit, num a majoribus suis, eorum vita durante, fuerit adimpleta etiam post diligentias adhibitas, quod notandum est. Ex his concludit ,, *unicum onus imponendum esse: Missae nempe celebrandae in Oratorio praedicto singulis totius anni diebus Dominicis, et Festivis de praecepto ad commoditatem tum familiae Oratorum, quam totius Paraeciae, et Missae unius anniversariae cum cantu infra octavam Defunctorum, pro omnibus fundatoribus.*

De reductione agitur in *I. Dubio* ad quam concedendam impellere vos possent EE. PP., tum incertitudo onerum, tum paupertas Oratorum; Quamquam enim legata hujusmodi ante *annum.* 1765. *et* 1775. impleta videantur, et ex consuetudine induci possit onus Missarum, ut statuit S. Congregatio *in Romana* 20. *Maii* 1786.*ad I. Dubium et in Aretina Legati* 17. *Septembris* 1808., attamen cum haec ipsa consuetudo nullo innitatur documento, nec constet, qui fundi pro hisce oneribus assignati sint, si alienati, et dispersi; profecto haec ipsa incertitudo satis causae esse videtur ad reductionem concedendam, attenta praecipue paupertate obligati; quam causam alias S.Congregatio ad reductionem concedendam idoneam habuit in *Narnien Legati Missarum* 21. *Maji* 1788. *et in Romana Reductionis* 21. *Junii* 1803.

Si hanc reductionem EE. PP. concedere velint, ad *modum* quod attinet, Vicarius Capitularis proponit, ut firmum relinquantur onus Missae hebdomadalis, et imponatur onus unicae Missae cum cantu infra Octavam Defunctorum, addit etiam, ut Missa hebdomadalis a feria III. transferatur ad dies Dominicos. Quamquam translatio fieri nequeat nisi ex causa necessitatis, et utilitatis, quia secum fert commutationem voluntatis, ut statuit. S. Congregatio in *Vicen. Translationis oneris Missarum* 19. *Aprilis* 1766. *et in Senogallien. Translationis Missarum* 17. *Januarii* 1789, attamen observandum est, quod non agitur de translatione de una ad aliam Ecclesiam, sed de die ad diem; nec deficit causa utilitatis cum in Populi commodum petatur.

Pro impetranda absolutione quoad praeteritum, de qua in *II. Dubio*, nituntur Oratores impotentia, et bona fide. Impossibile quidem videtur ut pro praeteritis ommissionibus suppleant *Ducata mille*, qui habent annuos redditus *Ducat.* 190., atque ex iis alendi sunt quindecim Personae senes, pueri, et mulieres infirmae valetudinis.

Ex onerum vero incertitudine suam derivant bonam fidem, qua concurrente cum impotentia S. Congregatio a Sanctissimo absolutionem exorare solet, ut in *Forolivien. Reductionis 12. Julii 1799. ad II. Dubium.*

Hujusmodi sunt Dubia, quae proponuntur:

I. An, et quomodo sit locus reductioni in casu ec.

II. An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione quoad praeteritum in casu ec.

Die Sabathi 1. Martii 1817. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilii, in qua præter alia proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

RIPANA NOMINATIONIS

Sess. 23. Cap. 9. de Reform.

An servanda sit nominatio Clerici Bernardini Jezzi ita ut ab eo retineri possit patrimonium in statu clericali derogata lege fundationis, seu potius Parochus Cathedralis Ripanae procedere possit ad novam nominationem in casu etc.

Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

MATURANEN REDUCTIONIS, ET TRANSACTIONIS

Sess. 23. Cap. 9. de Reform.

I. *An, et quomodo sit locus reductioni in casu etc.*
II. *An sit consulendum SSmo pro absolutione quoad praeteritum in casu etc.*

Ad I. Dilata, et scribatur Vicario Capitulari juxta instructionem, et interim ad triennisem celebretur unica Missa omnibus diebus festis etiam reductis collective applicanda pro omnibus legatis.

Ad II. Affirmative celebrata infra octavam Defunctorum Missa cum cantu collective pro omnibus fundatoribus ad triennum.

TAU-

Sess. 25. *Cap.* 5. *de Reform.*

TAURINEN ABSOLUTIONIS SUSPENSIONIS, ET REDUCTIONIS. In hac implicatissima causa de oneribus Missarum, quae Capitulum, et Sacrarium Metropolitanae Ecclesiae Augustae Taurinorum implere tenebatur, quaeque vel ob publicas calamitates hactenus omisit, vel ob tenuitatem redituum satisfacere non potest, omnes controversias quoad absolutionem suspensionem, et reductionem illustravit, et patefecit Emus et Rmus Cardinalis De Gregorio, qui rogatus est, ut *rem perpendere*, *et votum suum aperire* dignaretur. Votum hujusmodi integrum hic excripsi.

„ Quae tria Capitulum Metropolitanae *Augustae Taurinorum* a S. hac Congregatione implorat, quaeque ad me EE. PP. delegastis, ut meam Sententiam aperirem, singulatim exponam, subjiciens ea, quae Vicarius Capitularis ad rem explanandam opportuna in facto suppeditat. „

„ I. *Capitulum, et singuli Canonici implorant absolutionem pro Missis a Quindecim Annis non celebratis, quae ascendunt ad numerum Triginta sex millia, et triginta sex.* „

„ Ante perturbationem rerum publicarum Capitularis Massa dabat Annuos reditus Scutorum fere *Sexdecim millium octingentorum*, quae dispertita inter *Viginti* Canonicos, quibus tum constabat Capitulum, singulis congruam substentationem suppeditabat. Altera erat distincta Massa pro Sacrario Metropolitanae, et Cappella Cantorum, quae ex fundis, locisque Montium coalescebat, unde redibant Annua Scuta *Decem millia*; utraque Massa usurpata fuit Anno 1800. ab iis qui res ecclesiasticas sus deque verterunt, et Canonici, licet nunquam Chori servitium intermisissent, attamen non nisi Scuta *Centum* singuli perceperunt. Massa vero Sacrarii, et Cappellae Cantorum, cum omnino sublata fuisset alienatis fundis, et cessata solutione fructuum Locorum Montium, manutentioni Ecclesiae, ejusque servitio piis fidelium largitionibus consultum fuit.

„ Praestat utriusque Massae vices inter publica rerum discrimina cognoscere. Nam advertit Vicarius Capitu-

tularis - *quoad primum petitionem distinguenda sunt Missarum inadimpletarum onera, prout distincti, et separati sunt fundi iisdem gravati. Alia enim a Capitulo, seu a Canonicis; alia a sacristia Ecclesiae Metropolitanae sunt adimplenda*. Primum itaque agam de Massa Capituli mox de Massa Sacrarii, ut distincte cognoscatis EE. PP. quae et quanta onera Missarum inadimpleta jacuerint ".

" Quemadmodum antea dixi usurpata, et alienata maxima ex parte Massa Capitularis, Canonici ab anno 1810. ad annum 1806. singuli perceperunt annua scuta *Centum*. Hoc tamen Anno melior fieri caepit Canonicorum Conditio. Nam ii qui *Augustae Taurinorum* summas Imperii tenebant, *die 8. Junii ejusdem anni* lato decreto, et auctorante Archiepiscopo addixerunt Capitulo tum residuos ex antiqua Massa capitulari reditus, tum fructus Praebendarum Poenitentiarii, et Cantoris Majoris, tum Vicariae Parochialis (nam inter Canonicos cooptatus fuit Vicarius perpetuus, qui pro tempore curam animarum exercet), tum denique emolumenta ex funeribus aliisque incertis stolae, atque hujus Cumuli administratio data est Canonico Syndaco ea lege, ut nullo dignitatuum habito discrimine inter Canonicos reditus partiretur pro eaquali portione, ita tamen ut dimidia pars pro Praebenda staret, dimidia in causam distributionum a Canonicis lucraretur. Ex quibus portio uniuscujusque Canonici *anno* 1807 *et* 1808 adaucta est fere ad annua scuta *Centum sexaginta*".

" Capitulum tamen ante alienationem Massae Capitularis tenebatur multis Missarum oneribus, et novit alia onera hujusmodi subeundat esse ratione eorum bonorum, quae denuo ei addic a fuere, quaeque ex unitis Praebendis proveniebant. Cum dubitaretur utrum haec onera implenda essent, cum par Canonici non haberent emolumentum pro praestando servitio Chori et Celebratione Missarum, ad Archiepiscopum preces Canonici obtulerunt, ut ab hisce oneribus dispensarentur, ab eoque *die 8. Julii* 1806. Rescriptum exorarunt hujusmodi - *Accordiamo al nostro Capitolo la facoltà di sospendere l'adempimento dei pesi, ed obblighi, di cui si tratta insino a che*

ci.

ci pervengano le ordinazioni , e dichiarazioni superiori .

„ Insequentibus annis cumulus hujusmodi Capitulo assignatus excrevit ; primum ex applicatione redituum adhuc superextantium , qui quatuor suppressis Capitulis Collegiatarum inferiorum spectabant ; nec non ex provisoria unione Beneficiorum in ipsa Ecclesia Metropolitana vacantium , quae vel ratione Patronatus , vel servitii Chori , et Ecclesiae visa sunt ad ipsum Capitulum pertinere . Ab anno itaque 1809. ad annum 1814. gradatim aucta est portio singulorum Canonicorum a scutis *biscentum decem* , usque ad *tercentum et viginti.* Bona hujusmodi Collegiatarum suppressarum nullo gravari Missarum onere testatur Vicarius Capitularis , *praeter quam cujusdam Canonicatus Ecclesiae Collegiatae Salussoliae dioecesis , olim Bucellensis , bona , quae paucis Missis in anno , quinque videlicet , vel sex , gravari , tenuem accepit Capitulum auditionem ; Sed de hoc ipsum Capitulum monitum majorem adhibebit diligentiam ad hoc , ut de hujusmodi onere Missarum numero certius factum pro currenti anno , et in posterum adimplementum curet* “ .

„ Veteri , legitimoque Regimine *Augustae Taurinorum* restituto , nihilominus suppressae Collegiatae nondum reintegratae fuere . Sed *anno* 1815. Capitulum Metropolitanum recepit solutionem pensionum domorum Canonicalium , quae a Regio aerario debebatur , unde portiones Canonicorum ad annua scuta *tercentum octoginta* circiter pertingerunt . Sed ab eo tempore , quo primum Massa Capitularis sublata est , Vicarius Capitularis affirmat quod - *novo omnium Missarum inadimpletarum instituto examine constat, earumdem numerum , non solum ad triginta sex millia triginta sex , prout exponitur , sed ad quadraginta octo mille et amplius ascendere , pro quarum celebratione necessaria esset eleemosina ad taxam manualem scutorum quinque millium septingentorum sexaginta.* Ad hanc summam supplendam impares esse Canonicos censet Vicarius Capitularis , quia actu non percipiunt , *minus autem prete-*

te-

teritis annis perceperunt, non dico congruam, sed nec necessariam quidem ex proprii Canonicatus reditibus sustentationem, neque Canonici ipsi, qui nunquam Chori, et Ecclesiae servitio intermisso, tenuitati Canonicalium redituum aliunde supplentes propriis, ita dicam, militabant stipendiis, Missarum oneribus, quibus reliqui Capituli reditus gravabantur, satisfacere insuper potuerunt, neque ullo modo nunc omissionibus praeteritis supplere possunt. Dico nunc omissionibus praeteritis supplere non posse Capitulum, quia pro currenti anno, et in futuro, cum aliquantisper aucti nunc sint Capituli reditus, licet adhuc insufficientes, prout exposui, et quum spes affulgeat aliquam dotationem consequendi, Capitulum ipsum sponte jam decrevit, et curat adimplementum illarum Missarum, quarum fundi gravati intacti remanent, de caeteris aliqua reductione dignis vestrum expectans judicium".

„ Concurrente bona fide, et impotentia supplendi praeteritas omissiones, S. Congregatio consuevit a Sanctissimo exorare absolutionem quoad praeteritum pro inadimplemento Missarum, ut in *Asculana Reductionis 26. Maji* 1769. *in Forolivien Reductionis* 13. *Junii* 1789. Non procul sane a bona fide abesse Capitulum videtur. Nam cum spoliatum esset fundis, quibus constabat vetus Capitularis Massa, justam sane habuit causam suspensionis impetrandae. Deficientibus siquidem fundis, cessat onus superimpositae celebrationis, ceu tradit S. Congregatio in *Lunen. Sarzanen. Reductionis Missarum* 14. *Decembris* 1793. Pro fundis vero, qui ex Massa reliqui fuere, et pro aliis, qui ad unitas Praebendas pertinentes addicti fuere Capitulo anno 1806., tenebatur illud quidem Missas celebrare. At non insolens est, ut ad succurrendam tenuitatem praebendarum Missarum onera suspendantur; quemadmodum fecit S. Congregatio in *Nullius S. Martini* 12. *Septembris* 1801. *ad III. dubium*. Quod si Capitulum justam habuit causam petendi suspensionem Missarum ab Archiepiscopo Taurinensi, quem opportunis censuit munitum facultatibus, ut suspensionem concederet; profecto ex indulta ab Ar-

 chi-

chiepiscopo suspensione oritur in Capitulo bona fides, qua concurrente facilius absolutio quoad praeteritum indulgetur; ut *in Savonen. Suspensionis Onerum 10. Aprilis 1802. ad II. dubium* ".

„ Bonae fidei adstipulatur impotentia supplendi. Nam deficiunt ultra *quadraginta mille Missae*, quas per se cum implere non posset Capitulum erogare deberet *summam* 5760. scutorum pro eleemosina Missarum. Quamquam vero nunc singuli Canonici percipiant scuta *tercentum octoginta circiter*; Attamen Vicarius Capitularis affirmat hanc summam ad congruam sustentationem non sufficere. Quare dum bonae fidei comes accedit impotentia tum absolutio ob praeteritum inadimplementum conceditur ut *in Albinganen. 20. Julii 1793. et in Cassanen. Missae* Conventualis *22. Novembris* 1794. *ad III. dubium* ".

„ Ex his censerem *consulendum esse Sanctissimo pro absolutione quoad praeteritum celebrata una Missa* Cantata *cum interventu totius Capituli pro omnibus omissionibus praeteritis* ".

„ Nunc agendum de Massa Sacrarij et Cappellae Cantorum quae direpta, et spoliata anno 1800., ut antea dixi, inanis et vacua relicta est usque ad annum 1809., quo a Gubernio constituta fuere patrimonia pro fabricis Ecclesiarum, atque pro fabrica Metropolitanae Taurinorum, accedente Archiepiscopi auctoritate, applicata fuere bona quatuor sodalitatum, quae a laica potestate suppressa fuerant. Ex his quotannis percepta fuere *scuta* 1740. quae summa omnino insufficiens fuit expensis necessariis pro restaurationibus et servitio Metropolitanae. *Nil mirum igitur* (concludit Vicarius Capitularis in sua *Informatione*) *Si nullum Missarum, quibus eadem bona gravabantur adimplementum curaverit Ecclesia, immo si ne quidem ab initio facta fuerit investigatio ulla de earumdem Missarum oneribus, quibus, dum insufficientes eorumdem bonorum reditus in alia praescripta onera pro Ecclesiae servitio, et manutentione, et in ipsius necessitates levandas convertendi erant, nullo modo satisfieri poterat. Ex hisce breviter notatis facile est intelligere, actualem Sacristiae Metropolitanae impotentiam* sup-

supplendi Missis omnibus, quarum numerus ignoratur, hinc retro inadimpletis, immò impotentiam quoque, sic stantibus rebus, eisdem Missis in posterum satisfaciendi, donec, congrua dotatione Ecclesia ipsa refecta, sodalitiorum praedictorum bona ut supra attributa ad primordia jura, et onera restituantur. Sodalitia autem ipsa quoad pia eorum publica in Ecclesiis propriis exercitia, et congregationes de facto redintegrata nunc sunt: quoad vero eorumdem bona superiori, ut par est, decreto non sunt adhuc redintegrata. An autem proxime redintegranda, nullum aliud habetur fundamentum, nisi quod Regiis consiliis subjecta est, tractaturque materia de reparandis Ecclesiarum omnium hujusce ditionis resarciendisque damnis perpassis".

„ Quamquam ex supina negligentia investigandi onera Missarum, quae inhaerebant bonis a sodalitiis provenientibus, et Massae hujusmodi applicatis mala oriatur fides; eo tamen res adducta est, ut Sacrarium supplere nequeat praeteritas omissiones: Etenim si omne id quod Sacrarium percipit ex bonis eidem pro patrimonio applicatis, vel saltem pars impendere debeat, carebit profecto unde expensas necessarias pro manutentione Metropolitanae faciat, nec aliunde media suppetunt, unde Sacrarij necessitatibus consuli valeat. Temporum itaque conditio requirit, ut S. Pontifex de Plenitudine Potestatis sanet vulnera ex praeteritis perturbationibus illatis, proptereaque Eidem; aeque pro Missis a Sacrario non adimpletis consulendum censeo *pro absolutione quoad praeteritum celebratis Missis decem*".

„ II. *Postulat Capitulum, ut reducantur illarum Missarum onera, quibus gravantur bona, quae actu capitulum possidet*„.

Ad duo summa capita Vicarius revocat haec Missarum onera, quorum reductio poscitur. ALIA imposita sunt fundis omnino deperditis: ALIA super fundis in parte diminutis. Vos EE. PP. probe noscitis quid in jure constitutum sit ad reductionem concedendam pro varia fundorum conditione, quibus supra onera imposita sunt. Etenim pereunte fundo Missarum, nisi alia adsint bona, vel personae

ad supplendum obbligatae, onus prorsus abrogatur, ut statuit S. Congregatio *in Senogallien Legati* 16. *Junij* 1779. Imminutis vero fundis vel fructibus, reductio conceditur, habita proportione ad partem fundi vel fructuum superextantem ut *in Fossanen Reductionis Missarum* 29. *Januarij* 1791. *et in Vallisoletana* 17. *Augusti* 1793. Hisce praestabilitis investigare oportet singula onera Missarum, ut deliberare possitis quo concedenda modo reductio sit.

„ Et primum de oneribus, quorum fundos Capitulum periisse contendit, atque in his sequar quae Vicarius Capitularis affirmat, licet nullum transmittat documentum fundationis, aut status *Activi vel Passivi* "

„ LEGATUM ab Archiepiscopo VIBO' relictum est in tot Missas, quot ex proventu Scutorum 1111. ad eleemosinam *juliorum duorum* celebrari poterant. Reductum est itaque hoc legatum ad Missas 146. post solutam Regio aerario anno 1797. sextam partem bonorum Ecclesiasticorum ita imperante Summo Pontifice Pio VI. per Breve dato *die* 1. *Decembris ejusdem anni*. Quantitas legata collocata fuit a Capitulo in emptionem bonorum, quae posita erant in regione *Vanchiliae* Territori Taurinensis, quaeque ab usurpatoribus distracta fuere. Peremptus itaque fundus est, nec Capitulum ad implementum legati tenetur ".

„ TRIA ANNIVERSARIA unius Missae Cantatae cum interventu Capituli; *alterum* relictum a Canonico *Discalzi*, in cujus causam legata est quantitas *scutorum* 1105. a Capitulo in Censum erogata, eoque redempto in emptionem Praediorum *Vanchilia* et alterius *Gerbido*; *alterum* relictum a Canonico *Marchetti* legatis scutis 444.; *tertium* tandem a Canonico Tarini relictis pariter *Scutis* 444. Utriusque legati quantitas erogata fuit in acquisitionem Praedii *de Morro*. Praedia hujusmodi quae stabant pro fundo trium horum *Anniversariorum* alienata ab usurpatoribus fuere, adeo ut deficiente fundo legati onus peremptum omnino est ".

„ ONUS duplicis Missae quotidianae, quarum *altera* ex

ex Cappellania nuncupata *de Falletti*, *altera* ex legato dicto *de Cumiana*, utraque in Ecclesia Sanctuarij sub Invocatione S. Mariae Virginis de *Pilonò* ad ripam *Padi* sunt a Capitulo implenda. Ambo haec onera fundum habent in Locis Montium S. Joannis Baptistae Civitatis Taurini, quae Loca Montium a cessata dominatione suppressa fuerunt quoad manus mortuas ita ut, defecto fundo, cessasse onus videtur, donec solutio dictorum Locorum Montium, ut spes est reassumatur ".

" ONERA tandem caetera Missarum, constituta erant vel in Locis Montium, vel in bonis ab usurpatoribus alienatis, quae propterea nunc carent fundis. Haec distinctim non recenset Vicarius Capitularis in sua *Informatione*, sed ea generatim tantum meminit ut declarentur extincta *ea tamen adjecta lege, ut si qui ex hujusmodi fundis ita deperditis in totum, vel in partem tractu temporis reintegrati fuerint, onera pariter adnexa juxta proportionatam reditus quantitatem reintegrata existant* ".

" Quibus ego ita assentior, ut *suspensa maneant anniversaria Discalzi, Marchetti, et Tarini, et Cappellania de Falletti, et legata Vibò, et de Cumiana, et caetera legata, quorum fundus constitutus est in suppressis Locis Montium, vel in bonis a cessato Gubernio alienatis usque dum Loca Montium, vel bona quoquo modo reintegrentur.* Nam cum casus hujusmodi contingere possit, ut vel Loca Montium reintegrentur, vel pro bonis alienatis aliquâ detur compensatio; declaranda non videntur perempta ea onera, quæ super hisce Locis Montium vel super bonis alienatis imposita sunt ".

" Agendum restat de oneribus quorum fundi diminuti sunt. Haec autem diminutio ex eo profecta est, quod hæc onera non habent praecipuos fundos, sed generatim pro his gravata est Massa Capitularis, quae nunc diminuta est ad tertiam partem veteris massæ ob alienationes ab invasoribus commissas, quemadmodum ex comparativo calculo constare affirmat Vicarius Capitularis ".

" Petitæ reductioni illud obstare videtur, quod agitur de oneribus jamdiu acceptatis, et impletis, que

ea-

casu reductio concedi non solet, ut antiquioribus omissis Sacræ hujus Congregationis Resolutionibus definitum fuit *in Novarien Reductionis Missarum, et absolutionis* 12. *Maji, et in Camerinen Reductionis Missarum* 16. *Junij utraque anni* 1792. Quæ eo magis in re nostra obtinent, quo certius est residuam hanc tertiam partem Massæ Capitularis idoneam esse, ut onera Missarum imposita ferat, et, cum pares sint reditus oneribus, Reductio denegatur, ut in *Ostunen Reductionis Missarum* 4. *Decembris* 1734., *et in Apuana Reductionis Missarum* 15. *Decembris* 1792. Nihilominus æquitatis ratio habenda videtur. Nam Massa Capitularis nedum ad sufferenda onera Missarum constituta est, sed etiam ad congruam sustentationem tribuendam Canonicis, qui servitium Chori præstant, quod onus in Ecclesia Metropolitana præcipuum haberi debet. Si igitur vi majori, et ex facto invasorum, nulla interveniente culpa, Massa Capitularis pro duabus tertiis partibus alienata fuit, cum idem maneat chori servitium, succurrendum erit Capitulo per reductionem Missarum, ut factum fuit in *Asculana Missarum* 20. *Aprilis* 1782., et in allegata *Nullius S. Martini* 12. *Septembris* 1801. *ad III. Dub.* in qua concessa Missarum reductio est ad augendam tenuitatem Praebendarum, ne Chori servitium deficeret. Censerem itaque reducenda esse onera Missarum, ad quae tenetur Massa Capitularis, habita proportione ad deficientiam duarum ex tribus partibus Massae, proptereaque onera reducerem ad tertiam partem. „

„ Inter haec onera adnumeranda censeo onus Missarum, quae pro Legato *Boileau* celebrandae sunt, quamquam Capitulum, et Vicarius Capitularis illud retulerit inter onera abroganda attenta peremptione fundi Legati, id quod in totum non subsistit. „

„ Legatum siquidem BOILEAU pro fundo habuit *Scuta mille*, infixo onere Missae quotidianae. Ea *scuta mille* in causam fundi assignata Capitulum erogavit in utilitatem Massaecae vitularis, et pro hoc legato praecipuo hypothe Capinculo subje-

fecit domum rusticam, quam emerat in Territorio *Carmaniolae*, ut meliorem faceret conditionem fundorum. Post solutam *sextam*, de qua supra memini, Legatum hujusmodi *Boileau* ab Archiepiscopo Taurinensi opportunis facultatibus aucto reductum fuit ad Missas *centum octoginta*. Domus vero rustica pro legato obligata una cum fundis ab invasoribus alienata fuit; sed ex fundis quibus domus erat adnexa supersunt adhuc *octo centesimae partes*, quae tamen aliis legatis Missarum subjiciuntur. Praesens vero Massa Capitularis exaequat tertiam partem antiquae Massae quae ut antea dixi ab usurpatoribus, alienata fuit. Ex quibus concludit Vicarius Capitularis fundum hujus legati periisse. Animadvertendum tamen illud est, quod quantitas *scutorum mille* pro hoc Missarum onere legata versa est in utilitatem Massae Capitularis, quae propterea pro legato obstricta manet, nec, si alienata fuit domus pro legato vinculo hypothecae obstricta, idcirco evanuit obligatio super universa Massa. Quare si ex Massa adhuc superest tertia pars, saltem pro tertia parte implendum erit, nempe pro Missis annuis 122. quia agitur de legato unicae Missae quotidianae.

„ Ad tertiam quoque partem reducenda sunt quae sequuntur onera: Scilicet. Onus unius Missae quotidianae, ad quam Massa Capitularis tenetur pro *societate dicta* DE CONSORTIA erecta in Ecclesia Metropolitana. Qualis fuerit fundus hujus oneris ignoratur; constat tamen ad illius implementum teneri Massam Capitularem.

„ LEGATUM Mariae Magdalenae VADAT, pro quo Massa Capitularis tenebatur ad tot Missas, quot reditus ex fundo *scutorum* 444. eidem Massae tradito, qui cum diminutionem tulerit, ex solutione saepius memoratae *sextae*, Missae reductae fuerunt ab Archiepiscopo *ad quinquaginta novem*.

„ LEGATUM ab Anna THERESIA BERGERE Vidua Boasso relictum uniusCantatae, et alterius lectae in die Anniversaria, pro quo legato Massa Capitularis recepta dote in scutis 377. nunc tenetur post solutam sextam ad annuas Missas *quadragintaocto*.

„ Ut heac onera reduci possent ad tertiam partem earum

rum Missarum, quae nunc celebrantur post jam concessam reductionem, scire oporteret, quantum ex originario fundo redibat, ut investigari posset, num aequa reductio ab Archiepiscopo concessa sit. Quamquam enim non concedatur reductio reductionis; attamen cum post semel concessam reductionem supervenerit nova diminutio fundorum, hoc in casu ad iteratam reductionem procedi potest, ut *in Novarien Reductionis Missarum* 7. *Septembris* 1793.

„ Alia tamen sequenda reductionis ratio est pro oneribus, quae mox subjiciam, quaeque ex natura ipsorum ad tertiam partem reduci non possunt, scilicet:

„ ONUS Sex Anniversariorum unius Missae Cantatae pro quolibet, ad quod tenetur Massa Capitularis pro Canonico *Ballard*, pro Canonico *Caresana*, pro Canonico *Saorgio*, pro Canonico *Costa*, pro Archiepiscopo *Rorengo deRora*, pro quibus singulis MissaCapitularis fundum scut. 444 recepit. Et tandem pro Canonico *Benzo* pro quo habuit dotem scutorum 1111. Haec siquidem Anniversaria, cum in una Missa Cantata consistant, ad tertiam partem reduci non possunt sed ad tot missas lectas, quemadmodum Vicarius Capitularis proponit. „

„ ONUS duplicis Missae quotidianae, et unius Missae Cantatae Capitularis singulis *Feriis secundis* pro *Regalibus Sabaudiae Principibus*, in cujus oneris implementum data fuerunt Massae Capitulari bona in Territorio *Carmaniolae*, quorum reditus ante *Annum* 1800 pertingebat *ad Scuta* 968, ex quibus detracta eleemosyna manuali pro duabus Missis lectis quotidianis, reliqua distribuebantur Canonicis interessentibus Missae Cantatae in *Feria Secunda*. Ob alienationes ab invasoribus commissas diminutus est reditus hujusmodi ad *Scuta* 75., quae nec sufficiunt quidem ad celebrationem geminae Missae quotidianae, cum ad eleemosinam manualem deficiant scuta *septemdecim*, nilque reliquum sit pro Missa cantata in *Feria Secunda*. Cum pro hoc onere certus sit reditus, nec pro eo Massa Capitularis teneatur, ad tertiam partem reduci nequit, neque ad unam Missam lectam singulis Feriis secundis prout proponit Vicarius Capitularis, sed ad tot Missas, quot redi-

ditus in *Feria secunda* cujuslibet hebdomadae celebrandas. „

„ LEGATUM unius Missae quotidianae pro Cappellania dicta de *Rasura*. Hujus Cappellaniae dos constituta est in investimento fructifero Scutorum 1822. cum Decurionibus Civitatis Taurinensis, ex quibus redeunt annua scuta 63. et in tot Locis Montium S. Petri hujus Urbis, quorum fructus olim erat scutorum 23. 50.: nulla itaque concedenda est reductio hujus Legati, cum Vicarius Capitularis affirmet, Scuta illa 63., quae a decurionibus Taurinensibus exiguntur, sufficere pro celebratione istius Missae quotidianae, etiam si eleemosyna computetur ad taxam pro legatis perpetuis constitutam. „

„ ONUS Missarum 67, quae celebrandae erant quotannis pro BENEFICIO S. BARBARAE jamdiu extincto, post solutam *sextam* redactum fuit ad Missas *viginti octo*. Assignata pro fundo Beneficii quantitas in Scutis 215. erogata fuit in emptionem census, quo redempto, confusa fuit pecunia ex hoc onere proveniens cum majori quantitate nummorum Capituli, et insumpta in acquisitionem gemini fundi nuncupati „ *de Marenis* „ et „ *de Gerbido* „. Primum venditum fuit a Capitulo pro solutione *sextae partis*; alterum a cessato Gubernio distractum fuit. Hinc Vicarius Capitularis putat peremptum esse in totum vel in parte legatum hujusmodi stante confusione pecuniarum, cum lateat in cujusnam praedii acquisitionem erogata sit pecunia ex Beneficio S. Barbarae proveniens. Si in praedium ab usurpatoribus alienato, omnino peremptum esset onus, sin in alterum subsisteret onus pro *quinque* tantum partibus, cum pro sexta parte soluta regio aerario peremptum esset. „

„ Quibus ego non omnimode assentior. Nam utraque praedia pro beneficio S. Barbarae in solidum obligata erant, utpote ex pecuniis Beneficii, et Massae Capitularis insimul confusis acquisita. Noscere itaque oporteret, quae quantaque summa ex massa Capitulari unita fuit *scutis* 215., et quo pretio comparatum fuit praedium *de Gerbido* ab usurpatoribus alienato. Tum enim habita proportione damnum hujus alienationis tribui posset et Beneficio

et Massae Capitulari, et statuere in qua summa diminuta fuerit dos Beneficii, ex qua dempta sexta parte soluta Regio AErario, facile esset decernere reductionem Capitulo competentem. Nam reductio facta ab Archiepiscopo excessiva videtur. Nam si *missae* 67. erant celebrandae, dempta sexta parte, scilicet Missis *undecim*, reductio facienda erat ad Missas 56. non ad 28., ut Archiepiscopus decrevit. Sed haec inquirenda omitterem. Nam cum Massa Capituli, quae ad haec onera erat obligata, diminuta sit ad tertiam partem, hoc quoque onus ad missas *viginti duo* scilicet tertiam partem Missarum sexaginta septem esset reducenda. Verum, cum praeter diminutionem fundi, alia subsistat redactionis causa, scilicet tenuitas praebendarum, quibus est succurrendum, reor, utendum esse arbitrio, et aliquod onus nempe Missarum *quinque* pro hoc beneficio imponere. „

„ Ad pauca, ut redeam, *reductionem ad tertiam partem concederem pro onere Missae celebrandae pro Societate de Consortia*, pro legatis *Boileau*, *Vadat*, et *Bergero*: *Ad Missas sex lectas itidem reducerem Anniversaria. quae erant cum cantu celebranda, et ad Missas quinque onera Beneficii S. Barbarae, et ad tot Missas quot reditus legata Regalium Sabaudiae Principum.* „

„ III. Postulat Capitulum, *ut caeterarum onera, quibus gravata sunt bona illa, quae provisorie attributa fuerunt vel aggregata Capituli Massae, et ipsi Ecclesiae Metropolitanae ad utriusque necessitates levandas in suspensum, seu inadimpleta remanere indulgeatur, donec Capitulum, et Ecclesia ipsa de congrua dotatione provideantur.* „

„ Quoad Capitulum nulla opus est providentia pro hac suspensione ut Vicarius Capitularis observat. *Ipsum enim, ut jam supra indicavi, quamquam congrua adhuc careat dotatione, et narrati Capituli reditus non sufficiant ad honestam, immò ad necessariam uniuscujusque Canonici substentationem; tamen, uno ex provisorie unitis Beneficiis jam dimisso, de caeterorum Missis, et oneribus jam decrevit, et curat adimplementum usque, dum de sufficienti dotatione provi-*

visum , Beneficia ipsa in pristinum statum revocanda dimittere valeat. „

„ Quo vero ad Sacristiam Metropolitanae Ecclesiae, cum illius antiqua Massa dispersa omnino sit, nec aliunde suppleri possit, unde fiant expensae pro manutentione Ecclesiae non incongruum mihi videtur, ut per *modum provisionis* eidem relinquantur ea bona sodalitatum, quae in hanc causam applicata fuere, simulque indulgerem suspensionem Missarum, quae bonis applicatis inhaerent. Etenim, si aliis deficientibus mediis S. Congregatio concessit suspensionem Missarum, ut reditus erogarentur in extruendis, vel reparandis Ecclesiis, ut in *Veliterna Suspensionis Missarum* 18. *Septembris* 1790. *ad I. dub. et in Placentina Suspensionis onerum* 22. *Novembris* 1794. par sane ratio concurrere videtur, ut suspendantur Missae pro expensis necessariis ad manutentionem Ecclesiae. Ita tamen hanc suspensionem concederem, ut obtineat, quatenus bona applicata remaneant pro Sacrario Metropolitanae, et donec ipsum aliunde provideatur, et dummodo per octavam Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum quotidie canatur Missa Anniversaria cumulative applicanda in satisfactionem onerum omnium bonis a Sacrario possessis infixorum. „

„ Haec mea Sententia est EE. PP. quam sapientiori judicio vestro subjicio dum Sacras Purpuras humiliter deosculor. „

Ex his quatuor proponuntur Dubia.

I. An , et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro absolutione quoad praeteritum pro Missis a Capitulo , et Sacrario non celebratis in casu etc.

II. An sit locus peremptioni , seu potius suspensioni Anniversariorum Discalzi , Marchetti , Tarini , et Cappellaniae de Falletti , et legatorum Vibò , et de Cumiana , et caeterorum legatorum , quorum fundus constitutus fuit in Locis Montium, et bonis ab invasoribus alienatis in casu etc.

III. An , et quomodo sit locus reductioni legatorum Boileau , de Consortia , Vadat, Bergere,

Regalium Sabaudiae Principum, et oneris Missarum pro Beneficio S. Barbarae, et sex Anniversariorum Vallard, Caresana, Saorgio, Costa, Rorengo de Rora, Benzo in casu etc.

IV. An, et quomodo sit locus suspensioni onerum Missarum impositarum super bonis applicatis Sacrario in casu etc.

Ad I. Affirmative juxta Votum Emi Relatoris celebratis etiam per singulos Canonicos Missis decem lectis collective pro omnibus Benefactoribus.

Ad II. Affirmative juxta Votum Emi Relatoris ita tamen ut in casu partialis, vel totalis reintegrationis vel compensationis reintegretur proportionabiliter implementum onerum, de quibus agitur.

Ad III. Affirmative pro suspensione juxta votum Emi Relatoris ut in secundo Dubio.

Ad IV. Affirmative juxta Votum Emi Relatoris ad annum tantum, et scribatur Vicario Capitulari, ut transmittat statum activum, et passivum Sacrarii, et distintam notulam omnium onerum, quae infixa erant bonis Confraternitatum eidem Sacrario addictis.

Sess.7.Cap.14. de Reform.

CAMERINEN. DISPENSATIONIS, ET REHABILITATIONIS semel, iterumque haec causa proposita fuit per *Summaria Precum*, eamque in *Folio* referendam censui, ut quae facti sunt, oculis subjecta melius ponderare possint EE.PP., quae ab initio nunc repetenda sunt.

In Castrum Ploraci advenerunt quidam ignoti homines, baculis, falcibusque armati, qui cum recusassent exhibere commeatum, immo pugnassent cum Militibus Civicis, unus ex his sauciatus, et captus ad Xenodochium traductus est, ut vulneri curatio adhiberetur. Cum lethaliter aegrotaret, ei praesto fuit Parochus ejusdem Castri Marius Mannucci, qui hominis vulnerati Sacramentalem excepit Confessionem. Post haec, infirmum adiit Inspector, quem vocabant, *della Polizia*, eumdemque frustra interrogavit, de nomine, cognomine, patria; nam aegrotus altum tenuit silentium. Itaque Inspector cal-

callidum, et fraudolentum coepit consilium : Scilicet duos apud lectum infirmi vesperescente coelo occultavit Testes, qui facile audirent, quae infirmus diceret. Deinde induxit Parochum Mannucci interrogantem, qui licet conscius paratae fraudis tamen Inspectori morem gessit, nullum ratus exinde malum nec sibi, nec infirmo obventurum. Factis interrogatoriis, infirmus nihil doli subverens aperte fassus est, se vocari *Dominicum Marocchi*, esse Patria *Cingulanum*, et cum Italici Gubernii satellitibus (vulgo *Giandarmi*) rem habuisse. Quae omnia Testes occulti retulerunt Inspectori *della Polizia*, qui, ut convaluit infirmus Marocchi, eum apprehendit, et Maceratam vinctum apud Tribunal Militare traduxit, ubi paulo post vocati fuere tum Plebanus Mannucci, tum Testes illi, quos Inspector occultaverat, ut iterum referrent coram *il Brigadiere de' Gendarmi* qui munus *del Cancelliere del Relatore* obibat, de his quae a Marocchio audierant. Criminali hinc instituto judicio Marocchius ex aliis inductis testibus convictus capite damnatus est, tamquam reus *di resistenza a publici Funzionarj in Villa di* Torre, *di opposizione eguale in Pioraco, e di complotto con suono di Campana a martello nella Parocchia di Torrigiano*, atque die 17. Augusti 1809. extremum supplicium subivit.

Nihilominus Parochus Mannucci sacris semper operatus est, nec putavit se irregularitate innodatum ex eo, quod contra damnatum Marocchium testis interfuerat. Reintegrato Pontificio regimine in Camerinensi Diaecesi, Parochus aliorum monitis excitatus S. Poenitentiariam adiit pro obtinenda absolutione ad cauthelam, a qua delegatus fuit ad S. hanc Congregationem, cui *die* 10. *Junii* 1815. pro dispensatione ab irregularitate supplicavit. Rogatus Vicarius Capitularis retulit primum, quod Orator semel, iterumque monitus de veritate fatenda, *coram me, et Vicario Foraneo hanc facti seriem* (uti hactenus narrata est) *genuine contexuit* : addit, quod, *nec laudabile illius vitae genus, nec tam bonis fuisse praeditum moribus a nonnullis fide dignis* acceperit; *verum nunc* dum nimirum scribebat sub die 2. Julii anni 1815. *duo integerrimi Sacerdotes Paraeciae Oratoris*

toris proximiores, *de ejus resipiscentia*, *et de probato vivendi instituto*, *notabili ab hinc tempore suscepto*, *testantur*; quodque demum Orator, ni literas ei ab hac S. Congregatione datas pro informatione audivit, a divinis tunc primum consulto abstinendum censuit, et deputato, de sui consensu, Vicario in Cura Animarum, Romam venit, ne in residentia degens, abstinendo a divinis criminis nota afficeretur.

Quibus relatis, in Congregatione diei 22. Julii anni 1815. rescriptum est ab EE. VV. - *Lectum*, *et Ordinarius procedat*, *prout de jure contra Oratorem*, *proviso Paraeciae de idoneo Oeconomo*. Mox Parochianis pro Mannuccio gratiam exorantibus, *die* 15. *sequentis mensis Novembris* rescriptum - *In decretis*, *sub die 22. Julii proximi praet.* Novis precibus rediit ad EE. VV. Mannuccius, novisque literis Vicarius Capitularis, agnovisse dicit, singulis inspectis, post enunciata rescripta, *Oratoris obedientiam ejusque susceptae emendationis*, *et poenitentiae signa*: *Se enim a sacris*, *et Parochialibus muneribus obeundis*, *ab illo tempore semper abstinuit*; *Spiritualibus Exercitiis per dies quindecim humiliter vacavit*, *et laudabili vitae instituto*, *morumque gravitate Clero simul*, *et Populo bonis praeluxit exemplis*. Proinde Oratoris rehabilitationem, nullius fore scandali, sed potius ad pia Populi vota explenda conferre existimabat. Praeterea Orator in Coenobium S. Bonaventurae Urbis ad dies duodecim sese ultro recepisse probavit; nihilominus, cum annus nondum lapsus esset a rejectis primum precibus, dimissus fuit *die* 27. *Aprilis* 1816. Rescripto - *Expectet* -

Paupertate Romae laborans Mannuccius novis precibus adiit S. Congregationem, et *die* 25. *Maji dicti anni rescriptum fuit* - *In decretis sub die* 27. *Aprilis proximi praeteriti* - Labente anno a rejectis precibus noviter exoravit Plebanus pro absolutione, et rehabilitatione ad Parochialia munia exercenda. Reproposita instantia *die* 13. *Julii* 1816. eodem Rescripto dimissa est - *In decretis sub die 22. Julii elapsi anni*-. Ad Sanctissimi pedes confugit Mannuccius. Precibus Pontificia manu remissis - *A Monsignor Segretario del Concilio*, *che ne parli* - *Ex Audientia SSmi*

die

die 30. *Septembris* praeteriti *anni* 1816. referente me exoravit Rescriptum - *Pro gratia dispensationis*, *et rehabilitationis juxta petita arbitrio*, *et conscientiae Vicarii Capitularis*, *dummodo tamen celebret Romae tantum* - Nunc itaque ad S. Congregationem Mannuccius renovat Preces pro impetranda plenaria rehabilitatione ad ordinem, et ad Paraeciam.

Jam ipse a Summo Pontifice dispensatus est ab irregularitate, ita tamen, ut Romae tantum celebrare possit. Hinc observandum proponit Mannuccius, quod irregularitas non est censura, quae in una Diaecesi possit subsistere, in altera secus. Est enim irregularitas impedimentum ad recipiendos, vel exercendos ordines a SS. Canonibus constitutum, ut tradunt *Bonaccin. de Censuris disc.* 7. *Cap.* 1. *pag.* 1. *Suarez de Censur. d. Sess.* 3. Potest quidem S. Pontifex in dispensatione concedenda quaslibet interponere conditiones, et prohibere, quominus in una potius, quam in altera Diaecesi celebret. Sed tum impedimentum non oritur ex contracta irregularitate, quae jam dispensata est, sed ex voluntate dispensantis. Et quamquam Summus Pontifex idcirco cohibuerit dispensationem ad Urbem Romae, ne in *Camerinensi* Archidiaecesi scandalum oriretur; attamen Mannuccius, ut a plenaria rehabilitatione scandalum avertat, haec animadvertenda proponit, primum quod dubium saltem sit, contractam ab ipso fuisse irregularitatem. Alterum, quod ita operam dederit, emendationi vitae, ut scandalum omne abesse videatur. Quae omnia cum extrema paupertate laborans non potuerit per impressum Memoriale vobis subjicere, mihi in scriptis exposuit, ut vobis referrem.

Triplici sane ex capite Mannuccius contraxisse videtur irregularitatem ex delicto, ex defectu lenitatis, et ex celebratione Sacri postquam dedit causam supplicio a Marochio passo. Primum ex *delicto*; quia operam dedit Inspectori *della Polizia* Marocchium interrogando, ut ab eo Confessionem criminis exprimeret, et occultati testes audirent. Id quod cum non sine fraude factum sit, sane Mannuccius, qui fraudi operam dedit, eoque facilius quia Marocchius eidem, tamquam suo Confessario, confidebat, delictum patrasse videtur - Cum igitur dederit operam rei illici-

tae

tae, ex qua saltem indirecte mors accusati Marrocchi processit; incidit in irregularitem, ut *ex Text. in cap. continebat ex cap. suscepimus de homicid. volunt*, statuit S. Congregatio *in Feretrana Irregularitatis 28. Maji 1791.*

Accedit *defectus lenitatis*; quia adfuit tamquam Testis Fiscalis in judicio capitali. In jure enim Canonico solemne est, ut Clericus in judicio directe, vel indirecte consilium, et operam extremo supplicio praestans ex defectu lenitatis irregularis fiat, ut *ex Can. si quis viduam*, *et Can. Clericus distin.* 50., *et Cap. sententia sanguinis ne Cleric. vel Monach. et cap. final. in 6. eod. tit.* atque nedum a divinis, sed etiam ab officio suspendatur *Cap ex litteris de Excessibus Praelat.* Tandem si Mannuccius causam dedit supplicio Marocchi, et postea celebravit eo magis incidit in irregularitatem *ex Cap. 1. §. Cavent de sententia excommunicat. in 6.* ut declaravit S. Congregatio in *Nullius S. Benigni Irregularitatis 5. Junii* 1790.

Haec Mannuccio imputari possunt, a quibus sese excusari conatur exhibita Sententia Criminali, ex qua patet, Marochium damnatum fuisse tamquam Reum *di resistenza ai Pubblici Funzionarj in Villa di Torre di opposizione eguale in Pioraco, e di complotto con suono di Campana a Martello nella Parochia di Troviggiano*. Ex his concludit, se ne remotam quidem causam dedisse, ut Marocchius poena capitis mulctaretur, si eum in Xenodochio interrogavit. Nam ex aliis delictis, et ex aliis testibus convictus fuit; nec id quod lecto decumbens fassus erat, nomen scilicet, patriam et rem habuisse cum Satellitibus - *Giandarmi* - satis ad ejus condemnationem esse poterat. Ex testibus porro probat se nunquam interfuisse judicio criminali, sed tantum confirmasse coram - *il Brigadiere de' Gendarmi* - in Civitate Maceratae, quae a Marochio resciverat.

Ad Juris dispositionem descendens negat se irregularitate irretitum fuisse, quae non nisi in casibus in jure expressis contrahitur, *ex cap. 18. de Senten. excommunicat. in 6.* Ut vero Clericus, qui testis adest in judicio Criminali in irregularitatem incidat, debet *voluntarie*, et non coacte sistere ad testimonium feren-

ferendum et coram Judice de crimine digno sententia sanguinis ut docent *Saurez de Censuris D.* 44. *Sect.* 3. 2. 4. *Bonaccin. de Cen. p.* 3. *num.* 8. *Palneo p.* 13. §. 2. *num.* 3. *Salm. c.* 9. 2. 5. §. *secundum*. Se vero non voluntarie, sed coacte ad testimonium ferendum compulsum fuisse ex imperio publicae potestatis, cui parendum illis temporibus erat, ne aliquid gravius eveniret: non coram judice in publico judicio, sed privatim coram scriba, sive *Cancelliere del Relatore* deposuisse: non de crimine sententia sanguinis *digno* testimonium tulisse, sed de Patria nomine, et de re, ex qua Reus ad poenam ultimi damnari non poterat; cum nil aliud a Marocchio audivisse affirmavit, *che aveva avuto che fare coi Giandarmi*.

Videant EE. VV. quanti facienda sint quae in facto, et in jure in sui defensionem deducit Mannuccius; quod si judicabunt cum irregularitate obnoxium fuisse, inquirendum erit, num plenaria rehabilitatione dignus sit. Nam a Sanctissimo per Rescriptum diei 30. *Septembris* 1816. jam dispensatus est ab irregularitate, dummodo in Urbe tantum celebraret, quod satis argumenti est, jam tum probatam fuisse poenitentiam, et constantem emendationem, et morigeram vivendi rationem ex postrema *Informatione* Vicarii Capitularis, ex testimonio Prioris PP. Excalceatorum S. Augustini Urbis, in quorum Conventu *Jesus Mariae* sese Orator recepit, et orationibus, sacrisque functionibus sedulo interfuit, ex testimonio itidem Parochi S. Mariae de Populo, Prioris Xenodochii Incurabilium Urbis, et Recessus S. Bonaventurae, qui omnes affirmant vel in servitio Ecclesiae Parochialis, vel in operibus Charitatis sese continuo exercuisse, vel Spiritualibus exercitiis vacasse.

Ne vero rehabilitetur ad ordinem, et Paraeciam abesse poterit publicum scandalum. At enim non pe suspensionem privatus, sed sponte a Parochialibus muniis exercendis sese abstinuit Mannuccius. Septennium jam elapsum est ab anno 1809., et ad obliterandam delicti memoriam sufficere triennium cum emendatione vitae tradit *Abbas in cap.* 21. *de accus. Antonel. de Regim. Eccles. lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 17. et

S. Congregatio *in Vicentina Irregularitatis* 19. *Decembris* 1760. Haec confirmans Vicarius Capitularis concludit. *Quare ejus ad Parochialia munera rehabilitationem nullum afferre scandalum, sed potius pia Populi vota complere existimarem* - Tandem adstipulatur Oratoris paupertas, qui cum in Paraecia retineat Oeconomum Curatum, eidem stipendium suppeditare debet, ut fere nihil ex reditibus Parochialibus percipiat, et ex eleemosina Missarum vivere debeat. Porro paupertatem esse causam idoneam ad rehabilitationem concedendam censuit S. haec Congregatio *in Placentina Irregularitatis* 9. *Julii* 1796.

Dubium proponitur.

An sit consulendum SSmo pro plenaria rehabilitatione ad ordinem, et ad Paraeciam in casu ec.

Affirmative quoad ordinem tantum

Sess.7. Cap.6. De reform.

RAVENNATEN. APPLICATIONIS. In Ecclesia Parochiali extra *Portam Adrianam* Civitatis Ravennae erectum erat olim *Sodalitium Sanctissimi Sacramenti*, quod in tumultu Republicano 1798. suppressum fuit. Archipresbyter Dominicus Antonius Bezzi, qui Ecclesiam illam Parochialem regebat, a laica potestate, quae tunc temporis dominabatur, impetravit, ut, attenta diminutione congruae Parochialis, usufrueretur bonis suppressi Sodalitii, in quorum possessionem Bezzius immissus est, vidente quidem, et sciente Archiepiscopo, qui tamen nunquam auctoritatem suam canonice interposuit. Defuncto Bezzio ejus Successor Sacerdos Joannes Bartoletti probante Episcopo *die* 14. *Julii* 1806. immissus fuit in possessionem tum bonorum, quae ad Ecclesiam Parochialem primitus pertinebant, tum aliorum, quae spectabant ad suppressum sodalitium. Statim ac Pontificium imperium ea in Civitate revixit Parochus Bartoletti preces huic S. Congregationi obtulit, ut attenta tenuitate congruae eidem Paraeciae applicaretur Praedium nuncupatum *il Canalazzo Tornaturarum Sexdecim*, quod ad Sodalitium praefatum spectabat; restitutis favore ejusdem Sodalitii caeteris bonis.

Ro-

Rogata fuit sententia Archiepiscopi *auditis Confratribus* per secreta suffragia. Res per annum siluit, ita postulante Parocho Bartoletti; donec in exitu praeteriti anni coacta sunt Sodalitii comitia - *in un misero avanzo di confratelli, che sono come Presidente della medesima it M. R. Sig. Arciprete D. Gio. Bartoletti, Francesco Antonio Fontana, e Sebastiano Gualtieri* - quibus adaucti fuere - *i principali più divoti, ed onesti abitanti della Parrocchia*, - iisque jus suffragii ferendi collatum est. His ita congregatis obtulit Archipresbyter bona omnia sodalitii restituere, excepto fundo (non jam illo *tornaturarum sexdecim*, cujus unionem favore suae Pareciae in oblatis precibus postulabat) sed altero *tornaturarum decem* sito in eadem Regione di *Canalazzo*, salva semper Apostolica Authoritate pro approbatione Canonicae unionis. Confratres vero ratam habuerunt propositam ab Archipresbytero restitutionem, excepto praedicto praedio, et adjecta conditione - *d' invitare il Sig. Arciprete a prestarsi gratuitamente alle Sagre Funzioni da farsi da detta Compagnia, alla politura, ed imbiancatura delle supellettili Sagre della Chiesa, all'autorizazione ai Confratelli di riedificare la Sagrestia della loro Compagnia nel luogo, ove prima esisteva, e così dell' ingresso alla medesima per la Casa Parrocchiale. Alle quali aggiunte proposizioni ha di buon animo aderito per se, e successori nella di lui Chiesa il medesimo Signor Arciprete.*

Quod attinet ad reditus Paraeciae S. Blasii, constat ex *inventario* exhibito in Sacra Visitatione *anni* 1786. annuam attigisse summam scutorum 304. 50. Verum nunc diminuti sunt. Ex Statu siquidem Activo, et Passivo annui fructus sunt scutorum 278. 05. onera vero constituuntur in summa *scutorum* 237. 21. de quibus inferius redibit sermo. Collatis itaque rationibus libera pro congrua supersunt annua *Scuta* 40. 81. Fruitur praeterea Archipresbyter S. Blasii altaero prediolo, et geminis domunculis quae locata sunt pro annuis scutis *Viginti*. Sed haec proprie ad congruam non spectant, sed ad legatum quoddam, pro quo celebrare debet Festum diem Nativitatis B. M. V.

e fare un Orazione del giro. - Ex his Archiepiscopus concludit *illud pro certo habendum esse inter Paraecias, quae in hac Archidiaecesi dote exigua praeditae sunt, recensendam esse S. Blasii Paraeciam cum incerta, seu jura stolae a pauperrimis Parocchianis exigi possint difficillime, nec facilis sit integra perceptio omnium Sextariorum tritici, quae Paraeciae S. Blasii titulo primitiarum singulis annis debentur.*

Cum vero S. Congregatio postulasset ab Archiepiscopo, ut referret de Canonica unione Bonorum, an Sodalitium ad sua jura, et bona redintegratum esset, et an dempto Praedio sufficiens ei reditus superesset, ita ille satis omnibus facit in sua Informatione - *Non inficiar, me non obstitisse usufructui, quem ex bonis Sodalitii Archipresbyter Bezzi, atque ejus successor Bartoletti perceperunt, propterea quod facilius esse existimavi, ut eadem bona Archipresbyter S. Blasii sodalitio restitueret, tempore habili, quam ex manibus habentis causam a Demanio eadem bona extorquere. Verum meam auctoritatem scripto non interposui quoad concessionem, ac perceptionem ejusdem ususfructus; quod satis est ad probandam unionem bonorum Sodalitii bonis Paraeciae* S. *Blasii Canonicam non posse appellari.* Nondum *mihi constat Sodalitium, de quo agitur, fuisse a Summo Pontifice ad sua bona, et primaeva jura redintegratum.* Sodalitio *superest, dempto praedio ab Archipresbytero retinendo, reditus annuus scutorum* 98. 79. *Hujusmodi reditus videtur sufficiens oneribus, quae adimpleri, et functionibus Ecclesiasticis, quae celebrari deberent sumptibus Sodalitii. Nam amissio reditus annui scutorum* 40, *quae fluit ex decem tornaturarum memorati praedii alienatione, compensatur ex eo, quod Sodalitium in posterum nec Cappellano honorarium solvere, nec expensas facere pro Sacrarum supellectilium conservatione teneretur. Quare*, ita concludit - *Juxta meam opinionem nihil obstat, quominus Summus Pontifex annuens precibus Archipresbyteri* S. *Blasii retentionem, seu potius acquisitionem Canonicam memoratae partis Praedii confirmet, servatis omnibus conditionibus, quae in memorata Congregatione Confra-*

trum

trum adjectae fuerunt eidem acquisitioni, donec dicta Paraecia de congrua dote provideatur.

Ex his omnibus duo inquirenda sunt, an scilicet probanda sit unio praedicti Praedii, de quo queritur *in I. Dubio*; et an Archipresbyter Bartoletti indigeat absolutione, et sanatione pro fructibus bonorum Sodalitii nulla legitima interveniente auctoritate huc usque perceptis, de quo agendum erit *in II. Dubio*.

Confratres Sodalitii, sive Parochiani, qui ad suffragium ferendum vocati sunt, petitae unioni assentiuntur, eamque probat Archiepiscopus; inquirendum igitur est, an legitima, et rationabilis concurrat Unionis Causa, qua deficiente Tridentinum *Sess.* 7. *Cap.* 6. *De Reform.* uniones fieri vetat. Petitur unio ad augendam Congruam Archipresbyteri S. Blasii attenta ejus tenuitate, Utrum causa hujusmodi in facto subsistat, et in jure valeat statuendum erit. Quamquam enim Archipresbyter ex transmisso statu *Activo*, et *Passivo* demonstret sibi libera superesse annua *scuta* 40. 84.; attamen in statu *Passivo* nonnullae sunt *partitae*, quae moderari posse videntur. Scilicet - *Somministra l'Arciprete al di lui Vicario la Tavola, lume, Biancheria di letto, e scudi venti in contante col peso però di mantenere del proprio un Cavallo necessario per la visita degl'infermi, ed Amministrazione de' Sagramenti nella Campagna scudi Novanta.* Itidem - *per mantenimento d'una donna servente scudi cinquanta - Paga annuale alla medesima scudi* 7.00, demum - *all' uomo, che governa il Cavallo, e deve fare ogni giorno la spesa ec. sono annuali scudi* 36. - Videant EE.PP. num *partitae* hujusmodi, quae conflant summam *scutorum* 183. 20. resecandae sint. Hoc in casu ex annuo reditu scut. 278. 05. detractis caeteris oneribus scut. 41. 41. superessent pro Rectore annua sc. 236.64. At certe necessaria videtur expensa pro Vicario Curato, cum agatur de Paraecia, in qua numerantur 3400. capita. Nec praetereundum est, Archiepiscopum affirmare exiguam esse dotem Paraeciae S. Blasii. Porro exigua eo dicitur congrua, quae tantum non praebet Rectori, quantum necessarium est, ut pro temporum conditione se alere possit; *Rota dec.* 374. *num.* 2. *Part.* 18. *Recen. decis.* 342. *num.* 1. *coram Emerix*, et S. Congregatio *in Sabinen. Congruae* 27. *Junii* 1807.

Qua-

Quatenus EE. VV. comperta sit congruae tenuitas, videndum in jure est, num idonea sit causa ad concedendam unionem Praedii ,quod ad Sodalitium pertinet. Tridentinum *Sess.* 24. *cap.* 13. *de Reform.* Parochialibus Ecclesiis, quibus exigui sunt fructus, succurrendum esse statuit per Beneficiorum *unionem*, aut primitiarum, et decimarum *assignationem*, aut per Parochianorum *symbolam*, nec quidquam meminit de bonis Sodalitatum. Ea vero, quae largitione fidelium ad certum usum sunt destinata, in alium converti nequeunt, ut *ex Clementina quia contigit de Relig. domib. Tondut. quaest. Benefic. par.* 3. *cap.* 22 *num.* 23. Attamen Tridentinum *loco citato* permittit Episcopi arbitrio ut - *qua commodiori ei videbitur ratione tantum redigatur quod pro Rectoris, et Paraeciae necessitate decenter sufficiat.* Archiepiscopus vero probat hanc unionem, cui Confratres assentiuntur, ut ex concesso fundo utilitatem capiant, quia ex oneribus ab Archipresbitero assumptis liberantur ab expensis tam pro stipendio Cappellani, quam pro linteaminibus mundandis.

Ad *modum* quod attinet perficiendae Unionis concors omnium sententia est, ut non perpetua, sed *temporanea* fiat unio, nimirum *donec dicta Paraecia de congrua dote provideatur*.

II. *Dubium* respicit praeteritam perceptionem fructuum bonorum Sodalitatis facta ab Archipresbytero Bartoletti nulla legitima interveniente auctoritate, cum id obtinuerit a laica potestate, propptereaque fructus suos facere non poterat ad tradita per *Ricc. in Prax. Confrat. resolut.* 123. *num.* 3. Attamen per dissolutionem Sodalitii bona devolvebantur ad Parochialem, in qua erectum erat, veluti ad principalem Ecclesiam juxta Sententiam *Bartholi il L. fin. num.* 22. *ff. de Colleg. illicit.* quam sequuntur *Frances. de Eccles. Cathed. cap.* 15. *num.* 185. *Donat. in Prax. Regul. tom.* 3. *trat.* 8. *quaest.* 41., et Sacra Congregatio *in Pharaonen. Unionis* 16. *Julii* 1791. Tribuendum porro temporibus videtur, si bona hujusmodi Archipresbyter usufruenda obtinuit a laica potestate, atque Archiepiscopus affirmat, se id tacito corde non improbasse, si bona haec ab Archipresbytero retinerentur, ut faci-

facilius opportuniori tempore Confraternitati restitui possent, quam si demanium in laicos alienasset. Ex his statuent EE. PP. num a Sanctissimo impetranda sit absolutio, et sanatio quoad praeteritum.

Duo proponuntur dubbia.

I. *An, et quomodo sit locus unioni in casu etc.*

II. *An sit consulendum SSmo pro absolutione, et sanatione quoad praeteritum in casu etc.*

Ad I. Affirmative juxta Votum Archiepiscopi.

Ad II. Affirmative erogata aliqua summa arbitrio Archiepiscopi praefinienda favore sacrarii sodalitii.

MATILICEN. SANATIONIS. Capitulum, et Canonici Ecclesiae Cathedralis Mathilicensis censum annuum scutorum *decem* emerant a Communitate pretio scutorum *biscentum quinquaginta*. Anno 1808. ab invasoribus Pontificiae Ditionis Provincia Piceni Regni Italici dominationi, et legibus subjecta est. Hinc aes alienum Communitatum in publicum aerarium translatum fuit; hinc coacti creditores in publicis tabulis credita hujusmodi inscribere, et in extinctionem recipere chirographa illa, quae *Rescrizioni* appellabantur, quaeque in acquisitionem bonorum Fiscalium (Fiscalium autem bonorum nomine veniebant etiam bona Ecclesiastica a laica Potestate usurpata) erogari poterant. *Sess.23.cap.11 de Reform.*

Capitulo itaque Matilicensi pro credito census cum Communitate traditum fuit Chirographum *Rescriptionis* pro summa Librarum Italicarum 1310, 06. quae sorti scutorum 250 respondebant. Ne vero in acquisitione bonorum Fiscalium sese implicaret Capitulum, melius futurum putavit, si chirographum illud venderet, cum per leges liceret *Rescriptiones* hujusmodi promercales habere, et jura sua acquirentibus cede-

re.

re. Vendidit itaque eo pretio, quod tunc in foro reperiebatur, scilicet scutorum *duodecim* pecuniae numeratae in singula centum valoris *rescriptionum*, et summam scutorum 29, 78, 1. redigit, quam ne omnino perderet, aut infrugiferam haberet, una cum aliis pecuniis Capituli vertit in utilem emptionem cujusdam agri, quem a privato acquisivit.

Restituto tandem Pontificio regimine, veriti sunt Canonici, ne contra Canonicas sanctiones hanc alienationem, nullo interveniente Beneplacito Apostolico, fecissent, a S. Paenitentiaria implorarunt absolutionem a censuris, quae eisdem indulta est *pro foro conscientiae* sub conditione, ut ad Sac. hanc Congregationem - *pro ulteriori provisione* - recurrerent. Modo itaque Capitulum pro sanatione supplicat. Episcopus narrata confirmans addit *Oratores ipsos ab Apostolica Sede, et Sac. Congregatione perpeditos non praetermisisse, quin ad me recurrerent, et his omnibus expositis; quae superius allata sunt opportunam facultatem exposcerent, qua chartas ipsas majori, quo fieri posset, pretio venderent, illudque in agro, quem sibi utiliter acquirendum constituerant tamquam pretii partem rependere possent. Licet autem expressa iis per me facultas facta non fuerit; omnibus tamen attentis rerum circumstantiis obsistendum non censui; id scilicet consultius fore ipsis proponens, si, rebus omnibus rite matureque perpensis, id tandem statuerent, quod Ecclesiae utilius, vel potius minori damno futurum crederent, opportunas dehinc suo tempore approbationes, et provisiones ab Apostolica Sede, quatenus opus esset, impetraturi*. Hinc ex bona Capituli fide, et temporum angustiis, aliisque ex rationibus, quas mox exponam, censet concedendam esse sanationem, quin Capitulum ad reintegrationem Massae Capitularis adigatur.

Alienantes res Ecclesiae sine Apostolica venia censuris innodantur ex *Extravaganti Ambitiosae de Reb. Eccles. non alienan.*, et tenentur reintegrare Ecclesiam in quantum ex commissa alienatione deterior facta sit ejus conditio ut *ad Tex. Can. Monemus* 18. *Caus.* 12. *Quest.* 2. *Cap. Ex praesentium* 3. *De Pignor* tradunt *Reiffenstuel Jus Can. Lib.* 3. *Tit.*13.

Tit. 13. §. 3. *num.* 62. *Schmalzgrueber Jus Ecclesiast Tom.* 3. *Part.* 1. *Tit.* 13. *num.* 149. Verum Canonici non alienarunt res immobiles, vel mobiles pretiosas, sed Chirographum *Rescriptionis*. Inquirendum est itaque, num ipsi in hac alienatione committenda peccaverint *in Extravagantem Ambitiosae*. Nam quod creditum census inscripserint in publicis tabulis, quodque *Rescriptiones* in extinctionem census receperint, id quidem Canonicorum culpae verti non posse videtur, nisi enim censum apud publicas tabulas professi essent Canonici, illum omnino amisissent; et non nisi coacti *rescriptiones* receperunt.

Hoc igitur primum ab EE. VV. statuendum erit, in quam rerum speciem chirographa hujusmodi *Rescriptionum* accensenda sint, ut cognoscatur, num ex illis sint, quas SS. Canones absque solemnitate alienare vetant. Sane ad res mobiles, vel immobiles referri non posse videntur. Praeseferunt potius speciem pecuniae, cum in praetium acquisitionis bonorum fiscalium erogari possent. Utrum vero pecuniae cadant sub censura *Extravagantis Ambitiosae* controversia est inter Canonistas. Alii negant: qnia ut inquit *Schmalzgrueber loco citato* §. 2. *num.* 50. „ Inventa est pecunia ad commutationem faciendam, emendumque, et non datur aut accipitur, ut conservetur, sed ut in alios usus convertatur, nec servata ullum fructum parit, sed otiosa remanet, adeoque res est, quae ex sua natura, et fine servando servari nequit, tales autem res alienari absque solemnitate possunt „. Alii vero distinguunt inter pecunias, quae, ex fructibus bonorum congeruntur, et pecunias redactas ex venditione bonorum, et destinatas ad acquirendas res immobiles, vel mobiles pretiosas: Has enim erogandas esse in destinatos usus, adhibitis solemnitatibus, tenent *Vasquez de Redit. cap.* 2. §. 2. *num.* 44. *Donat. Prax. Regul. Tom.* 1. *part.* 2. *Tract.* 14. *Quaest.* 52. *Num.* 2. *Pirching. in Jus Canon. lib.* 3. *Tit.* 13. *num.* 13. *Schimer. in lib.* 3. *Decret. Part.* 2. *De rebus Eccl. non alien. Cap.* 4. *num.* 41.

K Ob-

Observandum praeterea est, quod Canonici has *rescriptiones* (quatenus loco pecuniae, ex censu provenientes, et destinatae ad investimentum considerandae sint) non in voluptuosas expensas, vel in proprios usus consumpserunt; sed eas vendiderunt majori tum reperibili pretio, quod in acquisitionem fundi, cum maxima utilitate Ecclesiae, ut affirmat Episcopus, erogarunt. Neque id inconsulto Episcopo fecerunt; nam hic se consultum fatetur a Canonicis, quibus auctor fuit, ut facerent id, quod melius Ecclesiae futurum judicassent. Utrum vero imputandum sit Canonicis, quod damnum Ecclesiae intulerint, quia si Chirographum *Rescriptionum* servassent, integer nunc staret creditum census, et nullum damnum Ecclesia pateretur, Vestrum erit Sapientissimi Patres judicare. Videant quid tribuendum sit temporum conditioni, et rerum futurarum incertitudini, in quo versabantur Canonici, cum *Rescriptiones* alienarunt. Si ex eventu de contractuum utilitate judicandum non est, sed ex circumstantiis, quae erant tempore, quo initi fuerunt ut statuit *Rota Decis.* 283. *coram Dunozet, et Decis.* 48. *num.* 7. *coram Herrera*, facile EE. PP. cognoscent, num Canonici in culpa sint, et num bona fide egerint, quemadmodum putat Episcopus.

Nihilominus si EE. VV. putent alienationem factam fuisse contra praescriptum *Extravagantis ambitiosae* statuendum erit, num indulgenda sit sanatio, ea interposita conditione, ut a Capitulo Mensa reintegretur. Hoc pendet ab iis, quae superius exposuimus: etenim si nulla interfuit culpa Capituli, si ut conditio temporum ferebat, Ecclesia non adeo laesa est, si quae postea acciderunt praevideri non poterant; tunc sane, cum venia Apostolica denegata non foret, si a Capitulo peti potuisset; ita concedenda nunc videtur sanatio. Maxime cum non deesset causa alienandi, ne scilicet *Rescriptiones* perirent, nec Ecclesia pro conditione temporum in damno versaretur. Hisce siquidem concurrentibus sanatio concedi solet; ut tradit *Thesaur: Quaest. Forens.* 37. *Num.* 2. *lib.* 3. *Card. de Luca: De alien,*

Dis-

Disser. 1. *Num.* 1110. *Card. Petra Comment. ad Constit. Apostolic. Tom.* 1. *Pag.* 91. *Num.* 84. *Rota coram Puteo Decis.* 350. *Num.* 18. *Part.* 3. *Recen.* S. *Congregatio in Camerinensi Alienationis* 7. *Decembris* 1814.

Quatenus EE. VV. putent Canonicos ob male gestam Alienationem in Censuras *Extravagantis Ambitiosae* incidisse; cum interea celebraverint, Irregularitatem contraxerunt. Sed attenta bona fide, cum ad Episcopum recursum habuerint, intercluso aditu ad S. Sedem, eisdem dispensatio ab Irregularitate videtur a SSmo exoranda, ut alias statuit S. Congregatio *in Camerinen Alienationis* 17. *Septembris* 1814. Dubium proponitur.

An sit consulendum Sanctissimo pro sanatione, et Dispensatione ab Irregularitate in casu etc.

Affirmative quoad sanationem, et quoad dispensationem, in casu de quo agitur, non indigere.

NULLIUS GUASTALLAE. Ab immemorabili tempore quotannis peracta est solemnis Processio per Civitatem Guastallae cum simulacro B. M. Septem Dolorum a Patribus Servorum ejusdem Virginis Mariae in tertia Dominica Septembris petita tantum ab Ordinario Venia, nunquam autem a Parocho, qui nec interpellatus fuit, nec Supplicationi interfuit. Ita actum est usque ad annum 1809. Mense autem Majo sequentis anni 1810 decreto Publicae Potestatis tunc dominantis ejecta extra Claustrum est Religiosa Familia, clausum Templum, Sacra suppellex distracta. Sed pietas Laicorum Fidelium non ideo tepuit, sed omnem movit lapidem, donec quod in Populi votis erat obtineret, nimirum ut liceret Or- *Sess.* 21. *Cap.* 3. *de Reform.*

 di-

dinario consulere servitio illius Ecclesiae, prout ipsi visum fuisset. Hinc alii fatiscentes Muros suis expensis restaurarunt; alii suppellectilem partim a Demanio, partim ab iis, ad quos pervenerat sua pecunia redemerunt; alii demum quidquid vel necessitas, vel splendor divini Cultus poscebant suppeditarunt. Atque ita Mense Februario sequentis Anni 1811. solemni ritu Ecclesia illa publicae devotioni restituta est; in eaque Ordinarius constituit Rectorem unum ex Presbyteris Ordinis Servorum Mariae, cui sese junxerunt quatuor alii Sacerdotes, et Laicus ejusdem Ordinis, qui in habitu Presbyterorum Saecularium ejusdem Templi Servitio, Populi commodo, sacrisque functionibus se manciparunt.

At cum solvente eodem anno 1811. rediit Festivitas Septem Dolorum B. Mariae, Parochus propria authoritate processionem peragere voluit, aegre quidem ferentibus Rectore, et Patribus, attamen tacentibus, ne quid injuriae in illa temporum acerbitate a publica potestate capesserent. Haec acta fuere absente Ordinario, qui, ut ipse refert - *cum primum domum reversus sum, quod Parochus egerat, imbrobavi, ac deinceps sequentibus quatuor Annis Parochum sese functioni illi ingerere nolui*.

Verum modernus Parochus Laurentius Reggiani putans publicam illam supplicationem ad jura sua Parochialia pertinere proxime elapso anno Protestationem emisit, qua permoti Rector, ejusque Socii, atque ad praecavenda Scandala, postulant ab hac S. Congregatione declarari, posse Oratores de licentia Ordinarii, ac sine ulla a Parocho *dependentia* Processionem illam, uti antea factum est, peragere.

Ita utriusque Partis rationum momenta complectitur Ordinarius in sua Informatione. „ Praecipua ab eo (*Parocho*) allegata ratio est, non existere amplius Religiosam Communitatem, divenditum esse Conventus aedificium, nec Regularem Ecclesiam esse, sed Saecularem, ac proinde ad jura Parochialia devolitam esse, pro quibus tuendis etiam protestationem interponere praesumpsit „.

Ve-

„ Verum ego ejus rationes nullius momenti esse existimavi, cumque ab ingerendo sese huic functioni averti. Ut ita cum eo agerem, me praemoverunt tum rationes superius allatae, tum etiam quod non video, quomodo ex suppressione non Canonica Conventus, et Ecclesiae Regularis acquiri potuerit Parocho jus legitimum, et Canonicum in eamdem Ecclesiam restitutam: praesertim vero cum non sit omnino deperdita Spes restitutionis Conventus, et Religiosae Comunitatis. Accedit, quod cum universa fere ejusdem Ecclesiae suppellex ad Rectoris Fratres spectet, veluti proprietarios, ejusque usum tantummodo precarium Concedentes, immo et quotidiani ejus servitii expensas fere omnes erogent, verendum est, ne Parochi ingerentia offensi, quod suum est, retrahant, et Ecclesiae servitium aut cesset, aut difficillimum reddatur. Rationibus hisce permotus, et rebus ita pendentibus, restitutam Ecclesiam immediatae Ordinarii Jurisdictioni reservandam interea censui, excluso Parocho, immo, et iis gaudere privilegiis et exemptionibus quae a Sede Apostolica Regularibus eorumque Ecclesiis concessae sunt ".

Cum plurimi in hisce casibus faciendae sint Resolutiones S. Congregationis Rituum, referam quid ab ea decisum fuit in Hispalen diei 26. Februarii 1628 - *Abbas Major, et universi Parochi Civitatis Hispalen, citatis Procuratoribus Ordinum, supplicarunt definiri, an Regulares possint facere processiones extra Claustra Monasteriorum? Hinc, an stante consuetudine aliqua faciendi Processiones extra Claustra per vias publicas sine consensu Parochi, talis consuetudo Regularibus suffragetur, et sit attendenda? Et S. Rituum Congregatio ad tollendas difficultates, quae quotidie oriuntur circa Processiones faciendas tam per Regulares, quam per Confraternitates in Ecclesiis Regularium, inhaerendo decretis alias in similibus factis, et signanter in Caesaraugustana 17. Martii 1617. censuit in Processionibus fiendis tam per Regulares, quam per Confraternitates Laicorum ita in posterum servari debere, ut in Ecclesiis habentibus claustrum Processiones fieri non*

pos-

possint, nisi intra Claustra tantum, et non extra. In Ecclesiis vero carentibus Claustro fieri possint intra ambitum, hoc est, prope muros Ecclesiae, sive exeundo a janua Ecclesiae, et intrando per aliam, sive per eamdem, et semper prope muros Ecclesiae, extra vero ambitum Ecclesiae non licere neque Regularibus, neque Confraternitatibus facere Processiones nisi de licentia, consensu, aut cum Cruce Parochi; exceptis tamen illis Ecclesiis, quae habent in hoc speciale privilegium faciendi Processiones per alia loca, quibus per hoc Decretum S. Congregatio non intendit praejudicare -.

Nullum affertur documentum, ex quo constet Religiosos Ordinis B. M. Septem Dolorum privilegio potiri faciendi solemnes supplicationes extra Claustra; quemadmodum potiuntur Dominicani Fratres quoad Processionem Sanctissimi Rosarii in prima Dominica Octobris sine licentia Ordinarii, et sine interventu Parochi ex litteris in forma Brevis Benedicti XIII. diei 10. Aprilis 1725. Attamen Servitis opitulatur antiquissima observantia, quae hominum excedit memoriam, peragendi Processionem, de qua est quaestio, de licentia tantum Ordinarii, et prorsus irrequisito Parocho. Huic autem observantiae favet Resolutio hujus Congregationis *in Volaterrana 16. Martii 1726. ad X. Dubium*, in qua statuitur Regularibus liberum esse ad Processiones extra Claustra peragendas licentiam petere vel ab Episcopo, vel a Paroco. Quin etiam eo magis hac libertate petendi tantum ab Ordinario licentiam frui posse videntur Oratores, cum ipse Ordinarius referat - *restitutam Ecclesiam immediatae suae jurisdictioni reservasse, excluso Parocho -*.

At vero dubitari poterit, utrum, licet Ordinarius declaraverit praedictam Ecclesiam - *iis gaudere privilegiis, et exemptionibus, quae a Sede Apostolica Regularibus, eorumque Ecclesiis concessae sunt* - utrum, inquam pro Regularibus habendi sint Oratores, qui habitu Saecularium Presbyterorum incedunt, et utrum proprii Ordinis privilegia valeant exercere. Manet adhuc in facto suppressio Conventus, et Religiosae Comunitatis, unde suum jus deriva-

rivare contendit Parochus; at haec suppressio canonica nunquam fuit, utpote quae ab illegitima potestate dimanans.

His praemissis *Duo* proponuntur Dubia

I. *An Patribus Servitis in Conventu Guastallae degentibus adhuc in habitu Presbyterorum Saecularium liceat extra claustra peragere Processionem in Tertia Dominica Septembris cum simulacro B. M. V. Septem Dolorum, irrequisito Parocho, et de licentia Ordinarii tantum, in casu etc.*

et quatenus *Negative*.

II. *An jus peragendi eamdem Processionem competat* Parocho, *in casu etc.*

A I. Affirmative de licentia Ordinarii.

Ad II. Provisum in primo.

BALNEOREGIEN. COMMUTATIONIS VOLUNTATIS Postremo cum quo decessit elogio Bernardinus Canallo *anno* 1788., relicto ad vitam usufructu uxori suae Rosae Belli, *jussit* ,, *che seguita la Morte di detta Rosa sua Moglie il tutto si venda, ed il prezzo di tutti i suoi beni venga erogata nella celebrazione di tante Messe in suffragio della di lui anima e de suoi* ,,

Sess. 22. *Cap* 6. *de Reform.*

Superstes Vidua timens ,, *che forse non si darebbe esatta esecuzione al Testamento del defonto Marito e bramando fondare, e costituire un bene perpetuo per l'Anima sua e del Marito* ,, postulat commutationem voluntatis, ut constituere possit Beneficium Ecclesiasticum perpetuum ,, *con li Beni del Marito di cui gode l'usofrutto, e con i beni suoi liberi* ,, in Ecclesia Parochiali patrii Oppidi *di Grotte S. Stefano*, et ad Altare SS. Cordis Jesu, cum one-

onere Capellano injuncto celebrandi *Sex Missas* in die festo S. Titularis, et duas Missas in Hebdomada, quae sequitur tertiam Dominicam cujuslibet Mensis, reservata sibi nominatione Capellani, ipsaque Defuncta „ *Al Direttore della Congregazione del Santissimo Cuor di Gesù, ed in mancanza di questo al Paroco pro tempore della detta Chiesa di S. Stefano, quale però dovrà nominare uno proveniente dalla linea di Antonio Belli, ancorchè sia femmina, purchè il nominando sia constituito in Sacris. Mancando poi la sua linea, il Direttore della Congregazione suddetta del Santissimo Cuor di Gesù debba, e possa nominare anche se stesso, od altro Ecclesiastico parimenti constituito in Sacris, che sia del Paese, ed il più povero degl' Ecclesiastici. Il diritto poi di nominare se stesso, come sopra intende, che competa al Direttore indicato, non però al* Paroco.

Ex Episcopi Informatione constat; Bona haereditaria Bernardini Canallo constare ex duobus Praediolis, una Domuncula, et crypta, quae omnia aestimata sunt in Scut. *centum quinquaginta* annui fructus *Scutorum Decem. Tam Exequutor Testamentarius*; ita refert Episcopus, *quam Rector Ecclesiae erectionem Cappellaniae commendant. Tantum Rector, qui est Parochus, optaret nominationem Capellani ad Parochos pro tempore potius, quam ad Moderatorem Congregationis Sanctissimi Cordis Jesu attribui, cum Paraecia dissolutioni obnoxia non sit, sicuti est Congregatio. Sed tali eventui jam provisum in precibus per substitutionem Parochi, attamen invidiam non effugeret Moderator nominando se ipsum, praesertim actualis, qui erectionem Capellaniae consilio, et opera urget. Agitur autem de parva re ut EE. VV. uno intuitu recognoscent. Talis Capellania longe abesset a constituendo Titulo sufficienti pro Sacra Ordinatione: nam taxa Diaecesana requirit Patrimonium annui reditus Scutorum triginta. Nihilominus subsidium afferret alicui Pauperi Clerico cum supplemento bonorum patrimonialium, ut posset ad Sacerdotium ascendere, praesertim in hac Diaecesi, ubi exigua, et rara sunt Beneficia, et Familiae regulariter inopia laborant, adeoque optarem, ut Colla-*

latori, quemcumque EE. VV. judicabunt, liberum esset sive Clericum in Minoribus, sive in sacris constitutum nominare. Quoad Eleemosinam manualem, nihil in hac Dioecesi innovatum, cum infrequens sit, remanet praeterea vetus unius Julii pro Missis adventitiis, et pro satisfaciendis legatis, exceptis Sacrificiis pro Animabus Purgantibus, tam ex fundis, quam ex oblationibus, quae per Quaestores colliguntur, pro quibus ex Decretis S. Visitationum ad obolos duodedecim aucta reperitur. An autem reditui scutorum decem circiter respondeant Missae triginta per Capellanum, statutis diebus satisfaciendae EE. VV. judicio submitto.

Quae vero, et quanta sint Bona libera Oratricis Viduae, quae defuncti Viri Patrimonio unienda essent ad constituendam Beneficii dotem, haud refert Episcopus.

Cum sancte custodienda sit Defunctorum voluntas *Can. Ultima voluntas quaest. 15.*, idcirco commutationes voluntatum *nonnisi ex justa, et necessaria causa fieri debent*, quemadmodum monet *Trid. Ses. 22. Cap. 6. de Reform.* Bernardinus Canallo jussit, ut pretium omnium bonorum haereditariorum, sequuto obitu Uxoris, cui usumfructum reliquerat, in celebrationem Missarum erogaretur. Quare ex iisdem bonis erigere Cappellaniam, seu Beneficium idem est, ac voluntatem commutare. Utrum vero ad hanc commutationem impetrandam necessaria intercedat, causa ex eo quod periculum sit, ne Defuncti voluntas exequtionem habeat, judicabunt EE. PP., quibus notum est, numquam voluntates commutari, nisi concurrat praecisa necessitas, ut statuit S. Congregatio *Forosempronien. Commutationis voluntatis 16. Maji 1778.*, *et in Civitatis Castelli Reductionis, et commutationis Pii Operis 27. Junii 1807. ad I. Dubium*; et causam utilem, at non necessariam idoneam non esse ad commutandas voluntates, *in Asculana Commutationis voluntatis 12. Augusti 1802.*

Haec autem utilitas haud probata esset, si pro dote Beneficii assignanda erunt bona tantum haereditaria Viri, quae vix attingunt annuum reditum scutor. decem, ex quo ne sufficiens quidem Titulus ad Ordines suscipiendos constituitur. Nec hujusce

utilitatis probatio mutuari potest ex unione bonorum libere spectantium ad Oratricem, cum ignotum sit, quid valeant, et cujus sint annui fructus.

Nihilominus Episcopus, Parochus, et Exequutor Testamentarius erectionem novae Cappellaniae commendant. Certe videtur postulari, non tam ut omnino commutetur voluntas, quam ut prorogetur potius ejus exequtio. Nam si ex pretio retrahendo ex fundis haereditariis alienandis in sc. *centum quinquaginta* Missae *mille, et quingentum* celebrari poterant, quemadmodum Testator jussit; sane haec celebratio dividitur in annos singulos, et perpetua redditur. Accedit quod ita commutata voluntas utilis futura esse poterit pauperibus Clericis, qui ad S. Ordines promoveri cupiunt: Quamquam enim annui fructus hujus erigendae Cappellaniae in scutis decem, habito respectu ad bona tantum viri, pro titulo non snfficiant ad ordines suscipiendos, attamen esse poterunt pro supplemento iis, qui integrum, ad Taxam Synodalem scut. triginta, non habent Patrimonium.

Si ad hanc commutationem voluntatis, erectionemque Cappellaniae EE.PP. sententia inclinet, tum de *modo* querendum erit. Duo prae caeteris statuenda videntur, onera imponenda, et reservatio Jurispatronatus activi, et passivi. Missas annuas *triginta* Fundatrix imponere vult, scilicet, *sex* in die festo Tituli Cappellaniae, quae nuncupanda est *Ssmo Cordis Jesu*, *et vigintiquatuor* in singulos menses distributas, duas nempe in cujusque Mensis hebdomada, quae trtiam *Dominicam* sequitur. Si haec onera Missarum *triginta* taxentur etiam ad perpetuam obolorum viginti, requirunt annua scuta *sex*, quibus abunde sufficiens erit reditus scut. *decem*.

Activum Juspatronatus Fundatrix sibi reservare vult, et post sui obitum *Directori* Congregationis Cordis Jesu. Parochus obstat: quia dissoluta hac Congregatione resolveretur Juspatronatus, sibique potius attribui postulat, et successoribus suis, qui semper manebunt. Sed haec difficultas evanescit ex substitutione Parochi, quam Fundatrix adjicere vult in casu deficientiae *Directoris*.

Pas-

Passivum Juspatronatus Fundatrix addicit descendentibus ex linea masculina, et Faeminina Antonii Belli, dummodo sint in Sacris constituti, et deficiente hac descendentia, jus tribuit Directori Congregationis Ssmi Cordis Jesu se ipsum nominandi, aut alium Ecclesiasticum, ex Oppido *Grotte S. Stefano*, pauperem, et in Sacris constitutum. Episcopus putat melius futurum, si liberum sit Collatori nominare descendentes ex Antonio Belli, sive Clericos in Minoribus, sive in S. Ordinibus constitutos; additque *quod Moderator invidiam non effugeret, se ipsum nominando, praesertim actualis, qui erectionem Cappellaniae consilio, et opera urget.*

Prae sua Sapientia EE. PP. quidquid de hac re expedire judicabunt sub sequenti *Dubio* statuent.

An, et quomodo sit locus commutationi voluntatis, et erectioni Cappellaniae in casu etc.

Non proposita cum sequenti.

VERULANA DIVISIONIS MASSAE CAPITULARIS. Ex simplicium Beneficiorum unione, et trium Ecclesiarum Parochialium redituum applicatione coalescit Massa Capitularis Collegiatae Ecclesiae Oppidi S. Joannis, quae ex Bulla Erectionis communiter administratur, et fructus in singulos Canonicos annuatim dispertiuntur. Cum ex octo Canonicis, tres sint Animarum curae addicti; idcirco, a procurandis communibus negotiis, sunt exempti; non desunt inter alios quinque, vel impares, vel impotentes, unde continuo in uno, vel altero tantum residet administratio, quae, ut experientia compertum est, nec laudabilis, nec ipsi Capitulo utilis evadit. Quare Canonici omnes, subscriptis precibus, postulant,

Sess.22. cap.6
Sess.25. cap.8
de Reform.

lant, ut Massa, pro Canonicorum numero, in Praebendas dividatur. Episcopus petitioni suffragatur: *Bona enim ait Massae communis commodam patiuntur divisionem. Si tot constituerentur Praebendae singulis, administrandae Canonicis, qui propriis impensis, vel alieno labore illas excolant, atque uniuscujusque, ex partecipantium vigilantia, praedia meliorentur, non parum utilitatis obtineret Ecclesia, et jurgia, ac dissentiones removerentur.*

Petitioni obstat nedum Bulla Erectionis, quae communem Massam constituit, sed etiam primaeva Ecclesiae Disciplina, quae a Christi Domini, et Apostolorum exemplo originem ducit. Divisis postea Ecclesiis, unaquaeque suos in commune alebat Ministros, ut constat ex *Can.* 24. *et* 25. Concilii Antiocheni Seculo IV. celebrati, et in Decreto Gratiani relatis in *Can.* 22. 23. 24. *Caus.* 12. *Quaest.* 1. Sequenti tempore, quo haec communio obtinuit inter primos Canonicos, quorum bona erant indivisa, et singuli, ex communi cumulo, percipiebant, quae eis ad vitam erant necessaria, ut constat ex Canonibus Concilii Tauronensis anni 813. celebrati, ut videre est apud *Miraeum in Diplom. Belgic. Cap.* 65. postea tamen invecta est Praebendarum divisio, quae a S. Concilio Trid. *Ses.* 5. *Cap.* 1. *De Ref.* non improbatur.

Attamen, cum hisce etiam in casibus potissimum inspicienda sit utilitas Ecclesiae, ut saepe respondit S. haec Congregatio, ac praesertim in *Nullius seu Sublacen. Beneplaciti Apostolici* 16. *Junii* 1781., *et Parmen.* 16. *Januarii* 1782. Videant EE. VV. utrum unanime Votum Capituli, et Episcopi testimonium satis sint, ut magis expediens, et utilior tum Ecclesiae, tum Capitulo judicanda sit divisio communis Massae, quemadmodum pro divisione redditum fuit judicium in *Firmana* 11. *Julii* 1801. Quo quidem in casu exoranda erit a SSmo derogatio Bullae erectionis. Erit Dubium.

An sit consulendum SSmo, pro divisione Massae communis in praebendas in casu etc.

Deinde

Die Sabathi 29. Martii 1817. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilii, in qua præter alia proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

BALNEOREGIEN COMMUTATIONIS VOLUNTATIS — *Sess. 22. Cap. 6. de Reform.*

An, et quomodo sit locus commutationi voluntatis, et erectioni Cappellaniae in casu etc.

Dilata, et Episcopus referat de bonis a Rosa Belli assignandis, eorumque valore, et annuo redditu, nec non de illus obligatione in forma juris valida.

VERULANA DIVISIONIS MASSAE CAPITULARIS — *Sess. 22. Cap. 6. Sess. 25. Cap. 8. de Reform.*

An sit consulendum Sanctissimo pro divisione Massae communis in praebendas in casu etc.

Affirmative excepta tertia parte bonorum arbitrio Episcopi assignanda pro Massa distributionum ad formam S. Concilii Tridentini.

RA-

Sess. 23. Cap. 1. de Reform.

RAVENNATEN PARAECIAE. Ex undeviginti Paraeciis, quibus olim dispertiebatur Ravennae Civitas anno 1806. decem suppressae, aliisque unitae fuere, ita decernentibus iis, qui tunc imperio potiebantur, et auctorante Archiepiscopo, qui opportunis facultatibus a Sede Apostolica erat munitus. Inter has Paraecias suppressa fuit illa S. Mariae *In Coelos eo*, cujus Ecclesiam vili pretio a Demanio emit Aloysius Loreta, et animarum cura unita Paraeciae S. Apollinaris, quae e sua sede translata fuit in celebratissimam Basilicam S. Vitalis, quae ad suppressam Abbatiam Cassinentium pertinebat. Haec porro suppressio, et translatio Curae S. Mariae facta est ea lege, ut reditus Paraeciae vita durante usufrueretur ejus Rector Sacerdos Joseph Loreta. Hoc defuncto *die* 13. *Septembris anni* 1814. demanium bona omnia occupavit quoad usque eorum fieret applicatio. Conversa armorum fortuna, eaque provincia ab Austriacis armis occupata actum est de applicatione illorum redituum, et ab Archiepiscopo proponebatur, ut in *quatuor* partes dividerentur, quarum *una* attribueretur fabricae Basilicae S. *Vitalis*: *altera* fabricae Ecclesiae Parrochialis *S. Barbarae in Portu*: *tertia* in causam stipendii Vicarii in praedicta Paraecia *S. Barbarae* constituendi: *quarta* in eamdem causam stipendii pro Vicario deputando in altera Parochiali Ecclesia S. Rocci.

Interim reintegrato Pontificio regimine Promotor Fiscalis Curiae Ecclesiasticae Ravennatensis preces obtulit pro applicatione redituum Paraeciae S. Mariae in *Coelos*, *eo* quemadmodum proposuerat Archiepiscopus, qui in remissa *Infosmatione* diligenter satisfacit iis, de quibus rogatus fuerat.

Transmittit Statum *Activum* et *Passivum* Paraeciae *S. Mariae in Coelos eo*. Haec, quae olim constabat capitibus 245., ex bonis tum rusticis, tum urbanis, ex fructibus censuum, et incertis stolae annuum habebat reditum *scut.* 325. juxta Inventariuum in actu Visitationis anni 1786. confectum, et nunc ad annua etiam *scuta* 400. assurgit. Onera vero hujusmodi sunt: Ex legatis Missae annuae *Centum*

tum septuaginta duae: Pro vectigalibus, et expensis manutentionis bonorum, et celebrationis festorum Parochialium annua *scuta* 105.

Paraeciae S, *Barbarae* hujusmodi erat status anno 1787. ut haberet annuos reditus in *scutis annuis* 91. et alia annua *scuta centum* ex Conventu Parochorum, qui olim Ravennae ad indigentium Paraeciarum levamen constitutus erat. Huic Paraeciae expensas manutentionis fabricae, et sacrarum Supellectilium subministrabat Abbatia S. Vitalis. Qua suppressa una cum conventu Parochorum *anno* 1798. Rector annuam pensionem *scutorum centum* a Gubernio obtinuit. *Anno* 1806. translata haec Paraecia fuit ad Ecclesiam *S. Mariae in Portu*, quae pro manutentione majorem impensam requirit. Ante suppressionem aliarum Paraeciarum haec S. *Barbarae* coalescebat ex animabus 969.; et aucta est ad capita 1260. etParochus, qui cessavit a percipienda pensione, stipendium solvere Cappellano nequit Curato, quo adjutore opus habet ad curae animarum exercitium.

Paraecia S. *Rocci in Burgo* per septem lapides in agrum protenditur, et populosa est ad *capita* 3724. unde oritur necessitas unum, alterumque retinendi Cappellanum. Anno 1796. Parochus comprehensis incertis habebat congruam scutorum *quatuorcentum*. Sed post suppressionem conventus Parochorum vix *scuta* 300. percipit, quae cum sint oneribus imparia, postulavit, ut ex reditibus suppressae Paraeciae S.Mariae *Ad Coelos eo* unius Cappellani stipendium percipere posset.

Haec de statu Paraeciarum habet Archiepiscopus in sua *Informatione*, in qua remittit *Folium* Capituli Metropolitani, quod huic divisioni, et applicationi redituum Paraeciae S. Mariae in *Coelos eo* refragatur, et ejusdem Paraeciae postulat reintegrationem. Auditus quoque fuit Parochus S. Vitalis, qui censet pro nunc reintegrari non posse Paraeciam S. Mariae in *Coelos eo*, et probat divisionem ejusdem redituum, quemadmodum Archiepiscopus proponit. Postulat tamen, ut praeter quartam redituum partem eidem assignetur summa annua pro expensis faciendis

dis in celebrationem festorum, quae pertinent ad Paraeciam S. Mariae.

Post haec Archiepiscopus affert rationes, cur servanda sit suppressio, et translatio Paraeciae S. *Mariae in Coelos eo*, rejicitque ea, quae contra a Capitulo afferuntur, quae in utramque partem Vobis EE. PP. subiiciam. Ementito Capituli nomine, interposita fuit in hac causa protestatio cum clausula *Nihil Transeat*, quam lacerandam decrevi, propterea quod mandatum procurae Capituli numquam exhibitum fuit. Ex officio proponitur causa sub unius, alteriusque Dubii formula.

In I. *Dubio* quaeritur servanda nec ne sit suppressio, et translatio curae animarum S. Mariae in *Coelos eo*, seu potius sit reintegranda. Quamquam enim Capitulum vadimonium Promotori Fiscali offerre recusaverit, attamen in comitiis Capitularibus repugnavit divisioni, et applicationi redituum ejusdem Paraeciae, et multa deduxit, quae Archiepiscopus refutat: Vestrum itaque erit EE. PP. perpensis utrinque adductis rationum momentis statuere quid expediens videatur.

Canonice quidem suppressa fuit cura animarum Paraeciae S. Mariae in *Coelos eo*, cum Archiepiscopus a Summo Pontifice opportunis esset auctus facultatibus per epistolam ab Eminentissimo, et Reverendissimo de Petro *die 27. Julii anni* 1805. datam. Sed haec fecit, ut ad evitanda majora mala conditioni temporum cederet. Si itaque iniquitas temporum cessavit, in pristinum statum revocanda videtur Parochia S. Mariae *in Coelos eo*. Expedit enim saluti animarum, ut multi sint pastores, qui gregi advigilent, et ejusdem necessitatibus occurrant. Negat porro Capitulum reditus suppressae Paraeciae S. Mariæ sufficere pro manutentione duorum Templorum S. *Vitalis*, *et* S. *Mariae de Portu*, quae pro sua cujusque amplitudine maximum requirunt impendium. Nec necessariam dicit Parochis S. *Barbarae*, *et S. Rocci* operam Vicariorum, cum eisdem non adeo excreverit Parochianorum numerus, ut soli iisdem adesse non possint.

Contra Archiepiscopus, quamquam et ipse putet utilius

lius futurum si majores, quam nunc sunt, reintegrarentur Ecclesiae Parochiales; attamen id fieri posse negat, nisi subverso penitus regimine Paraeciarum constituto anno 1806., cum scilicet reductio facta est. Tum enim suppressis decem Paraeciis, et translatis in novem superextantes, inter has universus populus divisus est, et cuique Paraeciae nova confinia descripta, et plebs assignata, et reditus constituti fuere. Opoteret itaque haec omnia evertere, ut ad antiquum numerum, et statum Paraeciae revocarentur. Quod si reditus suppressae Paraeciae S. Mariae satis non sunt ad expensas necessarias pro manutentione Basilicae *S. Vitalis*, et Templi *S. Mariae in Portu*, attamen dant aliquid, quod pro necessariis saltem expensis sufficit. Necessariam porro esse dicit Archiepiscopus operam Vicarii tum Parocho *S. Barbarae*, tum S. *Rocci*. Illi enim adauctus est Parochianorum numerus *ad capita* 1254; hic vero semper retinuit geminum Cappellanum, ut animabus 3164 per agrum dispersis suam praestaret operam. Post vero suppressum Parochorum conventum, ex cujus reditibus succurrebatur, Parochus *S. Rocci* ob congruae diminutionem duos Vicarios retinere non potest.

Quatenus EE. VV. sententia inclinet ad servandam suppressionem, et translationem Ecclesiae Parrochialis S. Mariae *in Coelos eo*; tunc in *II. Dubio* decernendum erit quo modo dividendi sint reditus suppressae Parrochialis Ecclesiae S Mariae. Quadripartitam divisionem proponit Archiepiscopus; *ut una* quota, et *altera* attribuatur pro fabrica Basilicae S. *Vitalis*, et Templi S. *Mariae in Portu*. Utramque Ecclesiam vetustate, et magnificentia celebratam servare praestat. *Tertia* vero, et *quarta* quota Parocho *S. Barbarae, et S. Rocci* applicetur, ut supplere uterque possit expensae pro stipendio Vicarii Curati. Capitulum, cum reintegrationem Paraeciae S. Mariae urgeat, non contradicit huic divisioni redituum, quatenus illius Paraeciae suppressio servanda sit. Parochus S. Apollinaris (quae cura nunc in Basilica S. Vitalis constituta est) divisionem probat, et tantum postulat, ut ex reditibus S. Mariae ei subministretur

 ali-

aliqua summa pro expensis festorum dierum, qui pro titulo ejusdem Paraeciae celebrandi sunt.

Dubia proponuntur.

I. An suppressio, et translatio Paraeciae S. Mariae in Coelos eo sit servanda; seu potius eadem Paraecia in pristinum statum sit reducenda in casu etc.

Et quatenus *Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam*

II. An, et quomodo sit locus divisioni, et applicationi redituum Paraeciae S. Mariae in Caelos eo in casu etc.

Ad I. Dilata, et serbatur Archiepiscopo juxta mentem.

Ad II. Provisum in primo.

Sess. 24. cap. 12. de Reform.

CINGULANA SERVITII CHORI In Cingulana Civitate editissimo in loco posita, tanta nivium congeries hyberno tempore insidet, tantaque est furentium ventorum vis, ut non sine valetudinis detrimento, et quandoque etiam non absque vitae periculo datum sit, summo praesertim mane, per illius vias circumire. Quo fit ut Canonici Cathedralis, qui quotidianum Chori servitium praestare debent, sive quia aegrotantur, sive quia periculum valetudinis timent, non intersint *Matutino*, et eo hyemis tempore utantur duorum Mensium vacationibus a Tridentino permissis. Ut diligentiori servitio Chori, et sibi consuleret Capitulum Cathedralis *anno* 1809. postulavit ab hac S. Congregatione tum ut quotidianum servitium Chori ad alternas hebdomadas reduceretur, exceptis diebus Festis, et Quadragesima, ita tamen, ut hac reductione obtenta, a Conciliaribus vacationibus sese abstinerent; tum ut a *die 2. Novembris* usque ad diem solemnitatis Paschatis, exceptis diebus sole-

leninioribus, possent Matutinum sequentis diei post Completorium antecedentis persolvere. Res infecta mansit ob publicas calamitates.

Iteratis praeterito anno precibus, et audito Capitulo in comitiis habitis *die* 13. *Maji*, ex decem intervenientibus (nam duo erant infirmitate impediti, alter e Civitate absens, quartus sponte non interfuit) septem instantiae suffragarunt, tres in contrariam abierunt sententiam. Eminentissimus vero Episcopus confirmat ea, quae Capitulum de inclementiori tempore hyemis aere, et de periculo valetudinis exposuit, et putat exaudiendum esse quoad anticipationem Matutini; secus censet quoad reductionem servitii Chori ad mediariam. *Pauci* enim inquit *non sunt inter Canonicos, qui dissentiunt, licet Capitulum constet tredecim Canonicis cum duabus Dignitatibus quotidiano Chori servitio juxta Constitutiones addictis, dempto Archipresbytero secunda Dignitate, qui ab onere hujusmodi immunis est, et septem Mansionariis, qui ex lege fundationis mediariae gaudent privilegio. Etenim cum unus, et alter existat ex Canonicis, qui jubilationis Beneficium brevi consequi poterunt, et plures sint ob infirmam valetudinem saepe Choro non interessentes, quod quidem magis dici potest de Mansionariis, quos inter unus adest jubilatus, alter vero fere omnino luminibus laesus, fieret profecto, pauciores Canonicos, quam aliquando nunc accidit, licet omnes quotidie, demptis duobus vacationis mensibus, Choro interesse teneantur, Chori servitium frequentare.*

I. Dubium respicit anticipationem Matutini. Ex primaeva Ecclesiae Disciplina *initium illi erat ad Galli cantum*, ut inquit *S. Joannes Chrisostomus Homilia* 57., et decrevit ex Concilio *Agathensi S. Gregorius IX. in cap. Presbyt. de celeb. Miss.* Quae austerior Ecclesiae disciplina, sequiori aevo remissa fuit, et tempus Matutini constitutum est ad auroram, teste *Benedicto XIV. instit.* 107. §. 4. *num.* 10. Ex consuetudine tamen in Capitulis Saecularibus inductum fuit, ut serius quam ad Auroram celebretur Matutinum, ac propterea cum *Clemen-*

tina l. de celeb. Mis. praescribat, ut *debitis horis psallatur*, hoc in jure firmum est, ut Matutinum ea hora recitandum sit, qua solitum est ex consuetudine, quae immutanda non est. *Fagnan. in lib.* 1. *Decretal. Cap. Consuetudines De consuetud. num.* 14. A consuetudine itaque recedendum esset, si permitteretur Capitulo Cathedralis Cingulanae exsolvere Matutinum antecedenti die post *Completorium*. Inquirendum itaque num justa intercedat causa, cur id permittendum sit.

Sane ex doctrina D. Thomae in *quodlibet.* 5. *quaest.* 13. *art.* 28., is, qui extra Chorum, sed servitio Chori addictus officium recitat, potest anticipare Matutinum, et Laudes post completorium: quia *quantum ad ecclesiasticum officium, et solemnitatum celebrationem incipit dies a Vesperis; unde si aliquis post Vesperas, et Completorium dicat Matutinum jam hoc pertinet ad diem sequentem*. Quamquam haec doctrina non prosit, ut indiscriminatim Capitulis permittatur anticipatio Matutini, cum in his vetus servanda sit disciplina, nec immutandae sint horae ad recitandum officium constitutae *Vega in Sum. Verb. Horae num.* 1. *Ceccoper. lucubrat. Canon. lib.* 2. *num.* 19., Attamen conferre posse videtur, si justa concurrat causa ad anticipationem concedendam. Vestrum EE. PP. erit judicium, num ex causa rigidioris aeris, et periculi valetudinis, et diligentioris servitii Chori petita anticipatio sit permittenda. Has causas probat *Brasch. in Promptuar. Synod. Cap.* 86. *num.* 18. *Cecoper. loco citat. num.* 20. *Bened. XIV. citat. Instit.* 107. §. 4. *num.* 22. S. Congregatio petitam anticipationem rejicit in *Parmen.* 31. *Maji* 1794., Sed postulabatur anticipatio ob frigiditatem non Coeli, sed Ecclesiae ex marmore constructae, et pro diebus *ritus duplicis, vel primae Classis*, in quibus tenebantur Canonici, ex Rescripto Sanctissimi recitare Matutinum hora consueta. Videant potius, num casui nostro, aptior sit alia Resolutio in *Ablunen Servitii Chori* 23. *Januari* 1790., in qua ob frigidam Caeli intemperiem concessa fuit Matutini anticipatio.

Prae oculis habeant EE. PP. simile indultum ab hac S. Congregatione Collegiatae S. Exuperantiae in ipsa Ci-

Civitate Cinguli concessum, et exempla finitimarum Cathedralium Anconae, Septempedae, Fabriani, quae eodem Indulto fruuntur, ut in sua *Informatione* testatur Eminentissimus Episcopus, simulque Decretum alias latum in *Mutinen.* 12. *Novembris* 1644. in qua S. Congregatio *censuit petitam facultatem esse Oratoribus concedendam post Completorium praecedentis diei, pro arbitrio tamen Episcopi, et dummodo lapsa sit hora tertia post meridiem. lib.* 17. *Decret. pag.* 374.

In II. Dubio quaeritur de reductione Servitii Chori. Agitur sane de Capitulo Cathedralis, a quo quotidianum servitium praestandum est, ut ad normam *Clementin.* 1. *de celeb. Missar. et Concilii Trid. Ses.* 21., *et* 22. *Cap.* 4. *et Ses.* 14. *Cap.* 12. *de Ref.* definivit S. Congregatio in *Setina Chori, et Missae Conventualis* 21. *Januarij* 1786. Verumtamen coelum nimis frigidum idoneam causam esse, quamobrem servitium reducatur, ne sine gravi salutis detrimento Canonici illud praestare teneantur, tradunt *Ceccoper. lucubrat. Canon. lib.* 2. *num.* 150. *Pirringh. in Jus Can. lib.* 3. *tit.* 4. *de Cleric. non residen.* §. 23. *Schim. Juris Canon. lib.* 3. *Tract.* 1. *Par.* 2. *Cap.* 3. *num.* 351., et S. Congregatio ob aeris intemperiem indulgentiam adhibuit, et servitium Chori ad mediariam ex *gratia* concessit in *Castri Maris Servitii Chori* 30. *Julii* 1735.

Nihilominus Eminentissimus Episcopus huic gratiae repugnat ob detrimentum servitii Chori. Nam duo Canonici brevi expleturi sunt quadragenarium servitium, et Indultum jubilationis consequentur, alii vero saepe aegrotantur, nec servitium obire possunt. Ex Mansionariis alter caecus est, alter jubilatus, unde putat Eminentissimus Episcopus fieri posse, si admittatur servitium alternativum, ne aliquando pene desertum sit. Capitulum tamen Cathedralis Cinguli jam fruitur ex consuetudine vacationibus *duorum mensium*, et postulat, ut loco harum vacationum servitium ad mediariam reducatur, unde non tam de reducendo, quam de immutando servitio agitur. Quod si concedatur reductio

ctio ad mediariam cum solitis clausulis, nempe, ut omnes interesse teneantur omnibus diebus *festis*, *et aliis solemnioribus Nativitatis, Resurrectionis D.N. Jesu Christi, Pentecostes, Sanctissimi Corporis Christi, S. Titularis, et omnibus Octavis privilegiatis, et tempore Adventus, et Quadragesimae*; quae clausulae semper apponi solent, *ut in Tarracanen.* 18. *Februarii* 1764. Capitulum vacaret per tres Menses, id quod a Tridentino *Sess.* 24. *Cap.* 11. *de Reform.* permittitur.

Dubia perponuntur.

I. *An, et quomodo Capitulo Cathedralis Cinguli concedendum sit indultum anticipandi recitationem Matutini post completorium diei antecedentis in casu etc.*

II. *An, et quomodo servitium Chori ejusdem Capituli sit reducendum ad mediariam in casu etc.*

Ad I. Affirmative a die prima Novembris usque ad Dominicam Resurrectionis exclusive, et dummodo elepsa sit hora tertia post meridiem.

Ad II. Negative.

Sess. 24. *Cap.* 12. *de Reform.*

RECANATEN JUBILATIONIS. Emenso continuo, et laudabili quadragenario chori servitio in Cathedrali Recanatensi Canonicus Andreas Rossi annuente Capitulo, et probante Episcopo indultum jubilationis ex Rescripto hujus S.Congregationis *diei* 24. *Augusti* 1816 consequutus est. Paulo post a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO evectus est ad Dignitatem Archidiaconatus ipsius Cathedralis, atque in litteris Apostolicis appositum fuit Decretum *Cassationis* indulti jubilationis. Nunc itaque ab hac S. Congregatione implorat, vel ut confirmetur Indultum jubilationis jam obtentae, vel ut ei ex integro concedatur, tum ob praestitum supra quadraginta an-

no-

norum servitium, tum ob adversam valetudinem, de qua Physici jurati deponunt. Re ad Vicarium Capitularem delata, ut votum suum aperiret *Audito Capitulo*, et referret de Ecclesiae Constitutionibus, et exemplis, haud constat iterum exquisivisse Capituli sententiam, cum in suis litteris se referat ad Canonicorum consensum, cui innititur Rescriptum jubilationis diei 24. *Augusti praeteriti anni*. Quo vero ad exempla haec habet - *Neque ad rem exempla desunt haud vetera, nedum in hac Lauretana, verum etiam in ipsa Cathedrali Recanatensi, cujus Choro addicti honesta sunt missione donati post expletum quadraginta annorum servitium, licet non semper in eadem Ecclesia, neque uno, eodemque titulo insigniti, atque praerogativa inserviissent: hujusmodi fuit quondam Nicolaus Prosperi, qui, cumulato Altaristae, et Canonici servitio, eamdem missionem obtinuit; hujusmodi Archipresbyter adhuc vivens Antonius Flaminj, qui prius Canonicus fuerat; hujusmodi quoque Franciscus Xaverius Pagliarini, licet Altaristae caeteri litem ei intendissent, eo quod septem circiter annos Choro Collegiatae Castri Novi Recanatensis addictus antea fuerit, hique omnes Cathedralis Recanatensis sunt* - Affirmat praeterea *Oratorem, cum Archidiaconatus Dignitatem consequutus est (ex qua non percipit nisi octo Ducata de Camera) numquam cogitasse se hoc indulto privatum iri*. Itaque eum commendat tum ob *adversam valeditudinem*, tum etiam quia post obtentam a choro missionem, *servitium ob suam devotionem non* omnino deseruit.

Alterutrum postulat Archidiaconus Rossi, vel, ut ei confirmetur jam obtentum, vel, ut ex integro concedatur indultum jubilationis. At petitae confirmationi obstat Decretum *cassationis* indulti, quod in litteris Apostolicis appositum fuit, quod quidem Decretum non nisi a S. Pontifice aboleri posset. Alteri vero petitioni assentiri, novum et inusitatum videtur. Indulta enim hujusmodi, quae non ex jure, sed ex tollerantia inducta sunt, ut tradunt *Garzia de Benef. part. 3. cap. 2. §. 1. num. 334. Benedict.*

dict. XIV. de Synod. Dioeces. Lib. 13. *cap.* 9. *num.* 45. concedi debent juxta introductam consuetudinem. Inolevit primum retroacto tempore, ut concederetur indultum iis, qui quadragenarium servitium praestiterant in una, eademque Ecclesia sub diverso titulo, ut statuit S. Congregatio *in Dubia Jubilationis* 23. *Novembris* 1805. Posmodum invaluit, ut servitium quadragenarium, licet in diversis Ecclesiis praestitum, satis esset ab obtinendam jubilationem, ut recedendo a contraria, quae antea obtinuerat, sententia statuit S. Congregatio in *eadem Recanaten Jubilationis* 23. *Novembris* 1805.

At in praesenti casu res est de Beneficiato, qui ob praestitum laudabiliter quadragenarium servitium, jam consequutus est jubilationem, quam nunc protrahere nititur ad novum Beneficium ex Apostolica Provisione obtentum. Hoc in casu nullum datum est inveniri exemplum fortasse quia, aut nemo post adeo longum quadraginta annorum servitium, obtentamque jubilationem, sollicitus fuit ad aliud residentiale Beneficium transire; aut si forte fortuna id contigit, noviter Provisus acquievit decreto, quod de more apponi solet in litteris novae Collationis, ex quo deletur jubilationis indultum.

Attamen manet semper, quod Orator Archidiaconus Rossi *quadraginta* annis sedulo, ac laudabiliter Ecclesiae servitium praestitit, quod jus ei tribuit ad jubilationem, quam reapse assecutus est. Ut ergo ad computandum annorum numerum unius, alteriusque Beneficii, unius, alteriusve Ecclesiae servitium unitur, ita induci posset obtentam jubilationem protendi etiam ad noviter obtentam dignitatem, ut arbitratur Episcopus, qui Oratorem meritis prosequitur laudibus, eumque enixe commendat.

Alia etiam in medium affertur causa concedendi indultum petita ex adversa Oratoris valetudine, de qua indubie testantur Physici. At sciunt EE. Patres ex causa infirmitatis aliud concedi indultum, quod nihil commune habet cum quadragenario servitio. Cum itaque, obstante decreto in litteris Collationis apposito, datum non sit de continuatione veteris in-

indulti inquirere; superest ut EE. Patres videant, an novum sit concedendum sub Dubio.

An sit concedendum novum indultum jubilationis in casu etc.

Dilata, et scribatur Episcopo juxta mentem.

PISANA. Parochus S. Cassiani nomine etiam aliorum Parochorum Pisanae Archidiaecesis, ut in dubio conscientiae acquiescant, proposuit *Quaesitum* hujusmodi - *Utrum Parochi in quorum Ecclesiis tempore Adventus, et Quadragesimae habentur sacrae Conciones per Praecones ab Ordinario approbatos, soluti sint obligatione in Missae Parochialis celebratione explicandi Evangelium*. De hoc dubio EE. PP. rogavi sententiam in praeterita Congregatione per *Summaria Precum*, vobisque placuit, ut in *Folio* accuratiori examini subjiceretur.

Sess. 5. Cap. 1. Ses. 24. Cap. 4. De Reform.

Ut mandatis obtemperem ea, quae adduci possunt in utramque partem exponam, cum facta diligenti perquisitione, neque hanc controversiam a S. Congregatione decisam, neque a Canonistis tractatam reperire potui.

Id primo inquirendum videtur, num Concionatores tempore Adventus, et Quadragesimae praedicent pro Episcopo, vel pro Parochis, et num Parochi per substitutos possint obligationi praedicandi satisfacere. Nam si Conciones habentur non pro Episcopo, sed pro Parochis, non possunt sane Parochi compelli idem onus per se, et per alios praestare. Rursus si per substitutos huic oneri fieri potest satis, eodem tempore et ipsi per se non teneri videntur.

Dubitari potest Concionatores vicariam operam non

 obi-

obire pro Parochis, sed pro Episcopo: nam cum hoc Praedicationis munus injunctum sit Apostolis - *Praedicate Evangelium omni creaturae Marc.* 16. 15. deduci hinc posse videtur in universa Diaecesi Episcoporum ita esse proprium onus Praedicationis, ut Parochis, aliisque Presbyteris non competat, nisi ex illorum missione. Hinc Episcopus qui *verbi Minister* appellatur a S. Clemente *Lib.* 2. *Constit. cap.* 30. si ipse non potest per universam Diaecesim, tenetur delegare Concionatores, ut deducitur *ex Cap. Inter caetera de Offic. Jud. Ordinar.* in quo praescribitur Episcopis, ut in amplis Diaecesibus, vel si aliter impediti fuerint, quominus per se concionentur - *Viros idoneos ad Sanctae Praedicationis officium salubriter exequendum assumant* (*qui Plebes sibi commissas vice ipsorum sollicite visitantes eas verbo aedificent, et exemplo*, Ex quo *Textu* colligitur, ut inquint *Passerinus de Stat. Homin. quaest.* 187. *Artic.* 4. *Inspect.* 2. *num.* 27. - *Quod solius Episcopi est nedum Praedicatores approbare, sed eos eligere pro Ecclesiis Diaecesis suae Jurisdictioni subjectis : Nec Parochus potest impedire Praedicatorem missum ab Episcopo, ne in sua Ecclesia Conciones habeat. Cum enim praedicandi munus sit illi proprium, nulli hoc competit, nisi ab eo misso! Mittit vero Parochos, cum illis Beneficium Parochiale confert, alios vero eligit secundum suae prudentiae arbitrium.*

Nihilominus licet ex his certo constet Episcoporum praecipuum esse praedicationis munus, non inde tamen sequitur, ut idem onus non competat etiam Parochis *ratione Officii*. Nam a SS. Concilio Tridentino declaratum est *Sess.* 23. *cap.* 1. *de Ref. Praecepto divino* (mandatum esse) *omnibus quibus animarum cura commissa est, oves suas cognoscere, pro his Sacrificium offerre, verbi divini Praedicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum operum exemplo pascere*. Si itaque praecepto Divino Parochis animarum cura comissa est, ut dubitari nequit, sequitur, ut et ipsi divino sint obnoxii praecepto, oves sibi commissas praedicatione pascere, ipsisque munus Praedicationis *ratione officii* competere

tere, ut tradit *Gonzalez in Jus. Can. lib. 1. tit. 3. numer.5.*

Cum igitur tum Episcopus ob suum praecipuum munus, tum Parochus ratione officii ad Praedicationem teneantur, inquirendum erit, num Concionator tempore Adventus, et Quadragesimae praedicet pro Episcopo, vel pro Parocho. Haec ad rem habet Tridentinum in altero Decreto *Sess.24.cap. 4. De Ref. Praedicationis munus, quod Episcoporum praecipuum est, cupiens S. Synodus quo frequentius possit ad fidelium salutem exerceri, mandat, ut in Ecclesia sua ipsi per se, aut si legitime impediti fuerint per eos, quos ad Praedicationis munus assument, in aliis autem Ecclesiis per Parochos, sive iis impeditis, per alios, ab Episcopo impensis eorum qui eas praestare, vel tenentur, vel solent deputandos in Civitate, aut in quacumque parte Dioecesis censebunt expedire, saltem omnibus diebus Dominicis, et solemnibus festis; tempore autem Jejuniorum Quadragesimae, Adventus Domini quotidie, vel saltem tribus in hebdomada diebus, si ita expedire duxerint, Sacras Scripturas, divinamque Legem annuncient, et alias quotiescumque id opportune fieri posse judicaverint.*

Ex quo Tridentino Decreto, sequitur Episcopum teneri in *sua Ecclesia* praedicationis munus obire, vel per se, vel per alios, quos in casu impedimenti assumet, Parochos vero in aliis Ecclesiis vel per seipsos, vel, si sint impediti, per substitutos ab Episcopo deputandos, expensis eorum qui eas praestare, vel tenentur, vel solent. Et hoc munus praestandum est ab utroque omnibus Dominicis, et solemnibus diebus festis, et tempore Adventus, et Quadragesimae quotidie, vel saltem ter in hebdomada diebus. Si itaque Episcopus tenetur praedicare in *Ecclesia sua*, vel per se, vel per eos, quos assumet, etiam tempore Adventus, et Quadragesimae, videtur, ut quemadmodum in aliis Ecclesiis, hoc onere tenentur Parochi, ita affirmari possit, Concionatores in Paraeciis non praedicare pro Episcopo, sed pro Parocho, qui in sua Ecclesia hoc munus obire debet, vel per se, vel per substitutos.

At enim non Parochi, sed Episcopi vice fungi Concio-

cionatores, inferri posset, cum Parochus legitime impeditus jus non habeat sibi deligere substitutum, sed ad Episcopum tantum illius electio, et approbatio spectet. Distinguendum tamen est inter missionem ad praedicandum, et exercitium praedicationis. Missionem dare solius Episcopi est, cujus praecipuum munus est praedicare, et a quo tamquam a regio flumine caeteri derivantur rivuli, inter quos primum tenent locum Parochi, quos ad praedicandum mittit cum illos in Parochiali Beneficio instituit, juxta sententiam superius relatam. Parochi vero ex hac missione praedicant ratione officii, licet nequeant aliis missionem dare. Hinc Tridentinum dum praescripsit, ut substituti, qui Parochi vices in praedicatione exercerent, ab Episcopo deputarentur, huic quidem reservavit missionem, sed alios, qui pro Parocho supplent *substitutos Parochi* appellavit, unde videtur eos pro Parochis praedicare.

Quod si obtineat sententia Concionatores pro Parochis praedicare, tunc dicendum erit Parochos, dum in eorum Ecclesiis habetur concio, solutos esse ab onere explicandi Evangelium inter Missae celebrationem. Sed praetereundum non est Parochos hoc munus praedicationis per alios praestare posse, in casu tantum quo ipsi impediti legitime sint. Apertum hoc est ex citato Tridentini Decreto - *In aliis vero Ecclesiis per Parochos, sive iis impeditis* - *Itidem in Sess.* 5. *Cap.* 1. *De Ref.* - *Archipresbyteri quoque Plebani, et quicumque Parochiales, vel alias animarum curam habentes etc. per se, vel alios idoneos, si legitime impediti fuerint, Plebes sibi commissas pro sua, et eorum capacitate pascant*. Et Pontifex Bened. XIII. *in Romano Concilio* Tit. 1. Cap. 4. *Invigilent Episcopi, ut Parochi propria, quae sua sunt munera exerceant, Plebem per se videlicet incessanter instruere*. Hinc solemne est, Parochos per se praedicationis munus praestare oportere, et non per Coadjutores, nisi legitime impediti fuerint, ut definivit S. Congregatio *in Casalen.* 27. *Julii* 1726. *et in Casertana* 16. *Septembris* 1745. relatis *in Nullius Orbitelli* 28. *Aprilis* 1736.

Si

Si itaque Parochi per se ipsos tenentur praedicare, *nisi fuerint legitime impediti*; non levis oritur difficultas, an per Concionatores, qui aliorum sumptibus deputari solent tempore Adventus, et Quadragesimae, a proprii officii onere solvantur, cum hi non assumantur ex causa *praecisae necessitatis*, vel quia Parochus aliis curis distentus per se praedicare nequeat. Videant tamen EE. PP. num ex consuetudine generatim inducta assumendi Concinnatores tempore *Adventus*, et *Quadragesimae* oriatur justa causa, cur Parochi se a Praedicatione excusent; vel potius hae Conciones hujusmodi sint, per quas haud satis Oves juxta Ecclesiae spiritum pascantur: nam Tridentinum: in *citata Sess.5. Cap.2. De Ref.* injungit Parochis, ut *pascant Plebes sibi commissas pro sua, et eorum capacitate ...... docendo quae scire omnibus est necessarium ad salutem*.

Id quidem assequi nequit elegantiori stylo, vel dicendi copia, vel exquisitis rationum argumentis. Nec certe exiguus est illorum numerus, qui vel ob aetatem, vel ob ignorantiam familiari sermone indigent, ut ex Domini praeceptis minutatim expositis, discant quae sequenda, quaeve fugienda sint. Verendum forte esset, ne si Parochus praetextu Concionum sese ab explicatione Evangelii abstineat, incidat in monitum - *Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis*. Praeterito ineunte Saeculo dubium excitatum est in Regno Hispaniae, num excusarentur Parochi a Praedicatione, vel praetextu immemorabilis, vel quia suppeteret copia Concionum *in aliis Ecclesiis*. Haec reprobavit Innocentius XIII. in Costitutione data 13. *Maji anni* 1723. cujus initium *Apostolici Ministerii*. Ex hac Constitutione, argumento petito a discretiva, deduci posse videtur non teneri Parochum Evangelium explicare in casu, quo in ipsa sua Ecclesia concionetur.

Accedit consuetudo hic in Urbe vigens in Patriarchalibus S. Joannis in Laterano, et S. Petri in Vaticano, in quibus tempore *Adventus*, *et Quadragesimae* silet explicatio Evangelii, cum Sacrae Conciones apud Capitula habentur. Haec sunt, quae in re nunc primum in controversiam deducta supremo EE. Patrum judicio

cio subjicienda censui. Vestrum erit etiam, si putetis Parochos non teneri, statuere, an servanda sit consuetudo explicandi Evangelium, si in aliqua Ecclesia vigeat, quo tempore habentur Conciones.

Ex his emergit Dubium

An Parochi in quorum Ecclesiis tempore Adventus, et Quadragesimae habentur Sacrae Conciones per Praecones ab Ordinario approbatos teneantur diebus festis in Missa Parochiali explicare Evangelium in casu etc.

Dilata, et pro nunc servetur consuetudo cujuslibet Paraeciae.

Sess. 23. Cap. 11. de Reform.

MONTIS ALTI SANATIONIS ET SUBROGATIONIS. De jure nominandi ad laicalem Cappellaniam institutam a PetroAndrea Marinucci disputatum jamdiu fuit apud hanc S. Congregationem inter Elisabetham Marinucci, et Valentinum Marinucci in *Montis Alti Cappellaniae 22. Augusti* 1795. et proposito III. Dubio - *An, et cui competat jus nominandi Cappellanum in casu etc.* rescriptum fuit - *Competere Elisabethae Marinucci pro duabus ex tribus vocibus excluso Valentino pro tertia voce, et amplius*. Haec porro tertia vox ad Lucam Carlini, et Mariam Paris pertinebat.

Ad hanc Cappellaniam nominatus fuit Clericus Franciscus Moroni dictae Elisabethae filius, qui licet ad jugalia vota transiisset; attamen ex Indulto Apostolico a S. Paenitantieria datum *die 2. Decembris* 1815. Cappellaniam ipsam in statu conjugali retinet, impletis tamen oneribus, prout fundator praescribit. Pro omissionibus praeteritis compositionem a Rev. Fabrica obtinuit, simulque reductionem quoad futurum ad unam ex duobus Missis hebdomadalibus juxta fundationem celebrandis.

Cum

Cum ipse Franciscus Romae lares fixisset, et fundi Cappellaniae essent in agro Oppidi *Castineani* descripti in *catastri* tabulis pro valore *scutorum* 612. 44. , melius sibi consultum fore putavit, si ea alienaret, cum in proxima rerum pertubatione annuus fructus pene consumptus esset ex *impositionibus*, quas probat per *triginta duas* vices ab ipso fuisse solutas: Alienavit tamen non impetrata venia Apostolica, sed abutens iis legibus, quibus tunc per eas regiones bona Ecclesiastica, et piorum legatorum diripiebantur, et censum activum pro securitate implendorum onerum subijecit. Pretium retractum scutorum *sexcentum* in emptionem erogavit fundi apud Urbem extra Portam *Angelicam* positum.

Restituta tranquillitate Franciscus Moroni a S. Paenitentiaria imploravit absolutionem pro commissa alienatione, sed impetrata absolutione eidem injunctum fuit, vel ut constitueret fundum in loco, quo erectum est beneficium, vel pro *ulteriori provisione ad Sac. Congreg. Concilii* recurreret. Itaque preces convertit ad S. hanc Congregationem, ut sanationem impetraret facta subrogatione terreni, quod exra Portam *Angelicam* possidet in locum alienati fundi. Episcopus in sua *Informatione* narrata confirmat, et transmittit *Indultum* ab Oratore impetratum ad effectum retinendi Cappellaniam in statu conjugali: indulta vero compositionis, et reductionis Missarum se vidisse ait, sed nunc minime reperiuntur. *Ad valorem*, prosequitur, *alterius fundi subrogandi, quod attinet, tutum judicium meum pronunciare haud valeo, cum isthinc in Urbe detur subrogatio a me longe dissita. Exhibita mihi fuit pagella Periti cujusdam Urbis manu Notarii firmata, in quo valor fundi subrogandi longe major apparet, quam anterior. Inveni autem in hac re oppositorem Aloysium Marinucci de Castineano filium, et haeredem bo. me. Valentini Marinucci, cui tertia pars competit jurispatronatus istius, ut melius etiam apparet ex quadam transactione, quam perlegi factam ab eorum praedecessoribus. Petit ipse ut subrogatio fiat in Territorio Castineanensi. Super quo EE. VV. judicium cognoscit justius esse fundum constitui, et subrogari in locum Beneficii, seu pii legati etsi laicalis,*

quam

quam extra, tum ut bona tulius custodiantur, tum ut exacte adimpleantur onera, tum, ut Episcopus negligentes, qui erunt, compescere valeat, tum etiam ne praejudicium jus habentibus inferatur.

Nulla quidem est alienatio commissa absque Beneplacito Apostolico, nec concurrente legitima causa, et Ecclesiae utilitate contra censuram *Extravagantis Ambitiosae de reb. Ecclesiae non alienan.* Nec affertur causa ulla, nisi commodum possessoris legati Pii, qui cum Romae manebat, parum ex reditibus fundi in remotas regiones positi, et quammaxime vectigalibus gravati percipiebat. Sed quamquam alienatio facta sit deficiente Beneplacito Apostolico; attamen si profutura cognoscatur legato Pio concedi solet sanatio, ut tradit *Thesau. quaest. forens.* 37. *num.* 2. *lib.* 3. *Card. de Luca de alienat. disc.* 1. *num.* 10. *Card. Petra comment. ad constit. Apost.* Tom. 1. *pag.* 91. *num.* 84. *Rota dec.* 350. *num.* 18. *par.* 5. *recen. dec.* 392. *num.* 3. *cor. Puteo* S. Congregatio *in Camerinen. Alienationis* 17. *Decembris* 1814. *ad I. Dub.* Orator quidem sanationem postulat, subrogato altero fundo, scilicet Terrenum sativum petiarum *quatuordecim* aestimatum a Perito ab ipso Oratore electo in *scutis* 1040. quod ipse extra Portam *Angelicam* acquisivit ex pretio scutorum 600. retracto ex alienatione originarii fundi legati Pii, quod immune est ab omni hypothecae nexu, ut constat ex attestatione Officii *inscriptionum*. Erit EE. VV. judicare, num de utilitate constet, cum licet valor subrogandi fundi majus sit, attamen praedium Cappellaniae fuit alienatum pro valore Catastri, quod semper inferior est justo.

Sed major dubitatio oritur, num subrogatio fundi in Urbe positi permittenda sit, seu potius in Oppido *Castineani*, in quo facta fundatio est. Repugnat Aloysius Marinucci, qui se patronum hujus legati pro tertia parte asseverat ex quadam transactione a suis majoribus inita. Renuit etiam Episcopus tum quia subrogatio facienda est in loco, quo existit Cappellania, ut bona accuratius custodiri possint, nec ullum praejudicium jus habentibus inferatur, tum ut impleantur onera Cappellaniae, et Episcopus negligentes compescere possit.

Ad

Ad haec tamen respondit Franciscus Moroni Orator: nullum jus competere Aloysio Marinucci, quippe qui filius Valentini jamdiu a S. Congregatione a patronatu exclusi, sed tertiam partem spectare *Lucae Cardini*, *et Mariae Paris*, quos aetate graves, et improles esse deponit Parochus; non agi vero de Beneficio in aliqua Ecclesia instituto, sed de Cappellania, ut fundator appellavit, *o legato semplice*, *o juspatronato laicale*, cui subjecit omnia sua bona *tanto esistenti in questo Territorio di Castignano*, *quanto in altri luoghi fuori*, in quibus haeredes instituit cum obligatione onerum Missarum. Hinc deducit necesse non esse, ut bona maneant in agro *Castineani*, et pro implemento onerum reliquisse annuum censum, ut Episcopus modum habeat, quo Missas implere faciat.

Quanti haec valeant Vestrum erit judicium, quod qualecumque sit explicare poterunt EE. VV. sub *modo* quo sanatio concedenda videatur.

Dubium est

An, et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro sanatione in casu ec.

Dilata, et ad Mentem: Mens est: Scribatur Vicario Capitulari, qui audiat omnes interesse habentes, praesertim Patronos, et transmittat Instrumentum alienationer fundi Cappellaniae, ac referat de ejusdem valore, et annuo reditu per Peritum ex officio, et ad D. Secretarium pro deputatione Periti ad effectum statuendi valorem, et fructum fundi extra Portam Angelicam requisito Instrumento acquisitionis.

Sess. 22. Cap. 6. Sess 24. Cap. 4. de Reform.

CALLIEN. APPLICATIONIS LEGATI. Moriens anno 1814. in Eugubina Civitate *Theresia Smeraldi scuta mille*, per suos Haeredes *Jacobum Andreoli*, *et Josephum Panfili* eroganda jussit, in celebrationem Missarum infra *decennium*, ita tamen, ut quotannis *scuta centum* in eam causam impenderentur, atque in casu inadimplementi, caducitate scripta, substituit cum eodem onere fratres Patrueles *Mathiam*, *Antonium*, *Franciscum*, *Lucam*, *et Vitalem Smeraldi* de Terra *Frontoni*, quibus legavit scuta *biscentum* in capita dividenda. O ta-

Patrueles ipsi causantes eorum inopiam, et factam a Testatrice institutionem favore affinium, praetermissis Consanguineis, supplicarunt, ut ipsis rata praedicti Legati *scutor.* 100. tribueretur. At *die* 10. *Junii anni* 1815. rejectae sunt preces, per Rescriptum: *Servandam esse fundationem*, quod die 15. *Novembris, et* 2. *Decembris* ejusdem anni repetitum fuit. Supervenere inde preces Promotoris Fiscalis rogantis pro partiali ejus legati applicatione, favore fabricae Frontonensis nimis angustae Ecclesiae Parochialis, ut necessariae illius ampliationi provideretur.

At Episcopus magnam noscens in id requiri impensam, quam integram detrahi a Legato *Smeraldi* non putabat, et recogitans his suppleri posse sumptibus per Parochum, binas Sodalitates, et Populum, cum quibus opus nondum deliberatum agebatur, aliud iniit consilium, scilicet perorandi pro fratribus *Smeraldi*, ut iis scuta *quingenta* ex praedicto Legato detrahendo applicentur: namque ait = *isti omnes etc. pauperie, et inopia premuntur. His ergo magis consulendum censeo, quam aedibus prospiciendum &c. Quod si legato illo augendae sint opes Ecclesiae posthabitis pauperibus Smeraldiae propinquis, ego Ecclesiae nomine oblatum quodlibet comodum abnuo prorsus, ac respuo. Quanta quaeso esset omnium offensio, si cum miseri illi, et egentes auxilium a me, et patrocinium, atque Frontonensi Curione tam magna cum fiducia implorarint, existimare quisquam jure posset, vel etiam suspicari, non pro ipsis apud vos, sed pro nostro nos comodo dicere instituisse &c. Pauperum Pater horum causam ago apud eos nimirum, qui semper iisdem firmissimo fuere praesidio.*

Proposita haec vobis fuit instantia per *summaria Precum* in Congregatione *diei* 24. *Augusti* 1816., et Vos EE. PP. preces rejecistis, edito Rescripto - *In Decisis*. Non tamen ceciderunt animis Fratres Smeraldi, qui paupertate coacti ad S. Pontificem reclamarunt. Preces hujusmodi ad me delegatas antequam Sanctissimo referam, liceat vos iterum de vestra sententia rogare.

De applicatione Legati favore Fabricae Ecclesiae non est amplius inquirendum. Ex iis enim, quae in sua *Informatione* refert Episcopus, prout abest necessitas, cum

prae-

praesto esse possint alia media supplendi expensae, tum certe nec prudenti consilio in eam causam erogaretur Legatum contra voluntatem Testatricis, neglectis toties repetitis Oratorum precibus. Judicium ergo eo tantum redit, an per partialem applicationem ejusdem Legati inopiae Fratruum Smeraldi sit subveniendum. Hi quidem neque ullum habent jus ad Haereditatem Testatricis, neque *ex praesumpta illius voluntate* juvantur. Namque Testatrix eos pauperes non ignorabat, cum disposuit, et nihilominus eis scuta solum *biscentum* reliquit.

Attamen ex aequitate, et commiseratione, et ob effusas Episcopi preces si quid indulgendum illis putaverint EE.VV. unum advertere possum, quod exempla non desunt datae subventionis Consanguineis Fundatorum ex Missarum eleemosinis, ut argumento ducto *a Can. Quicumque* 30. *Caus.* 16. *Quaes.*7. definivit *S. Congregatio in Lucana* 17. *Januar.*1789.

Quatenus EE. PP. sententia applicationis faveat, statuendum erit pro qua summa sit proponenda SS̄mo, num pro *scutis quingentum*, ut Episcopus proponit, vel in minori summa. Nec praetereundum quod in uno, alteroque casu suspendenda erit pro intranti quantitate celebratio Missarum.

Dubium proponitur.

An, et pro qua summa sit consulendum Ss̄mo pro applicatione Legati Theresiae Smeraldi in casu &c.

Non proposita cum sequenti.

TYBURTINA CAPPELLANIAE. Ultimo cum quo decessit elogio Sacerdos Petrus Giustini ex oppido *Scarpa* Tiburtinae Diaecesis, universalem bonorum suorum scripsit haeredem Cappellam in honorem S. Andreae dicatam, et positam in Ecclesia Archi- *Sess.22.cap.16 de Reform.*

presbyterali ejusdem Oppidi, quam ipse vivens dotaverat. Juspatronatus reservavit suis ex familia *Giustini* conjunctis - *quali avessero il diritto di nominare il Cappellano ad nutum amovibile per la sodisfazione de' pesi, e che essendovi uno della famiglia, quello fosse preferito, e potesse essere ordinato col titolo perpetuo di detta Cappellania* -.

Vacante nunc Cappellania duo sunt ex familia Giustini Antonius, et Joannes Baptista passive vocati, qui pari studio cupiunt ad Subdiaconatus Ordinem promoveri, sed pari inopia laborantes necessario carent patrimonio. Hinc preces SSmo porrexerunt, ut - *la stessa Cappellania possa servire per titolo di ordinazione per l'uno, e per l'altro col dividersi tanto i fondi, che i pesi, e colla condizione, che in caso di provista, ed in caso di morte ritorni la Cappellania nel primiero stato*.

Rogatus de sua sententia Episcopus testatur Oratorum Genitores esse legitimos hodiernos Patronos, qui nedum unanimiter assentiuntur, sed et ipsi renovant preces, ut Cappellaniae reditus inter utrumque oratorem dividantur. Affirmat etiam ex Peritorum judicio bona ad dictam Cappellaniam spectantia valorem scut. 1853. constituere, illorumque annuum reditum ad scut. 112.15. assurgere; unde concludit - *In hac rei claritate, ac facilitate dividendi reditus Cappellaniae, nullo intercedente damno, ac deteriorationis periculo, inque hac tanta Diaecesis hujus Sacerdotum paucitate, propriissimum sapientiae, et prudentiae vestrae profecto esset, ut petitioni porrectae veniam suprema providentia elargiri non dedignemini* -.

Supremas defunctorum voluntates religiose esse servandas tum Civile, tum Canonicum jus praescribunt, nec illarum commutationem fieri posse, nisi ex justa, et necessaria causa statuit Tridentina Synodus *Sess. 22. cap. 6. de Reform.* Porro Oratorum instantiam secumferre commutationem voluntatis indubium est. Nam Petrus Justinus Testator unicum eligi mandavit Cappellanum, eique omnium Cappellaniae Bonorum administrationem, et omnium fructuum perceptionem tribuit. Si igitur duo nomina-

ren-

rentur Cappellani, si inter eos fieret divisio tum bonorum, tum annui reditus, profecto contra legem a Testatore scriptam id ageretur, et illius voluntatis fieret commutatio. Attamen cum saepe saepius haec Sac. Congregatio, si justa, et necessaria *intercesserit* causa, Fundatorum voluntatis commutationem probaverit, et praesertim *in Sutrina* 10.*Septembris* 1803 Vestrum judicium, EE. PP., eo redire debet, an reapse justa, et necessaria causa Oratorum instantiae opituletur.

Hanc porro necessitatem petit Episcopus ex summa deficentia Sacerdotum in Tiburtina Diaecesi, et Oratorum paupertate. Nam unus, et alter cupiunt sese Deo consecrari, et jam sunt ad Subdiaconatus ordinem promovendi, at inopia sua laborantes nequeunt sibi sacrum constituere Patrimonium. Si ergo inter utrumque dividantur Cappellaniae fructus, succurritur non solum eorum indigentiae, sed etiam Ecclesiae necessitati, aucto sacrorum Ministrorum numero. Nam Taxa Synodalis ad constituendum sacrum Patrimonium in Tiburtina Diaecesi non excedit annuam summam scut. *triginta sex*. Cum vero ex bonis Cappellaniae redeant annua scuta *centum duodecim*, apertum est illorum medietatem abunde sufficere ad constitutionem Patrimonii sacri.

Accedit insuper Patronorum consensus, qui, cum sint Oratorum Genitores, enixe flagitant redituum divisionem inter duos Filios pollentes, utpote ex familia Giustini, iure passivae vocationis. Patronis, et Fundatorum conjunctis opem ferre ex praesumpta Testatorum voluntate frequens exemplum est in hac Sac. Congregatione vel per suspensionem nominationis, vel per reductionem onerum etiam Missarum. Ita *in Aquen. Cappellaniae* 20. *Januarii* 1787. *in Montis Alti Cappellaniarum* 10. *Februarii* 1805.

Videant igitur, EE. PP. num strictim exequenda sit Testatoris voluntas per nominationem unius tantum Cappellani, vel potius ex justa, et necessaria causa sit Oratorum precibus indulgendum.

Si secundam amplectantur sententiam tunc inquirendum erit de *modo*, et *tempore* illam exequendi. Quoad modum postulant Oratores non solum fructuum, sed

sed etiam bonorum temporaneam divisionem. Episcopus affirmat facile dividi posse fructus Cappellaniae *nullo intercedente damno, ac deteriorationis periculo*. At vero haec bonorum divisio nec necessaria videtur, nec fortasse utilis. Possent enim Patroni unum tanquam Cappellanum nominare, qui medictatem redituum alteri traderet, atque ita dum par esset utriusque conditio quoad perceptionem fructuum, et implementum onerum, quo minus fieri posset, Testatoris voluntati derogaretur. Quo vero ad tempus ipsi postulant Oratores - *che in caso di provista, ed in caso di morte ritorni la Cappellania nel primiero stato* -.

Dubium proponitur

An, et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro commutatione voluntatis in casu etc.

Die Sabathi 26. Aprilis 1817. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilii, in qua præter alia proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

CALLIEN APPLICATIONIS LEGATI. *Sess. 22. Cap. 6. Sess. 24. Cap. 4. de Reform.*

An, et pro qua summa sit consulendum Sanctissimo pro applicatione legati Theresiae Smeraldi in casu etc.

Negative in omnibus.

TYBURTINA CAPPELLANIAE.

An, et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro commutatione voluntatis in casu etc.

Affirmative pro divisione reddituum, et onerum pro rata equali inter Antonium, et Joannem Baptistam Giustini cum reversione in casu obitus favore superstitis, ita ut in posterum coaclescat Cappellania ad formam fundationis per Breve. *Sess. 22. Cap. 16. de Reform.*

CE-

Sess. 23. cap. 1, de Reform.

CAESANATEN CAPPELLANIAE. In Congregatione diei 17. *Februarii* 1816. duo ex officio proposita fuere Dubia I. *An Clericus Antonius Tosi sit removendus a possessione Cappellaniae in casu etc.* Et quatenus *Affirmative:* II. *An Cappellania sit addicenda Canonico Paulo Mongiusti in casu etc.* Quorum deliberationem EE. PP. ad aliam diem prorogare censuerunt, ut auditis Partibus jus suum cuique tribueretur, editumque fuit Rescriptum - *Dilata, et scribatur Vicario Capitulari, qui praefigat terminum omnibus interesse habentibus, et presertim Clerico Antonio Tosi, et Parochis Montis Cogruzzo et Montis Veteris ad deducendum jura sua in S. Congregatione.*

Nunc causa in strenuo conflictu partium agitatur, et utrinque impressae distribuuntur *Allegationes*. Nimius essem si etiam per summa capita has referre vellem. Facilioris studii gratia indicabo precipuas quaestiones, ad quas controversia omnis redit.

Primum inquirendum erit, num rite nominationem expleverit Parochus Montis *Cogruzzo* Christophorus Amadori. Reliquit sane fundator Parochis pro tempore Montis Cogruzzii jus nominandi. Verum dubitandi ratio ex eo oritur, quod Amadorius cum jam a *die* 8. *Januarii* 1815. collationem a Sanctissimo obtinuerit Coadiutoriae Ecclesiae Parochialis *Carpineto, die* 18. *Martii* subsequentis nominationem explevit. Hinc Defensor Canonici Mongiusti contendit a die novae signatae collationis vacasse Paraeciam Montis *Cogruzii*, et Parochum Amadorium caruisse jure nominandi. Clericus vero Antonius Tosi defendit, jura Parochialia retinuisse Amadorium usque ad diem 24. *Martii* 1815. qua novae Pareciae possessionem nactus est, proptereaque antecedenti die *decimaoctava* Martii rite se fuisse nominatum.

Altera quaestio in eo versatur, num Clericus Antonius Tosi potuerit a Parocho nominari. Fundator siquidem jus passivae vocationis tribuit *ad un Prete o Chierico de' Tosi, mentre ve ne siano, cioè discendenti da Cesare, Giacomo Antonio, Gioan Antonio, e Miche-*

le

le de' Tosi suoi Nepoti. Rursus voluit ut, pluribus concurrentibus Presbyteris, et Clericis *di detta Casata discendenti*, jussit *che sia nominato quello che sarà di maggior età e prima Sacerdote, o Chierico.* Negat porro Mongiustus Clericum Tosi probare suam descendentiam ex Michaele Tosi altero ex stipitibus descendentiae. Etenim *in arbore genealogica* a Clerico Tosi exhibita non constare, ait, per fidem Baptismatis Michaelem, a quo ipse originem ducit, filium fuisse Christophori Tosi, et Nepotem fundatoris. Addit et illud, quod in descendentia adest Dominicus Andreas, qui in fide Baptismatis indicatur cum cognomine *Tonsi*, ut merito dubitari possit, quominus sit de eadem Familia Tosi.

Contra haec Clericus Tosi suam descendentiam in facto tuetur, et controversiam hanc omnem recidi ex eo contendit, quod probat se esse de eadem familia ultimi possessoris Cappellaniae Sacerdotis Laurentii Tosi, cui ipse est ex Fratre nepos, propterea que de identitate familiae dubitari non possit, ut statuit Rota *in Ferrarien, seu Bononien Primogeniturae 27. Aprilis 1739. §. 7. cor. Canilliac.*

Verum Mongiustus se tamquam majorem natu, et Presbyterum praerogativam habere oportere contendit ex ipsa lege fundationis super simplici Clerico. Hinc alia oritur questio, num Fundator passivam vocationem Agnatis tantum de Familia Tosi tribuerit, quo casu Clericus Tosi vinceret Cognatum Mongiusti; seu potius omnes descendentes ex designatis stipitibus, in qua hypothesi Canonicus Mongiusti ob grandiorem aetatem, et qualitatem Sacerdotii Clericum Tosi antecelleret.

In qua quidem controversia Clerici Tosi Defensor nititur regula, qua censetur testatores ad agnatos tantum respexisse, cum vocaverint ii de familia cum additamento cognominis ut in themate - *un Prete, o Chierico de' Tosi* - et in conditione posuerit - *la famiglia, o casata de' Tosi* - ut docuit Rota in *Firmana Beneficii 29. Martii 1773. §. 5. cor. Mannelli.* Et quamquam cognati in vocatione includantur per verbum *discendenti*; semper censendum sit, Testatorem praerogativam vocationis Agnatis concedere voluisse ex

traditis per Rotam *in Firmana Beneficii 4. Februarii 1774. §. 4. cor. Litta.*

Qui Mongiusto patrocinantur afferunt notissimam distinctionem, unde statuitur, Agnatos tantum invitatos censeri, quando vocata est familia *impersonaliter* cum additamento cognominis; secus vero ubi vocatae sint personae de familia, quo casu praesertim in indifferenti materia jurispatronatus latior sequenda est interpretatio pro comprehensione etiam Cognatorum juxta sententiam S.Rotae *dec. 320. num. 3. cor. Riminaldo et decis. 12. num. 2. cor. Rovarella.*

Ex his alternatim disputatis EE. PP. dignentur deliberare Dubia.

I. *An Clericus Antonius Tosi sit removendus a possessione Cappellaniae in casu etc.*

Et quatenus *Affirmative.*

II. *An Cappellania sit addicenda Canonico Paulo Mongiusti in casu ec.*

Ad I. Ad II. Negative, et amplius.

Sess.23. Cap.2. de Reform.

ROMANA EMPHYTEUSIS. Villam, quam extra portam Nomentanam possidebat Gens Bolognetti, quaequae inter ceteros, quibus subjecta erat canonibus, gravabatur erga V. Monasterium S. Caeciliae trans *Tyberim* onere annui canonis *cadorum sex cum dimidio* musti, anno 1812. emerunt hebraei Sabathus, et Angelus Modigliani, et Sabathus Alatri. Restituto veteri rerum publicarum ordine acquirentes hebraei solliciti fuerunt, canones V. Monasterio S. Caeciliae, et laudemium offerre, ab eoque recognitionem in dominum postulare. Anceps Monasterii Moderator, num id liceret, quoniam agebatur de laudanda translatio-

tione utilis dominii in hebraeos, consuluit Sanctissimi Oraculum, qui hujus quaesiti solutionem ad Sacram hanc Congregationem delegavit ex Rescripto *diei 30. Septembris* 1816. referente me edito. Rogata est sententia Emi Urbis Vicarii *auditis interesse habentibus*, qui a voto ferendo se abstinuit, ratus controversiae hujus decisionem ad S.Inquisitionem pertinere. Ne acquirentes omnino essent inauditi, terminum eisdem praefiniendum duxi citatis eorum Procuratoribus ad deducenda sua jura in S.Congregetione, et licet elapso uno, alteroque Mense, nihil mihi in scriptis exhibitum est. Proponitur causa cum votis Virorum, quorum in Theologica, et Canonica facultate notissimum est nomen (quae vota in calce hujus *Folii* impressa sunt) quos in hac gravissima quaestione, ut moris est, consulendos putavi.

Habent EE. PP. in hisce votis quid ad rem statuerint Summi Pontifices tum Paulus IV. in Constitut: *Cum nimis*, tum S. Pius V. in altera *Romanus Pontifex*, tum demum Clemens VIII. in tertia - *Caeca* - quibus Constitutionibus vetitum est hebraeis possidere bona stabilia nedum jure dominii, sed etiam jure pignoris, ut declaravit S. Rota *in Nepesina Salviani 27. Junii* 1664. *coram Puteo*; Attamen nonnulla ex meo munere addam.

Ex primaevo Canonico jure haud arcebantur hebraei a possessione bonorum stabilium. Ita enim sancitur *in Cap.* 16. *de Decimis - De terris, quas judaei colunt tuae prudentiae respondemus, ut eos ad decimas persolvendas, vel possessiones penitus renunciandas communi districtione compellas, ne forte occasione illa Ecclesiae valeant suo jure fraudari* - Si ergo ex laudato Canone cogendi erant hebraei ad solutionem Decimarum favore Ecclesiae, vel ad renunciandam bonorum possessionem, profecto tunc temporis pro legitimis possessoribus ab ipsa Ecclesia habebantur. At posteriori jure ex superius relatis Pontificiis Constitutionibus non solum vetita ipsis fuit bonorum immobilium acquisitio, sed etiam illorum retentio, coactique sunt, bona, quae possidebant, intra tempus per Magistratus praefiniendum Christianis vendere.

At enim Comes Cenci Bolognetti, dum anno 1812. emptionis venditionis contractum iniit, transtulit in hebraeos possessionem fundi eodem jure, quo ipse potiebatur, nimirum cum onere annui canonis favore Asceterii S. Caeciliae, ac proinde nec potuit, nec voluit transferre plenum dominium quoad partem fundi canoni subjectam, quamque ipse jure tantum emphiteusis possidebat. Hinc sarctum, tectumque mansit, ac manet directum dominium Monasterii ex reservatione canonis, illiusque perceptione ex modernis possessoribus. Verum cum solutio canonis, et laudemii secumferat recognitionem utilis dominii penes possessorem, quod reapse in casu postulant hebraei, sequeretur sane, ut si Monasterium eorum petitioni assentiretur, acquirentes judaeos tamquam legitimos rei immobilis possessores, ac utiles dominos agnosceret.

Dubium tamen oriri posset Emis Patribus, utrum Apostolicis Constitutionibus, quae vetant hebraeis possessionem immobilium, derogatum fuerit per Motum Proprium SSmi Domini Nostri *die 6. Julii praeteriti* anni; Referam illius verba - *Le vendite dei Beni così detti Demaniali contro rescrizzioni in estinzione del debito publico fatte dal cessato Governo etc. sono conservate per i medesimi riflessi di tranquillità, e di utilità publica, ed altre considerazioni già espresse nell' Editto della Segreteria di Stato dei 5. Luglio* 1815. - Notandum in facto est laudatum Motum Proprium non loqui de privatorum contractibus, sed de alienationibus factis - *dal cessato Governo* - non de bonis ad privatos spectantes, sed - *dei beni così detti demaniali* - quorum nomine Bona Ecclesiastica veniebant; non demum de alienationibus a privatis in proprium commodum factis, sed a tunc dominante Imperio - *contro rescrizioni in estinzione del debito publico*. Nec praetereundum est, Summum Pontificem ad publicam tranquillitatem, utilitatemque tuendam, alienationes Bonorum Ecclesiasticorum servandas jussisse licet a laica et illegitima potestate factas, non autem personas a jure proibitas acquisitionis, ac dominii compendio donasse.

His

His in jure, et in facto praemissis vestrum erit EE.PP. judicium reddere sub Dubio.

An Monasterio S. Caeciliae liceat canones, et laudemium recipere ab hebraeis possessoribus Vineae emphyteuticae in casu etc.

Negative

LYCIEN. IRREGULARITATIS. Furti crimine accusatus Subdiaconus Leonardus Bianco ex oppido *Quintiani* anno 1769., carceribus mancipatus, ibidem triennio mansit. Confecto Processu unicus Testis de visu affirmabat Subdiaconum furti reum, et confirmabatur ex confessione complicis. Subdiaconus vero, ejusque Pater pacta pecunia subornare testem de visu, aliumque falsum inducere tentarunt. Nondum sententia condemnatoria prodierat, cum ex indultu pro felici partu Reginae, Subdiaconus e vinculis solutus est, praevia tamen *exculpatione* emissa ab eo, qui furtum tulit, quam obtinuit, solutis *Ducatis* 180. pro expensis ab accusatore factis. Carceribus liberatus ab Episcopo dispensationem, ab irregularitate ob infamiam contracta, postulavit. Sed Episcopus negavit posse dispensationem concedere, cum non de occulto crimine, sed ad forum deducto ageretur. *Sess.14. Cap.7. de Reform.*

Quare Subdiaconus Bianco supplicavit S. Pontifici pro dispensatione, cui adversatus est Episcopus *Sozi Caraffa*, qui Sedem Lycensem tenebat, ut patet ex ejus tunc transmissa *Informatione*, unde hactenus narrata excerpsi, ex qua etiam constat de minus hone-

nesta consuetudine, qua Subdiaconus inquinabatur.

Conquievit tunc Subdiaconus, quoad Episqopus vixit, eoque defuncto *anno* 1783. exhibuit indultum Dispensationis, *novem* ante annos a S. Pontifice impetratum, ex Rescripto Secretariae Memorialium sub *die* 3. *Julii anni* 1774. Egit itaque apud Vicarium Capitularem, interpositis officiis cujusdam Canonici, qui tantum profecit, ut a Vicario Capitulari, licet repugnaret Capitulum, promoveretur ad SS. Diaconatus, et Presbyteratus ordines.

Non ita tamen latuere doli Sacerdotis Bianco, ne rumor in vulgus exiret, et scandalum oriretur in Populo, qui talem Sacerdotem sacris operari videbat. Plures elapsi sunt anni, donec vacante iterum Lyciensi Sede, rei series ab Hortensio Passante complice falsitatis denunciata fuit Vicario Apostolico, qui omnia rumore vulgi confirmata comperiens, accersivit Sacerdotem Bianco, qui ingenue fassus est Rescriptum illud *diei* 3. *Julii* 1774. falsitate laborare, sed affirmavit se revera indultum impetrasse, at deperdito authographo, falsum exemplar exhibuisse. Quod cum Vicarius Apostolicus sibi suadere non posset, simulque ex confessione ipsius Bianco cognovisset data ab eo fuisse munera Canonico illi, qui a Vicario Capitulari, ut promoveretur, impetravit; censuit eum a divinis snspendere usque dum a S. Sede absolutionem, et dispensationem impetrasset, et interim in Religiosam Domum compulit, ut Paenitentiam ageret.

Nunc itaque Sacerdos Bianco pro absolutione, et dispensatione supplicat. Vicarius Apostolicus quoad circumstantias Criminis furti se refert ad *Informationem* defuncti Episcopi *Sozi Garaffa*, de qua superius memini. Quoad crimen falsi ait: *Rescriptum ex audientia Sanctissimi, quod originaliter in actis Curiae servatur, falsum ubique est, prout ex confessione tum Sacerdotis ipsius Bianco, tum et viri Sororis illius, qui sigillum falsum affinxit, pro comperto habetur, cum Rescriptum epocham exhibeat diei 6. Julii anni 1774., cumque Episcopus Sozi Garaffa ex hac vita decesserit anno 1783., cumque nonnisi anno 1783.* *fue-*

fuerit exhibitum, manifeste se prodit falsitas, cum nunquam Episcopo exhibitum fuerit. Demum quod attinet ad crimen simoniae affirmat - *Nullam ea in re proprie dictam intercessisse simoniam, compertum mihi est, cum in Ordinatione apud Vicarium Capitularem Canonicus probatae vitae, et famae intercessisset, eique munera fortasse in intentione ordinandi simoniace sunt data, non vero a praedicto Canonico ita accepta, sed ex gratitudine, et laboris mercede* -

Nec scientiam, nec mores anteactae vitae Oratoris laudat Vicarius. Post indictam suspensionem in Religiosa Domo Reformatorum Oppidi *Quintiani* Orator secessit. Sed post plures dies, cum egestate laboraret, nec potuisset alimenta solvere, egressus est: *fateri tamen debet* (ita prosequitur Vicarius Apostolicus) *illi salutare fuisse, et quamdam emendationem morum ostendisse. Crimen autem furti, cum fuerit multis ab hinc annis patratum; oblivioni penitus datum videtur; at non crimen falsitatis, nec obliterata vita est, moresque Sacerdotis ab Ecclesiastica gravitate aberrantes, quamvis omnes ejus paupertatis miserentur; quippe qui sine Missae stipendio, vix vitam ducere possit*. Ex his concludit - *Non aliter rehabilitationem concedendam putarem, nisi post inclusionem per duos saltem menses in Religiosa Domo, ut incaeptam emendationem confirmare, et Populum aedificare possit*.

Inquirendum, erit num Sacerdos Bianco irregularis esset ex infamia cum ad Ordines Subdiaconatus, et Presbyteratus promotus est, atque num postea ex delicto falsi, et simoniae nova irretitus sit irregularitate. Fures infames esse, atque ex infamia irregulares constat ex *can. Infames* 17. *cau.* 6. *quaest.* At ad excusandam irregularitatem, opponi posset, quod Orator Bianco nunquam fuit ex hoc crimine damnatus. Accusatio porro, sive inculpatio, Processus confectio, et carceratio, nisi sententia condemnatoria accedat, infamiam non inducunt ex doctrina Bartoli *in L.3. ff. Qui infamia notan: num.* 3. Maxime cum Sacerdos Bianco consequutus sit exculpationem ab accusatore. S. Congregratio *in Hydruntina Irregula-*

laritatis 30. *Julii* 1774. licet ageretur de Diacono infanticidii accusato, et exilio mulctato; attamen cum non satis certum esset crimen, de irregularitate dubitavit, et dispensationem ad cauthelam concedendam censuit. Contra vero urget quod crimen furti habet inustam infamiae notam ex jure Canonum *citat. can. Infames*, *et ex cap. final. de temp. ordin.* quodque crimina infamiae notata Irregularitatem secumferant, si fuerint *ordine judiciario comprobata*, *vel alias notoria*.

Quamquam vero Subdiaconus Bianco Sententiam non subiverit, et *exculpationem* ab accusatore obtinuerit; attamen nec absolutus fuit, et libertatem est assecutus ex indulto Regio, et exculpationem ab accusatore e x solutione *Ducatorum* 280., in causam expensarum. Neque *allegata Hidruntina* in exemplum traduci potest, quia in ea Diaconus accusatus quidem fuit infanticidii, sed damnatus ob pravam cum libera consuetudinem, quod crimen nec infamiam, nec irregularitatem inducit, sed tantum suspensionem ex decreto Tridentini *Sess.* 23. *Cap.* 14. *de Reform.*

Quatenus ex infamia Irregularis Orator Bianco censeatur, opus ei erat dispensatione Apostolica. Si itaque falsum exhibuit dispensationis Pontificium Rescriptum; rursus inquirendum erit, num ex crimine falsi iterum irregularitate innodatus sit. De falsitate Rescripti dubitari non potest, cum habeamus confitentem reum, qui alioquin sese excusare satagit affirmando legitimum antea obtinuisse Rescriptum, quo deperdito, falsum exemplar confixit. Ex *Cap. falsariorum de crim. fals.* qui Apostolicas litteras vel per se, vel per alios falso conficiunt excommunicantur, et praeterea Clerici privantur Officiis, et Beneficiis, et degradantur, necnon brachio saeculari traduntur, ut plectantur ad censuram legum Civilium, hoc est capitis supplicio juxta *L. Ubi falsi*. *C. ad legem Cornel. de fals. ec.*

Utentes autem falsis litteris censuris non subjacent, sed Officiis, et Beneficiis privantur. In Bulla vero *Caenae* interminatur censura nedum contra falsarios Litterarum Apostolicarum, verum etiam supplicationum, quae *pro gratia*, *vel justitia signantur*

tur per Romanum Pontificem, *vel S. R. E. Vice Cancellarium*, *seu gerentes vices eorum*, *aut de mandato*, *nec non fabricantes litteras Apostolicas in forma Brevis*, *et falso signantes supplicationes nomine Romani Pontificis*, *vel vice Cancellarii*, *aut gerentes vices eorum*, ut late *Pirhing Juris can. lib. 5. tit. 20 §. 5. per. tot.*

Neque igitur *in citat. Cap. ad falsarior.* neque in Bulla *Caenae* ex hoc delicto inducitur Irregularitas: nam privatio Officii non importat irregularitatem in ordine, quae non incurritur nisi in casibus in jure expressis *Cap. Si qui 18. de sent. Excomun*; nisi forte ex eo irregularis factus sit Orator Bianco, quod censuris irretitus in Ordine ministraverit ex *Tex. in Cap. 3. de Paenis*. Sed observandum est Sacerdotem Bianco non falso signasse Bullas vel a Dataria, aut Cancellaria, aut Secreteria Brevium datas, quae veniunt sub nomine Litterarum Apostolicarum, quemadmodum declaravit S. Pontifex Innocentius X in *Constit.* 51.

Tenent autem Canonistae sub censura allegati Canonis, et Bullae non comprehendi eos, qui falsitatem patrantur circa litteras S. Congregationum, quae proprie non sunt litterae Papae ut docent Fagnan. in *Cap. ad falsarior. 7. crim. falsi num. 24. Ursaja Instit. criminal. lib. 3. tit. 6. num. 3.*

Pro vestra Sapientia EE. PP. judicabitis quid sentiendum in casu, quo falsum proditum est Rescriptum datum a *Secretaria Memorialium*, quod recenseri posse videtur inter supplicationes *mandato* Pontificis signatas.

Tandem inspiciendum est, num sacerdos Bianco in irregularitatem inciderit ob simoniam. Fatetur ipse dedisse pecuniam Canonico cuidam, ut sibi benevolum redderet Vicarium Capitularem, quo facilius facultatem tribueret ascendendi ad Diaconatus, et Presbyteratus ordines, non obstante Capituli dissensu. Ex parte illius Canonici, caeteroquin probatae vitae, affirmat Vicarius Apostolicus sibi compertum esse nullam commissam fuisse simoniam. Nam hic eam pecuniam accepit in mercedem laboris, et ex grato Ordinandi animo, quin pactum ullum intercesserit, nec Ordinandus suam in-

tentionem aperuerit. Sed ex parte Ordinandi Bianco, si pecuniam dedit, ut intercessorem sibi faceret, simonia mentalis commissa est *ex Cap. de simon.* quae nulla externa paena ab Ecclesia afficitur, siquidem *sufficit per solam paenitentiam suo satisfacere creatori* ut ex *Cap. final de simon.*

Postquam EE. PP. deliberaverint num Sacerdos Bianco inciderit in excomunicationem, suspensionem, irregularitatem, secum reputent num ei indulgentia adhibenda sit. Furti criminis ab anno 1768. commissi memoria per annos *quadraginta octo* obliterata est: satis enim esset decennii lapsus, concurrente partis, et Fisci compositione, ut statuit S. Congregatio *in Vicentina Irregularitatis* 19. *Decemb.* 1760. Sed crimen falsi nulla potuit oblivione deleri, atque, ut affirmat Vicarius Apostolicus, in offensionem, scandalumque Populi redit. Anteacta vitae ratio perdita fuit ob malam cum vidua consuetudinem. Non costans, sed *aliqualis* emendatio post moram per aliquot dies in Religiosa domo, nec ulla paenitentia peracta. Vestrum erit judicium, num haec ommitti possint, quae semper pro concedenda Dispensatione ab irregularitate, et rehabilitatione ad Ordines retinuit S. Congregatio, et novissime in *Camerinen. Dispensationis, et Rehabilitationis* 1. *Martii nuper elapsi*, attenta Oratoris indigentia, ex qua aliquando indulgentior fuit S. Congregatio, ut in *Placentina Irregularitatis* 9. *Julii* 1796. Vicarius Apostolicus censet concedendam esse Dispensationem, et rehabilitationem, si per duos menses Orator se in Religiosa domo recipiat.

Dubium proponitur.

An sit consulendum Ssmo pro absolutione a censuris, et dispensatione ab irregularitate, et rehabilitatione in casu &c.

Affirmative quoad absolutionem a censuris tantum imposita gravi paenitentia; in reliquis Negative.

RO-

ROMANA RESCISSIONIS CONCORDIAE. Bona Sodalitatum Urbis tempore Reipublicae supressarum Xenodochiis applicata fuere, et eversa Republica, restituta ipsis Sodalitiis ea lege, ut haec illis pro modo redituum conventum subsidium in menses singulos darent, ita imperantibus iis, qui tunc summas imperii tenebant, et authorante Delegato Apostolico. Archiconfraternitatis Ssm̃i Rosarii in Ecclesia S. Mariae supra Minervam erectae administrationem ex delegatis facultatibus gerebat Praesul Olgiati, qui *die 24. Aprilis anni* 1800. nomine Archiconfraternitatis obligationem suscepit subministrandi Hospitali Ssm̃i Salvatoris ad Sancta Sanctorum *scut.*25. in singulos menses, dummodo ad administrationem, et possessionem bonorum reintegraretur: *e che questo assegnamento sia temporaneo, e debba durare a beneplacito della S. Sede Apostolica.* *Sess.22 Cap. 6. de Reform.*

Restituta Archiconfraternitatis administratione ejus deputati supplicarunt hanc S. Congregationem pro approbatione initae conventionis, quam in oblatis precibus utilem dixerunt; idcirco quia ex annuis rationibus Sodalitatis constabat - *che non compresi i frutti de' LL. de Monti, ora sospesi ascendenti a scudi* 5747. 65. *l'entrata supera l'uscita di scudi* 989., *quali restano per qualunque spesa occorrente, ben inteso però che sia provisorio per poco tempo*, atque ex Rescripto *diei* 10. *Maii* 1800. approbata fuit; *donec aliter a Ssm̃o Pontifice provideatur.*

Statutam solutionem implevit Archiconfraternitas usque ad Mensem *Octobris Anni* 1810. Tunc enim ruentibus ob temporum conditionem rebus Archiconfraternitatis cessavit praestatio promissi subsidii, ita ut ad *diem* 9. *Junii* 1816. in hanc causam debeantur scuta 1685. Restituto veteri rerum ordine, cum conditio Archiconfraternitatis melior facta non sit, postulat condonationem quoad praeteritum, simulque ut conventio omnino rescindatur.

Rogatus est Em̃us, et Rm̃us Galeffi Archiconfraternitatis Protector, ut auditis Administratoribus Hospitalis, eisque *praefixo termino ad deducendum jura in S. Congregatione*, suam Sententiam aperiret. In remissa

Informatione inserta sunt jura *in scriptis* utrinque allata, et Emus Protector rationes ab Archiconfraternitate deductas praehabendas ab EE. PP. arbitratur, et fore confidit. Duobus Dubiis tota complectitur quaestio; et quae in utramque partem afferuntur per summa capita subjiciam.

Utrum servanda, an vero rescindenda sit conventio, quaeritur *sub I. Dubio* Ex duplici capite rescindendam urgent conventionem Deputati Archiconfraternitatis, et quia ex falsa causa inita, et quia non perpetua fuit, sed ad tempus conventa. Solemne in jure est, falsam causam inducere errorem, et cum consensus per errorem praestitus abfuisse ab actu censeatur *ex Text. in Leg. Si per errorem ff. de Jurisdic.omn.Judic. Leg. Nihil consensui ff. de reg. Jur.* sequitur ut falsa causa irritet contractum, ceu tradunt *Valeron. de Transact. Tit.6. Quaest. 3. num.1. & 14. Urceol. eod. Tract. Quaest. 96. num.35., et S. Congreg. in Alexandrina Reductionis Missarum 27. Novembris* 1790. Falsa vero causa ex eo deducitur, quod tum Praesul Olgiati, ut scuta annua 300. Hospitali sponderet, tum Deputati, ut concordiae approbationem poscerent, putarunt ex reditibus superesse annua scuta 989. 4.; unde et ceteris oneribus, et subsidio Hospitali promisso fieri posset satis, quod ex novis exhibitis ratiociniis falsum demonstratur.

Nam quando inita fuit conventio constitutus est status ACTIVUS Archiconfraternitatis (demptis fructibus *duo millium*, Locorum Montium quorum solutio suspensa erat) in annuis *scutis* 1167. 90. PASSIVUS vero in annuis scutis 168, 86, ita ut, subductione facta, superessent *scuta* 989, 4. Ex his, demptis scutis annuis 300. Hospitali rependendis, superextabant annua scuta 689. 4. pro manutentione bonorum, solutione vectigalium, et expensis administrationis.

At in novis rationibus nunc exhibitis diminuitur status *Activus*, et *Passivus* augetur. Activus enim constituitur in *scutis* 1105. 49. tantum ob diminutionem nonnullorum redituum, qui in majori summa adno-

notati fuerant in statu anni 1800. Notant vero Archiconfraternitatis Moderatores, quod in eo describuntur Pensiones Domus sitae in *Platea Capranica*, quae pertinet ad Legatum Giustiniani, quaeque usque ad annum 1815. perceptae fuerunt ab Archiconfraternitate jure Salviani in reintegrationem expensarum, quas pro restauratione ejusdem Domus in scutis 12082. 46. impenderat. De qua, cum nunc reintegrata sit, pensiones illae in annua summa scut. 705. 50. erogandae sunt in dotes distribuendas juxta mentem Testatoris Giustiniani, ita ut in statu activo Archiconfraternitatis calculari non possint.

Sed licet haee pensiones in calculo habendae essent, Archiconfraternitas contendit male supputatum fuisse *statum passivum* in *scutis* 168. 86. Nam haec summa coalescit ex oneribus Canonum, Legatorum, Dotium, aliarumque praestationum, quae ab Archiconfraternitate implendae sunt. At deficiunt expensae pro Missis legatorum, pro inservientibus, et litibus sustinendis, pro restaurationibus, et dislocationibus, aliisque praestationibus in eo *statu* omissis, scilicet diei festi SSmi Rosarii, et *per i Roversi* Confratribus distribuendis. Haec omnia cum oneribus in *statu* anni 1800. supputato cumulata, annuam conficiunt summam scutorum 933. 49. Collatis itaque rationibus *status Activi* in scutis 1105. 49., et *status Passivi in scutis* 933. 49. libera supersunt Archiconfraternitati annua scuta 172. 1, quae summa subsidium annuum favore Hospitalis in *scutis* 300. ferre non potest. Ac ne vix quidem Archiconfraternitas percipit ea scuta 172. 1, si habeatur ratio redituum, quae pro conditione temporum inexacta jacent, quaeque ducto calculo decennali ad annua *scuta* 116. 12. pertingunt: Nam creditrix est in summa scutorum 1247. 38. aliorum locorum Piorum, quae suppressa fuerunt, nec inexacta percipere potest.

Ex his demonstrare studet Archiconfraternitas falsam causam, cui innititur subsidii promissio. Hinc rescindendam esse postulat, etiam ex eo quod non fuit con-

conventum subsidium perpetuo duraturum. Nam Praesul Olgiati spopondit subsidium ea conditione - *Che sia temporaneo, e debba durare a beneplacito della Sede Apostolica* - . Rursus Deputati approbationem hujus conventionis postularunt - *ben inteso però che sia provisorio per poco tempo* - . Et Sac. haec Congregatio eamdem approbavit; *donec aliter a Sanctissimo provideatur*. Si igitur ab *anno* 1800. *ad annum* 1810. per decennium conventum subsidium Hospitali praestarunt; si nunc reditus Archiconfraternitatis huic ferendo oneri sunt impares, concludunt Deputati rescissionis remedio esse nunc succurrendum, etiam si ab initio ex justa causa initus fuisset contractus, quia incidit in eum casum, a quo incipere non poterat.

Administratores vero Hospitalis contendunt Archiconfraternitatem non tam ex pacto, quam ex lege teneri ad subministrandam mensualem summam, quia hac conditione ad bonorum possessionem, et administrationem reintegrata fuit. Quare nihil quaerendum esse ajunt de falsa causa, cum justa, et vera fuerit ratio, cur eam Archiconfraternitas iniret. Nec excessivum dicendum est subsidium in annuis sc. 300. conventum, cum et Praesul Olgiati, et Deputati fassi sunt congruum esse reditibus Archiconfraternitatis. Quod confirmatum est ex observantia *decennali*, cum hoc temporis spatio subsidium solverit Archiconfraternitas, quin conquesta sit gravius esse, quam quod reditus ferre possent. Haec vero observantia susceptam obligationem validiorem reddit ad tradita per *Fagnan. in lib. 3. Decret. Cap. Tuae De Cleric. non residen.*

Negant porro diminutos fuisse reditus post initam concordiam. Nam in postremo rerum publicarum tumultu, Sodalitas SSmi Rosarii suppressa non fuit, bona retinuit, fructusque percepit. Quod si de pensionibus domus, nunc finito salviano libere disponere non possit: quia eroganda sunt in subsidia dotalia, facile impetrari poterit suspensionem hujus oneris, quemadmodum exoravit, ut se reintegraret

ex

ex pensionibus de summa scutorum *duodecim millium*, quam pro restaurationibus impendit; eoque facilius impetrabit: quia agitur de subsidio dando infirmis, quod caeteris piis operibus praevalet. Ad haec respondunt Deputati Archiconfraternitatis, se implorasse suspensionem subsidiorum dotalium, sed obtinuisse pro iis tantum, quorum vel in totum, vel in parte defecerant reditus, ut ex *Rescripto* praeeunte Voto cl. mem. Cardinalis Rovarella Protectoris dato ab hac S. Congregatione *die* 26. *Augusti* 1801. Addunt quod agitur de suspensione subsidiorum dotalium, quae praejudicium inferret puellis a Testatore contemplatis, quae a tot annis subsidiis carent, ita ut eorum juri quaesito esset derogandum.

Pertinet II. *Dubium* ad absolutionem, et condonationem quoad praeteritum. Cum Archiconfraternitas *ab anno* 18 o. *ad diem* 9. *Julii anni* 1816., cessaverit a solutione hujus subsidii, pro quo sit debitrix scutorum 1685. impossibile esse dicunt Archiconfraternitatis Deputati hanc solutionem implere, maxime si dotalia subsidia Giustiniani distribuere, et in hanc causam pensiones domus in *Platea Capranica* erogare debeant. Procul autem a mala fide insolutum reliquisse Hospitali subsidium profitentur, sed ex defectu redituum. Concurrente vero impotentia, et bona fide absolutio, et condonatio nemini denegari solet, ceu millies statuit S. Congregatio, et praecipue in *Nurnien. Suspen. Onerum, et absolutionis* 18. *Aug.* 1802.

Contra administratores Hospitalis illud observandum proponunt, quod si conventio rescindenda sit, non nisi a die motae litis fieri id oporteat: nam cum esset in implicito statu validitatis, jus est Hospitali percipiendi subsidium usque dum Sodalitas SSmi Rosarii rescissionem postulavit; aliter maximum damnum Hospitali eveniret, cum talia haud opinans sibi consulere nequivit. Addunt Archiconfraternitatem libere percepisse pensiones domus in *Platea Capranica* ad annum 1815., ita ut saltem

ad hoc tempus subsidium solvi potuisset. Gemina deliberanda erunt Dubia.

I. *An concordia sit servanda, seu potius rescindenda, in casu etc.*

II. *An sit consulendum SSmo pro absolutione quoad praeteritum in Casu etc.*

Ad I. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ad II. Consulendum Sanctissimo pro aliqua reductione.

Sess. 22. Cap. 6. de Reform.

ROMANA RESCISSIONIS CONCORDIAE. Non absimilis a praecedenti haec causa est, in qua Deputati Sodalitii, et Xenodochii *Pistorum Italorum* erecti in Ecclesia S. Mariae Lauretanae ad *Forum Trajanum* rescissionem postulant concordiae inter cl. m. Cardinales Joseph ab Auria, et Pignatelli initae *die 25. Septembris* 1801. pro restitutione bonorum favore Sodalitii cum onere annui subsidii scut. 150. favore Archiospitalis ad *Sancta Sanctorum*, quam concordiam postea S. haec Congregatio probavit, donec aliter a SSmo provideatur.

Eminentissimus Galeffi Sodalitii Visitator rationes exponit, quibus Deputati nituntur, ut rescissionem postulent, et remittit ea, quae in *Scriptis* Administratores Archiospitalis ad Sancta Sanctorum deducunt, ut concordiam sustineant. Elapso jamdiu termino Administratoribus praefinito ad deducendum jura sua in S. Congregatione, causa ex officio proponitur.

Exhibet Sodalitium rationes introitus, et exitus, ex quibus constat annuus reditus scut. 2255. 93 ½ quibus addi possent alia scuta annua 345. 02. pro fructibus Locorum Montium, et census a R. Camera Apostolica debiti, quae hactenus soluta non fuerunt. Ex *Statu* vero *passivo* coalescunt annuae ex-

expensae in scutis 4082. 42. quae necessariae sunt pro canonibus, pro vectigalibus, et taxis, pro oneribus Missarum, pro manutentione Ecclesiae, et Hospitalis, pro inservientibus, pro restaurationibus, et dislocationibus, pro usuris ex aere alieno debitis. Deficiunt ergo ad collibrandas rationes annua *scuta* 1846. 48. Ut vero hactenus haec onera sustinere posset non nullos fundos alienavit, quo factum est, ut reditus decreverint. Atque ut Eminentissimus Visitator in sua *Informatione* observat, praeterea gravatur sodalitium ingenti cumulo subsidiorum dotalium, quae ante infausta Reipublicae tempora distribuit, quaeque nunc post contractas a puellis nominatis nuptias, solvere non potest, unde evenit, ut fere omnes reditus sequestro sint obnoxii.

Hinc concludit rescindendam esse concordiam, cum nequeat Sodalitium praestare conventa *scuta* 150. Aliter enim cessare debet ab excipiendis infirmis in proprio Hospitali, quod pro Italis pistoribus infirmis ex sua institutione retinere debet. Incongruum vero nimis esse dicit, rejicere infirmos, quos ex debito justiatie excipere debet (nam in hanc causam habet plurima bona legata) ut alteri Archiospitali opem ferat. Quo loci Eminentissimus Visitator in sua *Informatione* observat - *Confraternitatis ejusdem aliam esse rationem quam caeterarum nullum hujusmodi onus sustinentium. Quod sane discrimen, si diligentius animadversum initio fuisset, persuaderi facile potuisset, ne instar societatum reliquarum in utilitatem* Xenodochii *ad Sancta Sanctorum redditus conferrentur ejus etiam societatis, quae proprio sustinendum aere ipsum* (hospitale) *habet. Si quid ergo tunc minus accurate provisum appareat, id ut modo reformetur, aequitas suadet*.

Administratores vero Archiospitalis ad *Sancta Sanctorum* rem esse dicunt de Concordia jam ab hac S. Congregatione approbata, et jamdiu exequta: Causam quae ad Concordiam impulit, ut scilicet inopiae Archiospitalis succurreretur, adhuc perseverare: agi de infirmis, quorum causa potior esse debet, quam reliquorum piorum operum. Obser-

vandum pro meo munere propono in statu passivo referri duas partitas, alteram *scutorum* 705. 80. pro fructibus quibus gravatur Sodalitium erga diversas haereditates, quas ipsa consequta est, ut certa onera impleret: alteram *Scutorum* 744. 16. pro inservientibus Ecclesiae, hospitalis, et Administrationis. Primam sane Sodalitium sibimet ipsi solvit, ut onera impleat. Altera vero moderationem aliquam mereri posse videtur. Plus enim pro inservientibus impenditur, quam pro infirmis, pro quibus in *Statu passivo* adnotata sunt *scuta* 180. Quid in hac re expedire videatur, deliberare EE. PP. dignabuntur sub Dubio.

An sit servanda concordia, seu potius sit locus rescissioni in casu etc.

Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Sess. 22. Cap. 6. de Reform.

FIRMANA EMPHYTHEUSIS QUOAD REDUCTIONEM CANONIS. Praeeuntibus Literis Apostolicis *die* 5. *Januarii* 1802. deliberata est favore Dominici Tendoni Emphytheusis sex fundorum rusticorum spectantium ad Beneficium S. Antonii in Ecclesia *Montis Ulmi* erectum, quod Sacerdos Rinaldus Lupi possidebat convento annuo canone scutorum *nonaginta*, salvo jure *vigesimae*, *et sextae*. Tunc plures eruperunt oblatores, ut emphyteusim sibi praeriperent in aestu novae licitationis, quos omnes vicit Franciscus Patriossi, qui ex causa *sextae*, et *vigesimae* annuum canonem ad scuta *centum triginta* evexit. Inita itaque cum hoc est stipulatio Instrumenti *die* 18. *Junii* 1802. ad tertiam generationem masculinam tantum, pluribus conventis pactis, ex quibus duo, quae ad praesentem controversiam pertinent, observare praestat.

Pri-

Primum Franciscus Patriossi annuum Canonem *scutorum centum triginta* spopondit *liberamente, ed interamente rimossa ogni eccezzione con rinunciare, conforme il detto Patriossi rinuncia a qualunque pretensione di defalco, e bonifico per motivo ancora di qualunque caso eventuale, ancorchè qui non espresso, e vi occorresse speciale menzione*. Praeterea in se suscepit *qualunque colletta Camerale o Communitativa, ordinaria e straordinaria, privilegiata, e privilegiatissima dazio, o gabella imposta, o da imporsi sopra detti terreni, come anche per la celebrazione delle Messe, Catedratico, Spogli, e Galere, S. Visita, ed altro occorrente sia a carico del detto Patriossi*.

At anno 1810. conquestus Emphitheuta aucta fuisse vectigalia, et diminuta rerum pretia post abrogatam pecuniam aerosam, ac propterea gravem nimis esse conventum canonem, impetravit a Rectore Beneficii Sacerdote Rinaldo Lupi, ut ejus vita durante ad annua scuta *Septuaginta* diminueretur. Cupiens postea, ut perpetua, et integra durante Emphyteusi haec canonis reductio fieret, annuente Rectore Beneficii hanc S. Congregationem pro diminutione canonis supplicavit. Cujus preces dimissae fuerunt Rescripto diei 22. Julii 1815. - *Supplicet Rector Beneficii* - Obtulit et hic preces pro diminutione Canonis, et rogata est sententiam Emi Archiepiscopi Firmani super *annuo bonorum reditu per decennium antecedens, et subsequens contractui per Peritum ex officio*.

In remissa *Informatione* fatetur Emus Archiepiscopus non potuisse constituere fructum annuum bonorum ex decennio, quia, ut ait *nullus extat redituum et exitus liber*. Ex Peritis tamen ex officio deputatis constat ex hisce bonis redire annua scuta 63. 80. quamquam Periti neque referant quantitatem terrenorum, neque quo pretio segetes aestimarunt. Rector Beneficii laesum Emphytheutam affirmat in pensitando canone annuo *scutorum centum triginta*, ac proinde diminutioni Canonis assentitur. Hujusmodi (ita suam *Informationem* concludit Emus Archiepiscopus) *Rectoris instantiae meum*

um adjicere calculum minime vereor, cum nullius culpa, ut patet ex hactenus dictis, Beneficii reditus decreverint, et evidens Ecclesiae utilitas in canone annuo scutorum septuaginta habeatur, qui summam Peritiae excedit in Scutis sex, et obolis viginti, et insuper ex relatione Vicarii Foranei Oppidi Montis Ulmi, ubi Beneficium fundatum est, collegerim Beneficium ipsum pro summa dumtaxat scutorum sexaginta duorum alias fuisse locatum.

Postulatur Canonis reductio ex eo quod fructus canoni pensitando non sufficiant. Illud igitur primum *in facto* quaerendum videtur, num revera fructus solvendo canoni sint impares, deinde *in jure* statuendum, num reductio canonis in emphytheusi Ecclesiastica concedi possit. Impares esse fructus fatetur Rector Beneficii Sacerdos Rinaldus Lupi. Periti ab Eminentissimo Archiepiscopo deputati referunt fundos reddere annuum fructum *scutorum* 53. 80. Affirmat Vicarius Foraneus Montis Ulmi alias fundos locatos fuisse annua pensione *scutorum* 62. Quare ex his concludi posse videtur, fructus annuos Benefici pares non esse convento canoni *scutorum* 130., maxime cum emphytheuta vectigalia, et alia quaecumque onera praestare debeat. Verumtamen si deficientibus annualibus rationibus lateat, quantum fructus dederint fundi in decennio contractui praeeunte, et subsequto; attamen id quodammodo ex antecedentibus locationibus erui posse videbatur. Vestrum erit judicium, num fidendum sit Peritorum relationibus, qui neque referunt quantitatem fundorum, ut habita proportione de fructibus saltem per conjecturam aliquid certi statui possit; neque pandunt quo pretio sive infimo, sive medio fructus aestimaverint.

Si satis compertum EE. PP. habuerint ex fructibus solvi haud posse annuum conventum canonem, redire debet judicium ad controversiam juris: utrum scilicet concedenda sit reductio canonis in Emphytheusi Ecclesiastica. De emphyteusi in genere quamquam Imperator Zeno *in Liber 1. codic. de jur. Emphytheut.* sanxerit, ut pensio emphyteutica debeat

beat integre solvi, nisi res tota perierit, aut quo alio modo defecerit, ita ut si pars tantum rei emphyteuticae perierit, pacta pensio solvenda sit; attamen ex benigna interpretatione invaluit sententia pro reductione Canonis ad aequalitatem, si fructus ad rependendum canonem non sufficiant, quamquam fructuum diminutio ex fortuito permanente casu evenuerit, ut ceteris ommissis statuit Rota in magistrali *Voto Rotali* impresso apud *Emerix Jun. decis.* 1130.

Utrum haec obtineant in Emphytheusi Ecclesiastica, alii negant propterea quod emphytheusis est alienationis species, et canon ratione pretii potest fructus superare, vel saltem aequiparare, ut tradunt *Ciarlin controvers. Forens. 8. num.12. tom. 1. Card. de Luca de alienat. disc. 14. num. 8.* Alii affirmant quia Ecclesia justitiae cultrix est, et aequitatis *Andreol. Controvers. Forens 379. num. fin. Marta medic. Decis. Senen. examen. 12. num. 29. Mans. Consult. Foren. 280. num. 38. num. 3.* Tertia, et receptior sententia eorum est, quos refert *Zanch. de laesion. part. 2. cap. 8. num. 140.*, qui putant concedendam esse reductionem canonis, si in constituendo canone remissa non est *sexta* fructuum pars, quae in Emphytheusi Ecclesiastica relaxanda est ab Ecclesia in compensationem futurorum eventuum ex dispositione juris in *Authen. praeterea cod. de SS. Ecclesiis* et statuit S. Congregatio *in Privernen. Emphytheusis 16. Junii 1787.*

Si statuatur fructus fundi in annuis *scutis* 63. 80. certe quidem Emphytheuta, dum solvit annua *scuta centum, et triginta*, nedum sibi non retinet sextam fructuum partem, sed laesus est ultra medietatem, ita ut ei competeret remedium *Leg. 2. Cod. de rescinden. vendit.* pro rescissione contractus, multoque magis pro reductione Canonis, ut statuit S. Congregatio in *Tolentinaten. Reductionis Canonis 7. Septembris* 1807. Nec praetereundum est, causam petendae reductionis ex augmento vectigalium, et reductione monetae mutuari. Sed ex hac causa non reducendas esse pensiones, et canones definivit S. Rota in *Romana Reductionis Affictus* 6. *Julii* 1804. *n.* 6.

n. 6. cor. Serlupi; concurrente praesertim renunciatione cuicumque defalco - *per motivo ancora di qualunque caso eventuale* - Si tamen diminutionem Canonis concedendam putent EE. PP., statuenda erit summa ad quam reductio fieri debeat. Emphytheusis deliberata primum fuit Dominico Tendoni pro Canone *scutorum nonaginta*, et Patriossus in aemulatione Oblatorum Beneficium hoc Canone privavit, et nunc ad *scuta* tantum *septuaginta* reductionem postulat.

Dubium proponitur.

An, et ad quam summam sit locus reductioni Canonis in casu etc.

Non proposita cum sequenti.

Sess. 24. Cap. 12. de Reform.

REATINA JUBILATIONIS. Postquam per annos *vigintiquatuor* continuum, et laudabile servitium in Liberiana Basilica praestitit Beneficiatus Petrus Aloysius Trovarelli, anno 1800. translatus fuit ad Canonicatum in Ecclesia Cathedrali Reatina, in qua per *sexdecim* annos pari diligentia, et assiduitate choro interfuit. Postulat nunc jubilationis indultum, cui assentiuntur Episcopus, et Capitulum, quorum uterque de continuo, et laudabili servitio Oratoris testatum faciunt, quemadmodum de servitio per *quatuor* supra *viginti* annos in Liberiana Basilica Canonicus a Secretis Capituli deponit.

Compertum est ex consuetudine magis, quam jure scripto indulta hujusmodi concedi solere post expletum continuum, et laudabile quadragenarium servitium, ut tradunt *Garzia de Beneficiis par. 3. cap. 2. §. 1.*

2. §. 1. *num.* 334. *Benedict. XIV. de Synod. Diaeces. lib.* 13. *cap.* 9. *num.* 13. et S. Congregatio *in Caurien. Jubilationis* 30. *Martii* 1815. Concedendum itaque est juxta consuetudinem a S. Sede Apostolica firmatam, ut tradit. *Rota decis.* 167. *num.* 14. *part.* 18. *recen.* Quamquam olim non impertiretur indultum jubilationis illis, qui quadraginta annorum servitium non in una, sed in duabus Ecclesiis praestiterant, ut in *Dubia Jubilationum* 17. *Decembris* 1718. *ad II. Dub.* Attamen postea indulgentior fuit S. Congregatio, et pro quadragenario cursu explendo cumulavit servitium praestitum in duabus Ecclesiis *dummodo tamen in eadem Diaececesi manerent, nec difforme esset servitium*, ut habetur ex Folio in *Recanaten. Jubilationis* 23. *Novembris* 1805. in qua disputato dubio - *An sit concedendum indultum Jubilationis* - rescriptum fuit - *Affirmative* - Vestrum erit judicium, num indultum concedendum sit Canonico Trovarelli, qui *Romae* servitium incaepit, et in Dioecesi *Reatina* absolvit. Dubium proponitur.

An sit concedendum indultum Jubilationis in casu etc.

VO-

VOTA
Canonistæ, et Teohologi
IN CAUSA
Romana Emphytheusis.

„ Nobilis vir ComesCenci Bolognetti haebreis quibusdam Vineam vendidit extra portam Piam, cui plures affixi sunt Canones, quorum altero, qui constat *cadis sex cum dimidio* musti, potiuntur Moniales S. Ceciliae trans *Tyberim*. Plus semel Hebraei egerunt, ut conficeretur Instrumentum recognitionis in dominum professi, se statim soluturos laudemium, et canonem temporis quoque superioris, atque in posterum loco musti praestare vellent *scuta* 7. 80. Sed ipsis morem gerere noluerunt Moniales, quod recte, an secus factum fuerit, vestrum erit judicium EE. PP.

„ Comperta sane omnibus est celebris Constitutio Pauli IV., quae descripta est in *Bullario Mainardi Tom.* 4. *part.* 1. *pag.* 321., quae vetat hebraeos in tota Ecclesiastica Ditione *bona mobilia possidere*. Fateor quod Moniales laudemium,et canones ab hebraeis accipientes nulla in eos bona immobilia conferunt, sed hoc suo facto (quod pluris faciendum est, quia factum est corporis Ecclesiastici) probant, et confirmant dominium, et possessionem hebraeorum, quae Pontificia Lege interdicta est.

Video quid adversus haec hebraei dicturi sint. Dicent fortasse Pontificia auctoritate fuisse probatos contractus, quos in illa rerum perturbatione Galli absolverunt, et ideo dubitari non posse de vi contractus, cujus gratia omnis haec quaestio instituitur. Est hoc sane verum. Sed summus Pontifex publicae tranquillitatis gratia ratos firmos esse voluit contractus eorum, quibus nulla lex impedimento erat, quominus rerum dominia, et possessiones acquirere, et retinere prohibeantur. Ex hoc altero genere sunt haebraei, qui bona immobilia acquirere non

po-

poterant, nisi derogaretur *Constitutioni* Pauli IV. Ubi haec derogatio est! Itaque Moniales facto suo agnoscere, et probare nequeunt dominium immobilium, ad quod Hebraei expressa lege Pauli IV. apti, et idonei non sunt; et ideo reliquum est, ut laudemium, et canonem rejiciant, ac potius devolutionem accipiant.

„ Et ista est etc.

JOANNES *Archiepiscopus Carthaginensis*.

„ Cum ab Illmo et Rmo D. Secretario Sacrae Congregrationis DD. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum communicatum mihi fuerit per humanissimam epistolam *diei* 5. *hujus Mensis* jussum SS. D. N. Pii Pontificis Maximi, quo mihi injungebatur, ut expenso supplici libello Sanctitati Suae porrecto ex parte Monialium S. Caeciliae, quid super proposito negotio sentirem, scripto manifestarem, mandata sine mora exequenda curavi. Exponunt porro praedictae Moniales, Comitem Cenci Bolognetti sub die 2. *Septembris* 1812. per publicum Instrumentum quibusdam judaeis vendidisse Villam, seu Vineam suam extra Portam Piam pretio scuturum quinque mille: vineam vero, seu praedium illum diversis gravatum fuisse Canonibus, qui supputari per quamdam proximitatem possunt scutis 46. 49. Inter hos Canones adnumerari annuam praestationem cadorum musti sex cum dimidio favore praefati Asceterii S. Caeciliae: judeos dictae Vineae emptores pluries institisse penes Moniales pro stipulatione Instrumenti recognitionis in dominum, ut dicitur, sese paratos asserentes ad solutionem tum laudemii, tum canonis sive praeteriti temporis nondum soluti, sive futuri, quem annuum canonem ad summam scutorum septem cum dimidio redigere vellent.

„ Ast cum Apostolicis Constitutionibus interdictum Judaeis sit bona stabilia possidere, dubitant propterea Moniales Oratrices, an licitum ipsis sit, laudemium et canones ab judaeis suburbani ruris emptoribus recipere, quod alii negant, affirmant alii: unde in hoc opinionum conflictu supremum Sanctitatis suae Oraculum pro securitate conscientiae Sanctimoniales eaedem humillime postulant.

„ Pro resolutione praesentis dubii hoc unum disquirendum existimo, an vere subsistat, Judaeos, saltem in locis temporalis Sedis Apostolicae ditioni subjectis, bona stabilia acquirere, et possidere nequaquam posse. Equidem jure communi Judaeos non impediri ab acquirendis, et possidendis bonis stabilibus, certum est ex *Cap. Judaei 2.*, *ex Cap. Multorum de Judaeis*, *ex Cap. Quanto de Usuris*. At vero in Statu Ecclesiastico nec domos, nec agros, nec alia stabilia acquirere possunt judaei, ut statutum fuit a Paulo IV. Const. *Cum nimis absurdum*, quae Constitutio confirmata deinceps fuit ab aliis Summis Pontificibus, et praesertim a S.Pio V. *Const. 10. Romanus Pontifex*, et a Clemente VIII. *Const. 52. Caeca*, de quibus Rota *in Roman. seu Nepesin. Salviani 27. Junii* 1664. in qua decisum fuit, quod non solum iis est interdicta possessio juri dominii, sed est etiam interdicta possessio ratione pignoris, vel simplex detentio bonorum immobilium, ex quibus fructus possunt deduci.

„ Sed abs re non erit integrum hic referre proemium memoratae Constitutionis Pauli Papae Quarti, ubi Pontifex rationes etiam allegat, ob quas judaeos inhabiles esse vult ad possidenda bona immobilia in Civitatibus, Terris, et Locis temporali Sanctae Romanae Ecclesiae dominio subjectis - *Cum nimis absurdum* - ita Pontifex Constitutionem suam inchoat, *et inconveniens existat, ut judaei, quos propria culpa perpetuae servituti submisit sub praetextu quod pietas Christiana illos receptet, et eorum cohabitationem sustineat, Christianis adeo sint ingrati, ut eis pro gratia contumeliam reddant, et in eos pro servitute, quam illis debent, dominatum vendicare procurent. Nos, ad quorum notitiam nuper devenit, eosdem Judaeos in Alma Urbe nostra, et nostris nonnullis Sanctae Romanae Ecclesiae Civitatibus, Terris, et Locis, in id insolentiae prorupisse, ut non solum mixtim cum Christianis, et prope eorum Ecclesias, nulla intercedente habitus distinctione, cohabitare, verum etiam domos in nobilioribus Civitatum, Terrarum, et Locorum, in quibus degunt, vicis et plateis conducere, et bona stabilia comparare, et possidere, et nutrices, et ancillas, aliosque servientes Christianos mercenarios habere, et diversa alia in ignominiam, et contemptum Christiani*

ni

ni nominis perpetrare praesumant, considerantes, Ecclesiam Romanam eosdem Judaeos tolerare in testimonium verae fidei Christianae, et ad hoc ut ipsi Sedis Apostolicae pietate, et benignitate allecti, errores suos tandem recognoscant, et ad verum Catholicae fidei lumen pervenire satagant, et propterea convenire, ut quamdiu in eorum erroribus persistant, effectu operis recognoscant se servos, Christianos vero liberos per Jesum Christum Deum et Dominum nostrum effectos fuisse, iniquumque existere, ut filii liberae filiis famulentur ancillae etc.

„ Transitum hinc facit Paulus Pontifex ad ea praescribenda quae coercendis Judaeis, removendisque abusibus in superiori Proemio relatis necessaria essent, et opportuna: unde sic prosequitur §. 1. - Volentes „ in praemissis, quantum cum Deo possumus salu„ briter providere, hac nostra perpetuo valitura Con„ stitutione sancimus etc. §. *autem* 2. uti unam tantum Synagogam in quolibet loco habere, seu possidere Hebraeis permittit, ita vetat, et interdicit immobilia quaevis bona possidere per haec verba, quae sequuntur: - Et in singulis Civitatibus, Terris, et „ Locis, in quibus habitaverint, unicam tantum Sy„ nagogam in loco solito habeant, nec aliam de no„ vo construere, aut bona immobilia possidere possint: Quin imo jubet omnes eorum Synagogas, praeter „ unam tantum demoliri, et devastare, ac bona im„ mobilia, quae ad praesens possident, infra tempus „ eis per ipsos Magistratus praesignandum, Christia„ nis vendere.

„ Ex hac Apostolica Sanctione clarum est, interdictum Judaeis esse in ditione Pontificia bona immobilia cujusvis generis, seu Urbana, seu rustica acquirere et possidere. Sponte autem sua inde consequitur, Moniales S. Caeciliae non posse licite excipere laudemium, et canones ab hebraeis emptoribus Vineae, quae a D. Comite Cencio Bolognetto extra Portam Piam possidebatur. Nam cum laudemium sic dictum sit, ex quo dominus directus suo consensu, et auctoritate approbet, ac veluti laudet translationem factam fundi emphytheutici quoad dominium utile sub onere annuae pensionis ex uno in alium emphyteutam; cumque Laudemium ipsum detur propter investituram, et immissionem novi Emphyteutae in possessionem *Leg. 3. Cod. de jure Emphy-*

teutico; fas haud est praedictis Monialibus laudare, et approbare emptionem factam fundi emphyteutici, resistente Lege Pontificia, multoque minus ejusmodi personis a possessione stabilium bonorum interdictis investituram, seu immissionem impertiri.

„ Nec judaeis emptoribus suffragari potest, quod initi contractus tempore bona omnia ad Religiosas Domus spectantia jam publicata, et Fisco addicta fuerint. Cum enim injusti invasoris leges, ac statuta, legittimo, hoc est Pontificio Gubernio feliciter restituto, rescissa fuerint, vigent modo, ac plenum robur obtinent sancitae a Pontificibus leges, ac inter eas etiam illa Pauli IV. de qua hactenus disseruimus, quam abrogatam a SS. D. N. Papa Pio VII. nemo dixerit, nemo jure poterit affirmare, cum praesertim praefata Pauli Pontificis Constitutio sine expressa mentione abrogari haud potuerit, nec ei aliquo modo derogari.

„ Narratum etiam mihi est, quod cum Commissioni, uti vocabatur, Bonorum Ecclesiasticorum sub initium resumpti Gubernii Pontificii institutae obtulerint judaei saepe dictae Vineae Bolognetti emptores solutionem Canonum Ecclesiasticorum, nedum Commissio oblatos Canones ab iis non receperit, citaverit e contra ad eos solvendos priorem ejus vineae possessorem Comitem Bolognetti, qui nulla objecta exceptione, nulla intentata lite, judicium declinatus, ultro libenterque eosdem solvit.

Quae cum ita sint, censeo Moniales S. Caeciliae, nec assentiri posse Judaeis emptoribus dictae Vineae instantibus pro stipulatione Instrumenti recognitionis in dominum, nec ab iisdem laudemium, et canones recipere; quia actus isti continent approbationem possessionis fundi stabilis, cui jura resistunt, et a qua acquirenda, retinendaque ex Constitutionibus Apostolicis Judaei prohibentur.

Ita quidem sentio, salvo superiori judicio etc.

Die 25. Novembris 1816.

Michael Angelus Toni Praefectus Generalis CC.RR.Ministror.Infirm. Consultor S.Officii, et promovend. ad Episc. Examinator.

Die

Die Sabathi 17. Maji 1817. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilii, in qua præter alia proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

FIRMANA EMPHYTHEUSIS QUOAD REDUCTIONEM. *Sess.22. Cap.6. de Reform.*

An, et ad quam summam sit locus reductioni in casu etc.

Negative in omnibus

REATINA JUBILATIONIS. *Sess.24.cap.12 Reform.*

An sit concedendum indultum Jubilationis in casu etc.

Negative

AV-

Sess. 22. Cap. 6. de Reform.

AVERSANA RESOLUTIONIS CAPITULARIS. Unde proficiscatur tota haec controversia inter Canonicos, et Hebdomadarios Cathedralis Aversanae: quae utrinque afferantur rationes ad suum cujusque jus protuendum: quid Capitulum statuerit ad conciliandam concordiam: quid probandum, aut improbandum sit ab hac S. Congregatione sedulo et dilucide exponit in suo elucubratissimo Voto Emus, et Rmus Cardinalis Quarantotti, cujus Sapientiae commissa haec tota disputatio est, ut rem perpenderet, et sententiam suam aperiret. Dum Vos EE. PP. delego ad *Votum* quod transcriptum est in calce hujus *folii* quatuor deliberanda dubia propono

I. *An, et quomodo sit probanda Resolutio Capitularis in casu etc.*

Et quatenus *Affirmative*

II. *An sit probandum, seu potius delendum Cap. II. ejusdem resolutionis in casu etc.*

III. *An sit probandum seu potius delendum Cap III ejusdem resolutionis in casu etc.*

IV. *An sit probandum seu potius delendum Cap. V. ejusdem resolutionis in casu etc.*

Ad I. servandam esse Constitutionem S. M. Clemens VIII. - *Sicut Ecclesiarum* -

Ad II., III., IV. Provisum in primo

Sess. 21. Cap. 7. de Reform.

FOROLIVIEN. REINTEGRATIONIS PARAECIAE Ex decem Paraeciis, quibus constabat Forolivii Civitas, tres Apostolicis munitus facultatibus suppressit, aliisque superextantibus univit anno 1806. defunctus Episcopus Prati. Hanc suppressionem maxime urgentibus iis, qui tunc per eas regiones dominabantur, edixit hisce verbis - *Cesseranno perciò la Parochia di S. Martino in Castello, la Parochia ora vacante di S. Mercuriale, la Parochia di S. Maria in Schia-*

Schiavonia . In hanc postremam Ecclesiam transtulit Paraeciam S. *Antonii Novi* de jurepatronatus Mensae Episcopalis, quae exercebatur per Vicarium amovibilem, ad cujus officium deputavit ipsum Parochum S. Mariae in Schiavonia Sacerdotem Antonium Santarelli. Paraecia S. Thomae Apostoli translata fuit in Ecclesiam S. Mercurialis, et constitutus fuit in Ecclesia S. Mariae Carminis Vicarius Subsidiarius Parocho S. Thomae, cui Vicario reditus Vicariae S. Antonii Patavini assignati fuere. Haec ita tunc constituta in eodem statu adhuc manent, elapso jam decennio.

Confratres Sodalitii SSmi Sacramenti erecti in Ecclesia S. *Mariae di Schiavonia*, quam dicunt in *Laterano*, postularunt ut Paraecia hujusmodi reintegraretur, restituta Vicaria S. *Antonii novi* ad suam veterem Ecclesiam, vel ad aliam S. *Mariae Carminis* . Modernus Episcopus in sua *Informatione* , auditis Confratribus et Parochis Civitatis, eorumque juribus in scriptis transmissis multa refert, quae ad hanc controversiam dirimendam scitu necessaria sunt, scilicet: Paraeciam S. Mariae in *Laterano*, sive in *Schiavonia* ante suppressionem constitisse ex capitibus 1470.; Paraeciam vero S. *Antonii Patavini* ex animabus 343., quae nunc post unionem aucta est ad numerum Parochianorum 2575.; illam reditus habuisse in annuis *scutis* 200., et deductis oneribus in annuis *scutis* 70., superesse pro Parocho *scuta* 130., quos reditus percipit Vicarius S. *Antonii Patavini*; hujus vero Vicariae reditus in *scutis* 70. quae demptis oneribus scutorum 43., rediguntur ad annua *scuta* 27., quae assignata fuere Vicario S. Mariae Carminis: Ecclesiam S. Antonii Patavini alienatam fuisse, et in aliam formam, in usum scilicet promptuariorum mutatam, nec in ambitu illius Vicariae aliam adesse Ecclesiam, in qua Paraecia constitui possit. Ex his concludit Episcopus, velle se quidem augere Ecclesias Parochiales, sed non posse, ne tranquillitas turbetur, attento praecipue dissensu Parochorum, quem in scriptis remittit.

E contra Confratres urgent reintegrationem tituli Parochialis: quia suppressio facta fuit nulla intercedente causa necessitatis, et utilitatis Ecclesiae, qua remo-

mota, suppressio, a qua abhorrent S. Canones, subsistere non potest *Can. Majoribus* 8. *cap. Veniente* 26. *de Praeben.* Reinffestuel.*Jus Can. lib.*3. *Decret. tit.*12. §. 2. *num.* 34., *et* S. *Congregatio in Sutrina* 17. *Septembris* 1814. Coacte quidem Episcopus ad haec processit, ne irritaret eos, qui majora mala in Ecclesiam minitabantur. Si ergo coactio cessavit, nil obstat quominus Paraecia reintegretur.

Neque refragari putant, restitui non posse veterem Paraeciarum ordinem, quin publica tranquillitas in periculo posita sit: Etenim, ajunt, se non urgere restitutionem omnium Paraeciarum, sed tantum illius S. *Mariae in Laterano*, sive *in Schiavonia*, id quod facile consequi posse contendunt. Nam Episcopus Prati nomine tantum suppressit hanc Paraeciam, re tamen ipsa eamdem consistere voluit, siquidem in ea constituit Vicariam amovibilem S. *Antonii Patavini* de jurepatronatus Mensae Episcopalis, atque in ea sub hoc nomine confirmavit antiquum Parochum, reditus intactos reliquit, et eamdem Plebem assignavit, solumque Populum S. *Antonii Patavini* in hanc Paraeciam transtulit. Quare si populus S. Antonii separetur, et suae restituatur Vicariae, jam iterum reviviscet Paraecia S. *Mariae in Laterano*, quin aliarum Paraeciarum status, et tranquillitas turbetur. Quod si Ecclesia S. Antonii, in quo Vicaria constituta erat alienata fuit, et in profanum usum conversa, huic difficultati facile occurri poterit, vel recuperando et restituendo Ecclesiam S. *Antonii*, vel transferendo Vicariam S. Antonii ad Ecclesiam S. *Mariae Carminis*.

Ecclesia vero S. Antonii (cujus forma immutari caepit a Mense Februarii 1816. post scilicet petitam reintegrationem Paraeciae *S. Mariae in Schiavonia*, quemadmodum Confratres ex Testibus probare student) a possessore Aequite Alexandro Guiccioli, soluto pretio, recuperari poterit, si Mensa Episcopalis in hanc causam eroget annuam summam scutorum 85., quam *a beneficio del Santissimo Sagramento* olim percipiebat Vicarius S. Antonii, quamque post translationem Paraeciae Mensa Episcopalis ab anno 1806., quo Paraeciarum suppressio, evenit ab-

hinc

hinc semper percepisse dicitur. Hanc enim Ecclesiam reparare tenetur tamquam Patrona, tum etiam quia reditus Ecclesiae consequta est juxta praescriptum Tridentini *Sess.* 21. *Cap.* 7. *De Ref.* Quae si Mensae Episcopali non arrident, Vicaria S. *Antonii*, et Populus transferri poterunt in Ecclesiam *S. Mariae del Carmine*, in qua Episcopus Prati constituit Vicariam Subsidiariam Paraeciae S. Thomae Apostoli, et in ea Vicarium amovibilem S. Antonii Patavini, et hujus Paraeciae reditus transtulit. Quare si Vicarius hujusmodi subsidiarius in Vicarium amovibilem S. Antonii convertatur, haec Vicaria ad pristinum statum revocabitur.

Parochi e contra Forolivienses reintegrationi Paraeciae S. Mariae in *Schiavonia* repugnant. Etenim contendunt quod Episcopus Prati revera eam Paraeciam suppressit, et cum id Apostolica fecerit auctoritate. novis Parochis quaesitum fuit jus super novis limitibus, quibus Paraeciae modo existentes circumscriptae fuere, nec non super animabus ex tribus suppressis Paraeciis inter ipsos divisis. Quare ipsis Parochis repugnantibus, nec ulla concurrente necessitatis causa jus hujusmodi quaesitum auferri non potest. Non enim res est de probanda unione Paraeciarum, quae jam ab anno 1806. Apostolica auctoritate facta, probataque est, sed de nova dismembratione facienda, quam Canonicae Leges haud facile fieri permittunt.

Contendunt praeterea restitui non posse Vicariam S. Antonii Patavini cum Ecclesia alienata, et profanata sit, nec suppetant pecuniae, unde recuperari, et refici possit. Falsum enim conclamant id quod Confratres asserunt, Mensam Episcopalem percepisse annua *scuta* 85., quae pro *Sanctissimo Sacramento* Vicarius S. Antonii percipiebat. Haec enim summa a Gubernio assignata fuit Fabricae Ecclesiae SSm̃ae Trinitatis (hoc tamen a Parochis asseritur, sed nullo probatur documento, nec quidquam Episcopus meminit in sua *Informatione*) quae eam summam reapse percepit. Haec quae deducunt Parochi probat Episcopus in sua *Informatione*, quam hisce verbis concludit -*Si Officialibus praedictis adhaerendum*

dum foret, iterum discordiae, iterumque magnae in Civitate perturbationes, ac in Urbe, quo omnes devenirent, ut Paraeciae jam tot abhinc annis subtractae rursus sibi restituerentur. Animadvertere insuper mihi fas sit, quod si Sacra Congregratio praefatorum Officialium votis acquiesceret, cum Ecclesia *S. Antonii novi vulgo dicti jam venumdata sit, atque distracta* Episcopalis *mea Mensa jus suum patronatum amitteret, quod integrum, intemeratumque conservaturum jurejurando firmavi.*

Haec sunt, quae mihi in scriptis deducta fuere. Vestrum erit deliberare.

An sit servanda suppressio Paraeciae S. *Mariae in Laterano, sive in* Schiavonia, *seu potius sit reintegranda in casu ec.*

Nihil pro nunc innovandum

Sess.25. cap. 4 de Reform.

LUCANA REDUCTIONIS Bonaventuras Nardini ex Oppido *Fasciendora* in *Carfagnana* Testamenti Tabulis anni 1699. legavit ab haeredibus suis - *ut impensis suae haereditatis ante Altare* S. *Sebastiani in publico illius Loci Oratorio assidue lampas arderet*. Hoc onus haeredes delegarunt *Leonardo Nardini* inito contractu, quo illi huic dederunt fundum rusticum aestimatum scutis 240. *Monetae Romanae*; hic vero in se recepit onus lampadis, quemadmodum Testator jusserat, cui quidem oneri ad annum fere 1811. satisfactum est. A sexennio Haeredes Leonardi Nardini a praestatione oneris defecerunt, ita ut nunc SacerdosBartholomaeusNardini reductionem postulet quoad futurum, et absolutionem quoad praeteritum.

Archiepiscopus Lucanus hec refert: *Vires haereditatis familiae Sacerdotis praefati ob varia a majoribus, extantibusque Nepotibus eorumdem ad victum, et indumentum contracta debita satis esse tenues: Fundum*

dum ad lampadis ante SSmae Virginis Altare ardentis manutentionem designatum non brevis temporis lapsu inter familiaria confusum, ideoque haud demonstrationi obnoxium, coloni parte detracta, decem circiter annua Romana Scutata dare; Ad Lampadem ardentem conservandam scutata quindecim annuatim requiruntur; Familiam sumptus jam perceptos in Cappellae favore proprio aere non posse restituendo erogare in confesso est. Nullus vero eorum existit, qui familiae existenti Oratoris ad praenunciatum effectum fundum tradidit; proindeque ad fundi traditi augumentum nullus nunc cogi potest. Tandem expedire sine Cappellae praejudicio, Legatum non in missarum celebrationem, sed, si quod sentio fas est mihi dicere, in parvam quantitatem olei Piae operae Comparochialis Ecclesiae, non solum expensis, sed etiam debitis onustae vixque ad lampadem ante SSmum Sacramentum conservandam pari, singulis annis tradendam.

I. Dubium agit de Reductione, quae concedi non solet, ubi res est de onere per contractum acceptato, nisi probetur ejus laesio, et injustitia juxta doctrinam Benedict. XIV. *de Synod. Dioeces. lib.* 13. *cap.* 25. *num.* 23. et S. Congregatio in *Bergomen. Reductionis Missarum* 10. *Julii* 1728. *et in Senogallien.* 23. *Aprilis* 1796. Postulatur vero Reductio, non quia fundus impar oneribus factus sit, sed quia confusus cum aliis bonis Obligati; tum etiam ob auctum olei pretium, et ob calamitates passas ab Obligato, qui nunc exiguum habet censum, ut ne vix quidem familiam alere possit, eoque minus assumptum adimplere onus. Sed cum fundus non probetur deperditus, commixtio cum aliis bonis idonea non videtur causa ad reductionem impetrandam. Nec quaerendum est, num adsint, qui supplere teneantur. Non enim Rector Oratorii, cujus favore relictum est legatum, urget illius executionem, sed ipse Obligatus reductionem postulat.

Videant EE. PP. num attenta impotentia Obligati concedenda sit reductio, ex qua causa S. Congregatio aliquando indulgentiam adhibuit, *in Syracusana Missarum* 1759. et in *Albinganen.* 12. *Decembris* 1778

et in *Anconitana* 16. *Martii* 1782. , Et quatenus reductionem concedendam censeant videant , an juxta Archiepiscopi votum facienda sit legati commutatio , ita ut Orator tradere cogatur Ecclesiae Parochiali aliquam quantitatem olei , ut accensam retinere possit lampadem ante SSmam Eucharistiam.

II. Dubium pertinet ad absolutionem quoad praeteritum , quae conceditur concurrente bona fide, et impotentia , ut passim statuit S. Congregatio , et praecipue in *Spoletana Reductionis* , *&* *absolutionis* 21. *Novembris* 1783. Sane abesse videtur bona fides , cum Obligati scirent onus , quo tenebantur , et fundum in hanc causam idoneum haberent ; nisi excusatio peti posse videatur , quod ob publicas calamitates in maxima angustia rei familiaris versarentur. Utrum vero ex sola impotentia, de qua testatur Archiepiscopus , concedi possit absolutio quoad praeteritum inadimplementum , Vestrum erit Judicium.

Duo proponuntur dubia :

I. *An* , *& quomodo sit locus Reductioni &c.*

II. *An*, *sit consulendum SSmo pro absolutione quoad praeteritum in casu &c.*

Ad I. Negative in omnibus.

Ad II. Affirmative solutis scutis decem favore Oratorii S. Sebastiani.

*Sess.*25. *Cap.*4. *De Reform.*

CIVITATIS CASTELLI SUSPENSIONIS ONERUM, ET ABSOLUTIONIS. Eae sunt rationes Conventus , et Ecclesiae S. Mariae Gratiarum Patrum *Servitarum* in Civitate Castelli , ut quos habent reditus in annuis *Scutis* 907. 6. superentur ab expensis, quae in annua summa *scutorum* 970: 22. necessariae sunt pro pensitandis vectigalibus, pro alimentis praestandis octo Religiosis, quibus familia coalescit, pro manutentione Ecclesiae , sacrisque peragendis functio-

ctionibus. Praeterea carent Sacris suppellectilibus, quibus depopulata fuit Ecclesia in praeterito bellorum tumultu, ita ut nunc, ne habeant quidem Calicem, et Pyxidem argenteam, nec Organum, et tandem domus colonicae multis indigeant reparationibus. Ut tot, tantisque occurrant necessitatibus, ac extraordinariis expensis Prior, et Religiosi ab hac S. Congregatione deprecantur suspensionem ad sexennium pro medietate onerum Missarum, quas ex legatis implere quotannis tenentur in sacris *quingentum septuaginta quinque* lectis, et *undecim* solemnibus cum adsistentia Diaconi, et Subdiaconi, et *Triginta* ab unico Celebrante cantatis. Nec non postulant suspensionem oneris, ad quod ex legato tenentur celebrandi festum S. Peregrini Latiosi cum Musica, et Panegyrico, et Lampadem diurne ad ejus altare accensam retinendi, ac tandem absolutionem pro oneribus in praeteritum non adimpletis.

Episcopus transmisso statu *activo* et *passivo* affirmat - *reditus qui nunc supersunt Religiosis Ordinis servorum B. M. V. hujus Civitatis minime sufficere ad substinenda onera exiguo illorum patrimonio imposita, quae cum sedulo examinassem, & Peritorum auxilio vera esse cognoscerem, existimo EE. VV. indulgere posse juxta petita.* Ex relatione vero Peritorum constat, necessariam esse expensam *Scutorum* 305.26. pro restaurandis domibus colonis in fundis *Fraccano*, et *il Colle.*

Procuratorem Generalem Ordinis interrogandum duxi, ut referret, an fundi, quorum domus indigent instaurationibus in totum, vel in parte legatis Missarum subjecti sint, et de impensa vere necessaria pro Sacris utensilibus per Peritum ex officio deputandum. Quibus respondit: *suppressionis tempore, & Bibliothecam, & Archivium dissipata fuisse, sed in parvo libro post depopulationem recuperato, cui tit. Campioncello reperisse Terrenum Fraccani pervenisse ad Conventum anno* 1576. *ex legato, & donatione partim cujusdam Callisti, & partim Annibalis Onofri, & in Tabella onerum perpetuorum adesse obligationem unius Missae de Requie cantatae cum tribus paratas cum*

cum exequiis in fine, & triginta Missarum lectarum pro anima Callisti, & obligationem aliam Missar. lectar. septuaginta quinque de Requie pro anima Annibalis Onofri. Utrum aliae adsint obligationes, in defectu monumentorum reperire nequaquam potuit. Addit, *in altero Praedio, nuncupato Burricata, in quo pariter opus est aliqua restauratione licet non contineatur in Peritia, invenisse jacere obligationem unius Missae cantatae solemniter, & octo missarum lectarum in die Praesentationis B.M.V.* Quovero ad peritiam *ex Officio* nec ipse, nec Rm̃us Episcopus decernere voluerunt, *quinam peritus pro sacris utensilibus, quibus opus est, aestimandis sit adeundus: cum agatur de diverso artium genere, et non omnes respective artifices reperiantur in Civitate.* Si *sufficiens EE. VV. videtur attestatus Vicarii Generalis, ipse deponit opus esse Organo, quod pro magnitudine Ecclesiae, & qualitatem Sanctuarii exiget expensam ultra scuta trecenta*; opus quoque omnino esse *tribus Pluvialibus pro festis, & Processionibus, item uno saltem Calice, & una Pyxide, & novem Altaria ferme denudata esse suis tobaleis.*

In *primo Dubio* quaeritur de suspensione onerum, quam Patres Servitae implorant, ut occurrere possint expensis necessariis pro Sacris suppellectilibus, et Organo, nec non pro restaurationibus in Domibus Colonis perficiendis. Obstat sane regula, qua cavetur ne legata Missarum in alios usus convertantur ex *Cap. Cum nobis de Testam.*; attamen non insolens est, ut subeunte necessaria, et utili causa suspensio, et applicatio Missarum concedatur, ut statuit S. Congregatio *in Civitatis Castellanae Canonicatus* 21. *Novembris* 1801. *ad I. Dub.* Vestrum erit deliberare, utrum necessaria sit causa defectus Sacrarum Supellectilium, et expensae pro reparatione Domorum Colonicarum, cum alias S. Congregatio causam necessariam duxerit reparationem Fabricae Ecclesiae *in Lisbonen. Applicationis, et in Spoletana utraque* 18. *Decembris* 1790. Nec praetereundum in hoc casu agi de reparatione Domorum in fundis pro legatis Missarum obligatis, qua reparatione neglecta deterior evaderet fundi conditio.

Ad

Ad *modum* quod attinet, et *tempus* concedendae suspensionis Patres Servitae postulant, ut pro medietate suspendantur onera Missarum, et in totum onus celebrationis diei Festi S. Peregrini, et accensionis diurnae lampadis. Onera vero Missarum quae in *numero* 616. quotannis sunt celebrandae, si ad medietatem suspendantur darent annua scuta fere *quadraginta sex*, et suspensio oneris diei Festi S. Peregrini cum Musica, et Panegyrico, cumaltero onere lampadis suppeditaret circiter annua *scuta triginta*, ita ut Patres *Servitae* conficerent annuam summam *scutorum* 76., erogandam in sacras suppellectiles, et restaurationes. Ad *tempus* quod spectat Patres praedicti postulant sexennium in quo coalesceret summa *scut.* 456. Pro restaurationibus requiritur ex judicio Peritorum *summa scut.* 305. unde superesset summa scut. 151. in sacras suppellectiles eroganda.

Alterum Dubium respicit absolutionem quoad praeteritum inadimplementum onerum ex defectu redituum. Huic absolutioni viam sternunt bona fides, et impotentia quibus concurrentibus absolutionem Sac. Congregatio concedere consuevit *in Fanen.* 16. *Maji* 1779., *et in Forolivien. Reductionis* 13. *Junii* 1789. *ad II. Dub.*

Gemina proponuntur dubia.

I. *An et quomodo, et ad quod tempus sit locus suspensioni onerum; in casu etc.*

II. *An sit consulendum SSmo pro absolutione quoad praeteritum in casu etc.*

Ad I. Affirmative pro medietate onerum Missarum, et pro lampade diurna ante altare S. Peregrini ad sexennium firmo remanente festo ejusdem Sancti cum Missa solemni, et lampade accensa absque Musica, et Panegyrico.

Ad II. Affirmative celebrata unica Missa cum cantu, et interventu totius Religiosae Familiae applican. collective pro omnibus fundatoribus.

NULLIUS TRIUM FONTIUM APPLICATIONIS FRUCTUUM. Canonicatum obtinuit in Ecclesia Collegiata S. Nicolai oppidi *Pontiani die* 26. *Novembris*

Sess. 24. *cap.* 12. *de Reform*

bris 1814. Clericus Stephanus Gerardini, ac statim postulavit ab hac Sac. Congregatione indultum absentiae ex causa studiorum. Capitulum, cujus exquisitum fuit votum in comitiis habitis *die* 27. subsecuti *Decembris* assensum praebuit Indulto ad duos annos, dummodo Clericus Sacros Ordines suscepisset, ubi ad vigesimum primum annum pervenisset. Nunquam tamen sollicitus fuit Clericus Gerardini impetrandi opportunum Rescriptum, sed immo a Patrio oppido discessit, a Residentia, et Choro semper abfuit, nunquam in habitu, et tonsura incessit, sed Romae forensibus negotiis operam dedit.

Hinc reclamante Capitulo Emus Abbas sub sequestro posuit fructus illius Praebendae. Nunc vero Capitulum postulat tum applicationem horum fructuum favore Ecclesiae, et remotionem ipsius Clerici a Canonicatu juxta censuram Sacrorum Canonum. Rogatus Vicarius Apostolicus de sua Sententia audito Capitulo, et praefixo termino Canonico Gerardini ad deducendum sua jura in Sac. Congregatione narrata confirmat, et remittit Votum Capituli, in quo urget utramque propositam instantiam, atque transmittit praefixionem duorum mensium indictam *die* 25. praeteriti *Februarii* Canonico Gerardini, qui huic praefixioni se subscripsit. Post hanc termini praefixionem nec ad Patriam, nec ad Chorum rediit, nec quidquam ad sua tuenda jura mihi exhibuit; hinc Causa ex officio proponitur.

Vetat Tridentinum *Sess.* 24. *cap.* 12. *de Reform.* ne obtinentes Canonicatum abesse possint ultra tres menses - *Alioquin primo anno privetur unusquisque dimidia parte fructuum, quos ratione etiam Praebendae, ac residentiae fecit suos. Quod si eadem usus fuit negligentia, privetur omnino omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuerit; crescente vero contumacia contra eos juxta Sacrorum Canonum constitutiones procedatur*. Sane cum Canonicus Gerardini a *die* 26. *Novembris* 1814. numquam resederit, neque Choro interfuerit in paenas incidit a Tridentino inflictas, ita ut priori anno medietate fructuum privari debet, secundo vero omnibus fructibus quos eodem anno lucrari poterat, et tandem removendus

eri

erit a beneficio, ut statuit Sac. Congregatio *in Castrimaris Privationis Canonicatus* 25. *Februarii* 1741. Postulavit quidem Indultum absentiae ex causa studiorum, cui ad duos annos assensum suum praebuit Capitulum. At satis non est indultum petere, neque ex consensu Capituli concessum censetur, sed Rescriptum ab hac S. Congregatione exorare necesse erat.

Id tamen in controversiam venire poterit, num Gerardinus statim destitui possit Canonicatu, non servatis paenarum gradibus a Tridentino praescriptis. Sacra Congregatio *in Romana Canonicatus* 3. *Decembris* 1718., et in citata *Castrimaris* definivit non posse procedi ad privationem Canonicorum licet per tres, immo per plures annos residentiam neglexerint non observatis dictarum paenarum gradibus. Immo si *omnis reditus in quotidianis distributionibus consistit* (id quod in praesenti causa ignoratur) *pro primo, et secundo anno privatio indici non debet, quia cum sint quotidianae, et non percipiat Canonicus non residendo satis est privatus, et pro primo, et pro secundo anno*. Quemadmodum tradit *Barbosa de Canon., et dignitat, cap.* 20. *num.* 18. Emus Abbas processit quidem ad sequestrum, sed non ad privationem fructuum, ita ut dubitari potest ex hoc, num servati sint gradus paenarum a Tridentino assignati.

Haec prae oculis habeant EE. PP., et quatenus Canonicum Gerardini censeant carere debere fructibus sui beneficii, aequum esse videtur, ut isti Ecclesiae applicentur, cujus servitium Canonicus neglexit.

Duo proponuntur Dubia,

I. *An sit procedendum ad privationem Canonici Stephani Gerardini in casu etc.*

II. *An fructus praeteritorum annorum in quibus Canonicus Gerardini abfuit a residentia sint applicandi Ecclesiae in casu etc.*

Ad I. Affirmative praemissis tribus Canonicis monitionibus.

Ad II. Affirmative excepta medietate fructuum primi anni.

Sess. 24. Cap. 12. de Reform.

NULLIUS SUBLACEN. DISTRIBUTIONUM Postulantibus Canonicis Collegiatae Ecclesiae Trebarum, ut eis restituerentur Distributiones, quas percipere potuissent, nisi exules, ac deportati fuissent ob recusatum Juramentum fidelitatis, per Rescriptum *diei* 5. *Februarii* 1817. delegatae fuere eorum preces Emo Abbati, ut cogeret eos Canonicos, qui praesentes remanserunt, ut has Distributiones absentibus ex causa Deportationis restituerent. Reclamante vero Archipresbytero, et iis, qui praesentes Choro fuere, Emus Abbas ita in suis litteris rem exponit - *Non de fructibus Praebendarum, nec de quotidianis Distributionibus agitur, verum de incertis, ut vocant emolumentis, ac iis quidem duplici genere, ut patet ex juribus utrinque deductis, quae judicio EE. VV. subjicienda esse censui, nempe quae Canonici eo tempore praesentes afferunt, quae caeteri absentes ad ea responderunt, quibus addidi Epistolam ad me postremo scriptam ab Archipresbytero, nempe ab uno ex praesentibus, qua istorum argumenta recentissimo exemplo confirmari ab se posse credidit. Hac in causa quid ego sentiam explicabo brevi: quoniam incerta de quibus agitur bifariam dividuntur, ut alia redeant ex piis Legatis, oneribusque, quibus inter annum satisfaciendi certa Capitulo sit lex, quamquam si qui ex Capitulo haud intersint, non alia ii mulctentur poena, quam ut nihil emolumenti percipiant: alia vero pro re nata ex funeribus, anniversariis, aliisque sacris functionibus voluntaria fidelium pietate indictis proveniant, universe quidem utroque de genere statuendum videretur, haud aliis nisi, qui coram adfuissent, precesque suas in pium opus contulissent jus esse emolumenta eadem percipere.*

Referam EE. PP. quae Archipresbyter, et caeteri Canonici praesentes, quae absentes, et deportati deducant, quid tandem Eminentissimus Abbas super hac controversia censeat.

Archipresbyter, et reliqui Canonici praesentes contendunt nihil aliud constituisse *Sanctissimum Dominum Nostrum*, neque hanc S. Congregationem definivisse

in

in *Reatina Fructuum*, *et Distributionum* 18. *Martii*, *et* 19. *Augusti*, *et in Ferentina Fructuum*, *et Distributionum* 9. *Septembris utraque anni* 1815., nisi ut absentes ex causa Deportationis pro praesentibus haberi debere ad effectum lucrandi fructus, et Distributiones. At hoc intelligi oportere de distributionibus quotidianis, non de distributionibus incertis, quae ex celebratione Missarum, et Anniversariorum, quae solis vere praesentibus debentur, adeo ut nec eas lucrari possint ii Canonici, qui Pontificali Episcopi assistunt, ut statuit S. Congregatio in *Bosanen*. 6. *Februarii* 1734. In Capitulo vero Trebarum observantia inductum est, ut haec incerta emolumenta, ne quidem ab infirmis exigantur, propterea quod vera praesentia necessaria est.

Canonici vero absentes respondent, quod quaedam incerta, quae ex legatis proveniunt certa sunt, et intra annum lucrantur; haec consequuti fuissent, nisi vi expulsi a patria abfuissent, et saepe alias ab hac S. Congregatione definitum reperiri, Canonicos ob injustam carcerationem lucrare omnes Distributiones. Incerta vero manualia, quae ex eventualibus funeribus proveniunt lucrari posse contendunt ex praesumptà Benefactorum voluntate, cum una esset Populi mens, quae maxime adhaerebat iis Ecclesiasticis, qui Religionis, ac fidelitatis causa tot tantisque malis oppetebantur. Quidquid vero sit de infirmis, certum est in Capitulo Trebano Archipresbyterum, et Canonicum Poenitentiarium, quo tempore ille muneribus Parochialibus, hic Confessionibus excipiendis detinetur, haec emolumenta lucrare, idcirco quia pro legitime impeditis habentur. Quaé sane ratio in ipsos concurrit, cum vi detenti fuerint, quominus Choro inservirent.

Eminentissimus Abbas ita concludit, - *Sed vereor*, *ne minus aequum videatur*, *si totum quidem Capitulo persolutum fuerit*, *quantum antea persolvi consueverat*; *dum singulis Canonicis nihil obs'are*, *ne si vellent munus impositum obirent*: *impedimento deinde illato*, *quod tolli*, *nisi per iniquum perjurium nequiret*, *iis exclusis*, *qui se perjuriis contaminare nollent*, *totum illud emolumentum ad paucos unice*

redundaret, qui veriti non sunt fidem suam vetito jurejurando obstringere, vel si quem forte alium aetas, aut casus apud Ecclesiam residere permiserit. Extraordinariae quidem haec sunt causae, quae nunc agitur, adjuncta, remotaque ab regulis, quae in usu quotidiano versantur, eaque commune habent aliquid, cum publica Religionis fideique erga Principem causa.

Dubium proponitur,

An Canonici absentes ex causa deportationis, lucrare possint pro tempore absentiae emolumenta ex Legatis, et ex funeribus in casu etc.

Non proposita cum sequentis.

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

MELEVITANA SUBSIDIORUM DOTALIUM. Oculis EE. VV. subjicio verba Testamenti Paulinae Gafa, de cujus interpretatione controversia oritur in ea parte, in qua legatum subsidiorum Dotalium reliquit. Haec habet Testatrix - „ Di più lascio l'entrata delle tre case, che ho in questa Città due „ congiunte, ed una vicina per perpetua Fondazione di Sposalizio di Zitelle, ed opere pie, come siegue. Dovranno dunque raccogliersi l'entrate di questi beni, ed in ogni quattro anni distribuirsi a due Zitelle Vergini d'età nubile delle più prossime a me congiunte in sangue, e non essendovi saranno impiegate l'entrate in lucro lecito, e sicuro rinvestimento, perchè non resti ozioso il Danaro, finchè vi siano Zitelle d'età nubile, ed in caso che mancheranno delle congiunte in sangue venute in età nubile le Figlie di *Gio. Paolo Dimech di Casal Zebbuus*, di *Domenico Breffa di C. Zebbuus*, di *Publio Galea* siano graduate con ordine, che la più grande, e la più bi-

„ bisognosa le abbia; come anche voglio, che *Bel-*
„ *leja Fenech* figlia di *Francesco Fenech* di questa
„ Città Valletta, cresciuta in età da maritarsi sia
„ subito ad ogni altra preferita, ed abbia *l'entrate*
„ *di due anni* per sussidio del suo maritaggio.
„ Mancando poi le congiunte in sangue a me, e
„ conseguendo il legato l'accennate figlie di *Fran-*
„ *cesco Fenech*, *Publio Galea*, *Domenico Breffa*,
„ *e Gio. Paolo Dimech*, abbia l'entrata *di un in-*
„ *tiero biennio* la figlia *di Maestro Andrea Vella*,
„ ordinando per questo mio testamento, che l'ele-
„ mosina non potrà eccedere l'entrata di due anni
„ tanto delli stabili, quanto di quel lucro, che darà
„ l'ordinato impiego. Acciò li beni non siano de-
„ teriorati, voglio, che a capo d'ogni cinquennio,
„ lasciando sempre *li quattro anni* franchi per l'a-
„ dempimento dell'accennato legato, gli affitti, che
„ scadono nel quinto anno siano impiegati in mi-
„ glioramento necessario, ed utile d'essi beni, e
„ non essendovi occasione di migliorarli si raccol-
„ ghino l'entrate di quelli anni per servire occor-
„ rendo al riparamento, e miglioramento delli me-
„ desimi, o per *compra d'altri stabili in augumento*
„ *del legato*.

Cum anno 1680. eadem Paulina Gafa per publicum Instrumentum dotem constituisset puellae sibi extraneae *Joannae Mariae* filiae *Georgei*, *et Prudentiae de Grech*, quae nupsit *Michaeli Isnard* haec in illo Instrumento addidit. „ Insuper dicta
„ Paulecia Amore Dei, suorumque venia pecca-
„ torum tenore praesenti induxit, et inducit, ac
„ nominavit, et nominat ac particeps fecit, et fa-
„ cit omnes singulos filios legittimos, et natura-
„ les nepotes, pronepotes, ac posteros, et descen-
„ dentes in infinitum legittimos, et naturales ipso-
„ rum sponsorum in dispositione legatorum Ma-
„ ritaggi Puellarum, et puerorum in Religione,
„ vel Presbyteratum efficiendorum, et praedicti
„ liberi, et descendentes in concursu aliorum in
„ consequendo dicta legata ipsa Pauleja vo-
„ luit, et ordinavit, quod copulari debeat; tam-
„ quam ac si forent ejus consanguinei, ac strictio-

„ res

„ res inter alios consanguineos concurrentes, ut de „ hujusmodi legatis dicitur constare ex suo Te- „ stamento. „ Ab eo tempore, quemadmodum Testatrix praescripserat distributae fuere dotes singulis quatuor annis. Ab initio fructus bonorum in haec subsidia legatorum per quatuor annos coacervati dabant Scuta Romana 143. ita ut ex duabus puellis unaquaeque consequebatur Dotem *Scutorum* 71. 50. Postea ex melioratis fundis excreverunt reditus ad *Scuta* 357. 54., atque nunc, si diligenter bona administrentur ad *Scuta* 505. 90. pertingere poterunt, ita ut pro singulis duobus subsidiis *Scuta* 252. 95. percipi poterunt.

Hoc fructuum, et subsidiorum augumento excitatae nonnullae Testatricis consanguineae postularunt ab Episcopo Melitensi, ut quoniam fructus legati accreverant, et multae erant Puellae ex vocatis, quae ad subsidium consequendum optabant, non duo singulis quadrienniis, sed singulis biennis distribuerentur. Episcopus audito voto Vicarii Generalis, et Assessoris, qui attento consensu vocatarum instantiae suffragarunt, per Rescriptum *diei* 13. *Octob. an.* 1810. petitioni annuit. Ab hoc Rescripto reclamavit *anno* 1814. Baronissa Maria Anna Muller descendens ex Conjugibus *Maria Grech*, *et Michaele Isnard*, quorum descendentes Testatrix inter suos Consanguineos haberi voluit, ut subsidium dotale consequerentur. Haec enim cum citata minime fuisset, nec coram Vicario, et Assessore sua jura deducere potuisset, acriter obstitit, quominus voluntas Fundatricis commutaretur distributis subsidiis in quolibet biennio. Anceps Episcopus consuluit utrinque contendentes, ut Apostolicam Sedem adirent, a qua certum redderetur judicium, quo potissimum essent modo distribuenda subsidia.

Horum preces ad S. Congregationem delegatae remissae fuere Episcopo Melitensi *pro Informatione*, auditis interesse habentibus; eisdemque praefixo termino ad deducendum jura sua in S.Congregatione. Episcopus narrata confirmans addit – *Illud insuper praemaxime prae oculis habui, quod distributio hujusmodi dotis sic adauctae inter duas tantum Puellas*

las quolibet quadriennio maximum afferret praejudicium majori consanguinearum parti, quae indotatae procul dubio remanerent ob ingentem earum numerum. Facta ipsarum intimatione, adhaeserunt omnes, una tantum excepta Maria Anna Muller Alessi, quae licet nuptui tradita nobili, ac diviti viro, nihilominus inter tot pauperes innuptas consanguineas, earum petitioni acriter obstitit —.

Dum postulant consanguineae, ut duo subsidia dotalia quolibet biennio distribuantur, commutationem voluntatis postulant Testatricis, quae intra quatuor annos duas dotes assignari mandavit. Solo Pontifici reservata facultas est commutandi pias defunctorum voluntas ex *Clement. quia contigit de Religis. dom.* nec Episcopus potest eam concedere juxta Canonistarum sententiam, de qua *Benedict. XIV. de Synod. Diecis. Lib.* 13. *Cap. Ultim. num.* 17. Inquirendum igitur est, num in casu concurrat justa, et necessaria causa, unde Sanctissimo consuli possit pro commutatione voluntatis defunctae Testatricis, quae cum sancte custodienda sit, nonnisi concurrente necessitate commutari solet *Can. Ultima voluntas Caus.* 13. *Quaest.* 2. *Et* S. Congregatio *in Tyburtina Cappellania* 15. *Septembris* 1815.

Consanguineae hanc causam necessitatis erui posse putant, ex quo aucti sint nunc reditus legati, et excreverit puellarum numerus, quae dotali indigent subsidio. Omnes enim sunt ex humili conditione, ita ut eis sufficiat dos licet in minori summa constituta, quam si ea percipienda esset singulis quadriennis. Nam pro praesenti statu redituum, si subsidia distribuantur singulis quadrienniis, attingent *scuta* 252. 95. Contra vero si distribuantur singulis biennis duo puellae percipient singulae *scuta* 126. 47., quae summa pro eorum conditione satis superque esset, ne aliter multae indotatae remanerent. Quemadmodum igitur, si diminuiti essent fructus, reductio subsidiorum fieret, ita putant augendum esse horum numerum, quia fructus plurimum aucti sunt. Ex his inducunt argumentum praesumptae voluntatis Fundatricis, quae cum eo animum intenderit, ut subsidio donarentur paupe-

res

res puellae, verosimile sit, quod si praevidisset augumentum redituum legatorum, aeque voluisset, ut subsidia multiplicarentur, ita ut non tam agatur de commutanda, quam de interpretenda Testatricis voluntate. Tandem concludunt se omnes, quarum intuitu legatum relictum est, assentiri augumento subsidiorum, proptereaque posthabito dissensu unius tantum legatariae, quae nec paupertate laborat, facilius concedenda sit gratia, quae in publicum bonum vergit, quaeque ampliorem reddit Defunctae charitatem, atque a consensu interesse habentium praestolatur.

Baronissa vero Muller contradicit, quominus voluntas commutetur, quam apertam, et exploratam esse contendit. Nam ipsa jussit, ut in casu, quo quinto quolibet anno fundi legati nullam pro reparationibus requirerent expensas, tunc illius anni fructus erogarentur - *per compra di altri stabili in augumento del legato* -. Praevidit ergo redituum augumentum, neque in hoc casu quidquam de sua voluntate mutavit pro distributione duorum subsidiorum singulis quadriennis. Nullam hinc ait necessariam esse interpretationem, neque commutationem fieri posse deficiente causa necessitatis. Siquidem licet reditus aucti nunc sint, aeque aucta sunt pretia rerum, ita ut majus subsidium, quod nunc exigitur, aequiparari potest illis, quae in minori summa exigebantur, cum viliori pretio res comparabantur. Consensus autem reliquarum puellarum nihil prodesse potest, cum ubi agitur de jure, et interesse singularum, melior est conditio prohibentium, ut ex *Gloss. in cap. cum omnes de Constit. verb. constitutum leg. 3. ff. de Reg. jur.* Se vero jure dissentiri contendit, quia matrimonium contraxit impetrata venia consequendi post nuptias subsidium dotale, et propior est, quam ceterae consanguineae ad illius consecutionem, adeo ut, si commutaretur voluntas, ejus jus quaesitum tolleretur contra regulam de qua *Rota decis. 47. num. 3. coram Moltin. et decis. 92. num. 7. coram Iterzan.*

Haec

Haec utrinque deducta prae oculis habeant EE. PP. ut deliberare possint Dubium.

An, et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro commutatione voluntatis Paulinae Gafà, seu potius sint distribuenda subsidia dotalia ad formam Testamenti in casu etc.

VOTUM
Emi, et Rmi Cardinalis Quarantotti

IN CAUSA

AVERSANA

Divini Cultus incremento, Sacris Ritibus, ac Ecclesiasticis caeremoniis Praestantissimus Episcopus Petrus Orsini *Felic. Record.* maxima sedulitate, summa cura, sollicitudineque in Aversana Cathedrali Ecclesia incumbens, S. M. Clementi PP. VIII. sub anno 1597. exposuit, solos duodeviginti Canonicos, atque duodecim Beneficiatos, quorum pauci Sacerdotes Saeculares erant, nequaquam suffecisse ad Missarum celebrationem, Chori servitium, cunctaque Ecclesiae, cui praeerat, Sacra perfungenda; ideoque a Regularibus Sacerdotibus suppetias exquirere etiam quoad Sacrorum Sacramentorum Ministerium pro animarum sui copiosi Populi utilitate oportuisse; hinc duodecim simplicium Beneficiorum erectionem pro totidem Sacerdotibus, qui Hebdomadarii appellantur, fuit enixe deprecatus. Methodum ipsorum unicuique largiendi annuum Ducatorum quinquaginta reditum dotis titulo obtulit, nempe, annuos vigintiquinque Ducatos ex communi incertorum emolumentorum Ecclesiae Massa, et reliquos viginti quinque annuatim ex Episcopali tum Oratoris Mensa, tum suorum Successorum Episcoporum perpetuo esse assignandos.

Reque vera Nono Kalendas Augusti 1597. Clementina prodiit in lucem Constitutio - *sicut Ecclesiarum* - in qua duodecim simplicium Beneficiorum erectio facta est - *pro duodecim Clericis, sive Presbyteris futuris inibi PERPETUIS Beneficiatis, qui*

omnia

omnia, et singula, functiones, et onera opportuna, et NECESSARIA *in dicta Ecclesia Aversana habeant, et exerceant, et Cappam deferant; vocem tamen in praedicto Capitulo minime habeant, Apostolica auctoritate tenore praesentium* PERPETUO *sine alicujus praejudicio erigimus, et instituimus, illisque sic erectis, et institutis pro illorum dote, et illa pro tempore obtinentium* SUBSTENTATIONE *ultra* MASSAM COMMUNEM INCERTORUM EMOLUMENTORUM PRAEDICTORUM, *vigintiquinque Ducatos similes ex fructibus, et redditibus annuis dictae Mensae singulis duodecim Beneficiatis praedictis per Petrum Episcopum,* CUJUS AD HOC EXPRESSUS ACCEDIT ASSENSUS, *et Successorum dictorum quotannis persolvendis auctoritate, et tenore praesentium, et etiam perpetuo concedimus, et assignamus.*

Subsequentium Temporum observantiam provida isthaec constitutio promeruit. Episcoporum quilibet, ut capitularis refert Aversae Vicarius, quos inter laudatus Petrus Orsini, annuos tercentum Ducatos ipsis duodecim Hebdomadariis suppeditarunt usque ad praeteritum annum 1816., in quo postremus Episcopus ad plures migravit.

Clementinae Bullae praescriptum etiam quoad Ducatorum viginti quinque perceptionem a communi incertorum Ecclesiae emolumentorum congerie provenientium praedictus Capitularis Vicarius ultro, citroque fatetur; suadere autem nititur, eamdem Bullam utpote promulgatam absque ullo Capituli assensu, et instantia, minime Capitulum idem ulla obligatione devinxisse erga Hebdomadarios, quorum opera pro Divinis Officiis, Ecclesiasticisque caeremoniis haud quaquam egebat. Superaddit, incerta Ecclesiae emolumenta nequaquam ducatos viginti quinque pro illorum quolibet annuatim exhibere. Enarrat insuper, Hebdomadarios anno 1779. a Romano Pontifice quatuor Beneficiorum collationem obtinuisse, quorum bona alieno aere, ducatorum nempe 4500. onerabantur, quod partim extinctum ad ducatos 1600. hodie reliquatur. Sedulo autem, accurateque animadvertendum hic est,

 col-

collationis Bullam exequutioni ad hanc usque diem demandatam minime fuisse; propptereaque illos debito gravari, quin Beneficiorum assequi fructus unquam valuerint.

Extrema egestate ipsi Hebdomadarii laborantes reclamarunt contra Capitulum acriterque demonstrarunt, communem incertorum Ecclesiae emolumentorum congeriem in Capitulari Massa fuisse comprehensam, ideoque ab hac Massa tercentum ducatos a Clementina Bulla praefinitos deducendos esse. Capitularis vero Vicarius alte conclamat novam, ineptamque petitionem, vetustisque moribus, ac quasi possessui Capituli, qui nil unquam persolvit Hebdomadariis, omnino adversari; Utrum vero fuisset nec ne Massa incertorum Ecclesiae emolumentorum in Capitulari comprehensa negligitur, prorsusque reticetur. Inficiandum nihilominus non est, Canonicos Victoriae omen pertendere nequivisse, futuramque sibi civilem actionem tunc in suspenso relictam omnino contrariam pertimuisse. Ipsi equidem anno 1814. Summum Pontificem exorarunt, ut facultatem annueret constituendi proHebdomadariorum subsidio annua ducata 216. a Capitularis Mensae Procuratore Canonicorum onere persolvenda, respectu tamen habito unjuscujusque reditui. Die 17. Decembris dicti anni remissae preces fuerunt Vicario Capitulari - *Pro informatione, et voto, audito Capitulo, et referat de Ecclesiae Constitutionibus, et consuetudine quoad praeteritum, de annuo reditu cujusque praebendae Canonicalis, et Hebdomadariae, et an, detractis a Mensa Capitulari ducatis biscentum, sufficiens supersit congrua pro Canonicis* -; quamobrem Isti quinto Kalendas Decembris 1815. Capitulum convocarunt, in quo perpenderunt, plurimos Canonicos senectute fatiscentes, ac morbo laborantes ab Hebdomadariis esse sustentandos. Dixerunt praeterea, minime hos valere ad aliquod jus in Capitulari Massa jactandum, nullaque Canonicos ad aliquid dandum, vel praestandum obligatione devinci. Attamen sagaciter ipsi deliberarunt - *attribuendos esse iis duodecim Hebdomadariis Ducatos ducentos de Massa Capitulari* - quos

quos in sequenti Capitulo *diei* 7. *Septembris* 1816. *ad biscentum sexdecim* ampliarunt, ut illorum quilibet annua undeviginti Ducatorum praestatione frueretur; hanc tamen summam a Capitulari Massa juxta cujusque Canonici reditum detrahendam esse statuerunt.

Quam plura fuere facta, quae duram nimis, et intolerabilem, reddiderunt hanc Capituli largitionem I. - *ut nihil de hoc negocio moliretur, nisi prius venia a Sacra Eminentissimorum Congregatione impetrata* - II. - *Ut* TABULIS PUBLICIS PROFITERENTUR, SE IMMERITO CAPITULUM LITIBUS VEXASSE, *atque* ABRENUNCIARENT QUIBUSCUMQUE ACTIBUS, POSTULATIONIBUS, INSTANTIIS, *ut ajunt, factis apud Regium Tribunal Camerae S. Clarae* - III. - *Ut hanc summam non alio* TITULO, AC JURE, NISI LARGITATIS NOMINE, AC BENEFICIENTIA CANONICORUM SE ACCEPTUROS TESTARENTUR - IV. - *Ut tota ea pecunia distributionis quotidianae locum, ac rationem haberet, et hoc modo iis penderetur* - V. - *Ut si vel Beneficiorum aliorum annexatione, vel Episcoporum aequitate imposterum Hebdomadariis redituum accessio fieret, ita ut summa Ducatorum quinquaginta pars cuique contingeret; vel si e contrario* TEMPORUM INJURIA, AUT, NOVIS VECTIGALIBUS IMPERATIS, CAPITULARIS MASSA NON ESSET IN INTEGRO APUD CANONICOS FORTUITO ALIQUO CASU, *vel* DETRIMENTUM PATERETUR, *ita ut pars, quae Canonico cuique cederet, seu quota Canonicalis, ut est impraesentiarum*, MINUERETUR, PACTA CONVENTA IRRITA ILLICO FIERENT, *et* CAPITULARES NULLA OBLIGATIONE, NULLOQUE JURE AD SOLVENDUM DICTAM PECUNIAM ADIGERENTUR -

Capitularis Vicarius relationem exhibuit, quam de Ecclesiae Constitutionibus, et consuetudine quoad praeteritum jam descripsimus. Annuum deinde cujusque Canonici reditum is retulit, exposuitque - *che il Capitolo della Cattedrale è composto di trenta Canonici, dei quali dieciotto Presbiteri, sette*

te Diaconi, e cinque Suddiaconi. Ad eccezzione di soli sei tra i Presbiteri, cioè, le quattro Dignità, il Canonico Teologo, e Penitenziere, i quali oltre il Canonicato Presbiterale hanno ciascuno la sua Prebenda particolare, tutti gli altri non hanno prebenda distinta dal Canonicato, ma si fa massa comune - Hujus divisionem massae praeterea enucleavit, id est - *ai Canonici Presbiteri si da un terzo di più dei Diaconi, e Suddiaconi, ed al Prefetto del Coro la porzione doppia presbiterale, coll' obbligo però di dover dar egli ogni anno Ducati cento alla Sagrestia, ma consistendo i Canonicati tutti in distribuzioni quotidiane, dipende l' effettiva rendita di ciascuno dalla di lui assistenza al Coro etc. Posta perciò la doruta assidua assistenza al Coro, ciascun Presbitero suole ricevere nello stato presente del Capitolo tomoli 171. di grano, il Prefetto del Coro 342. e ciascun Diacono tomoli 114., purchè all'occorrenza di straordinarie spese, o l'accrescimento delle imposizioni non porti la necessità di dover diminuire la rata* - Ab hac regula sex Canonicorum Presbyterorum excipiuntur Praebendae, quae valde majores, et inaequalis reditus asseruntur; sed - *Hanno essi l'obbligo di cantare le Messe Conventuali principali, dar Ducati circa 10. per ciascuno di essi al di loro Viccrio Curato della Parrocchia, ed ajutarlo nell'esercizio della Cura.* -

Ab Apostolica tandem Auctoritate Capitularia Decreta esse confirmationis robore donanda, et exequutioni demandanda, ille arbitratur; quoniam, deductis annuis biscentum sexdecim ducatis erga Hebdomadarios persolvendis, - NON VERREBBE (inquit Is) A MANCARE AI CANONICI LA CONGRUA SUFFICIENTE - Sapienter Eminentissimi PP. irregularem quodammodo, minusque accuratam Capitularis Vicarii relationem cognoverunt, ideoque prudenti consilio in Congregatione *diei* 16. *Martii* 1816. rescripserunt - *Exhibeatur copia Bullae S. Mem. Clementis VIII. quoad fundationem Hebdomadariorum, et Resolutionis Capitularis 27. Decembris elapsi anni* 1815. - quas ordinatim, dilucideque superius innuimus.

Per-

Perscrutandum nunc est, an, et quomodo haec Capituli Resolutio sit approbanda. Attenta delegatione, quam mihi EE. PP. tribuistis, ut meam aperirem Sententiam, factorum seriem esse praeponendam existimavi, ex qua, arbitror, concedendam esse petitam approbationem, exceptis tamen gravibus conditionibus, ac renunciationibus, quibus Capitulares onerare Hebdomadarios autumant in eversionem Bullae eorum fundationis, cujus exequutio, atque observantia in discrimen non est revocanda; solam nihilominus adderem conditionem, quatenus Hebdomadarii ad primaeva jura revertantur, nec non praescriptos a Clementina Constitutione quinquaginta ducatos consequantur, praesentem annuam ducatorum 216. praestationem ad nihilum esse protinus redigendam. Vos, Eminentissimi PP. funditus intelligitis, utili, ac necessaria Ecclesiae, Divinique Cultus concurrente caussa, confirmationem, et instantiae nunc propositae approbationem nullimode inficiandam esse, ut legitur in *Extravag. Ambitiose de Rebus Ecclesiae non alienan.*; *et tradit Thesaur. quaest. Forens.* 37. *num.* 2. *et seq. lib.* 3. *Card. de Luca de Alien. disser.* 1. *num.* 1110. *Card. de Petra de Comment. ad Constit. Apostolic. tom.* 1. *pag.* 91, *num.* 84.

Duodecim Hebdomadariorum utilitatem, nec non necessitatem in supplici Libello S. M. Clementi VIII. porrecto Episcopus Petrus Orsini jamdiu patefecit. Istorum opus esse pandidit ad solemnia, missasque celebrandas, sacrasque caeremonias persolvendas: hanc necessitatem Summus agnovit Pontifex, confirmavitque, cum in sua Constitutione duodecim simplicium erectionem Beneficiorum decreverit - *pro duodecim Clericis, sive Presbyteris futuris inibi perpetuis Beneficiatis, qui omnia, et singula, functiones, et onera opportuna, et NECESSARIA in dicta Ecclesia Aversana habeant, et exerceant.* Justa profecto fuit tum postulationis, tum Pontificiae Sanctionis causa, quia in Canonicorum Collegio, seu Capitulo Cathedralis, quod est veluti Senatus quidam Ecclesiae, Hebdomadarii semper adesse, ac in omnibus actibus et functionibus exercendis necessario con-

consueverunt, ut innuit *Hieron. in cap. Ecclesiae 16. quaest.* 1. *Duaren. lib.* 1. *de Sacris Eccles. Ministris cap.* 18. *Marc. Anton. Columna in Tract. de Eccles. reddit. orig. par.* 2. *cap.* 14. *num.* 8. Reque vera cum Pinaroliensem Cathedralem Ecclesiam in Taurinensi Statu Benedictus XIV. ejus Bulla LXVI. erigendam demandasset, hujusmodi Beneficiatos in Illa quoque adesse imperavit, ut *servitium in Divinis, aliisque functionibus praestandum in unum coalescat* -

Eadem met hisce temporibus necessitas primo rerum statui minime dissimilis, ne major dicam, evidenter patet; in Capitulari namque conventu Decembris 1815. ipsi Congregati cognoverunt, Canonicos partim senectute, partim morbo correptos a duodecim Hebdomadariis Summi Pontificis jussu designatis adjuvandos esse, praesertim - *ad Ministerium horarum Canonicarum persolvendarum a Canonicis in Ecclesia Cathedrali* - Refert etiam Capitularis Vicarius, memoratos Canonicos annuam ducatorum 216. solutionem praefinivisse - *affinchè gli Eddomadari potessero mantenersi con più decoro, e servire con la dovuta assiduità questa Chiesa Cattedrale, senza essere distratti DAL BISOGNO, ed andar servendo altre Chiese* - Ex his igitur clarior certe necessitatis ratio scatet, statim ac inopia duodecim Sacerdotibus haud conveniens, de Istorum assidua, debitaque praesentia Cathedralem frustrari Ecclesiam valeret; qua propter dubitandum nonest, quominus Capitularis Resolutio quoad assignationem annuatim praescriptam Summi Pontificis veniam sit promeritura: eoque magis convenio, cum a Capitulari Vicario certiorati simus, quod licet a communi Massa Ducati biscentum sexdecim subtraherentur, attamen - *non verrebbe a mancare ai Canonici la congrua sufficiente* -

Nequaquam vero ita sentio quoad pacta, quae in Hebdomadariorum, ac successorum etiam perniciem indicere Canonici autumarunt. Haud inficiar, hac aerumnosa perdurante aetate, datum non esse communi Capitulari Massae viginti quinque Ducatos illorum unicuique a Clementina Bulla concessos

lar-

largiri, nec non Hebdomadarios debere solis duobus de viginti assentiri; at aequitas non patitur, Justitiaque, vetat, ipsos in Successorum quoque detrimentum cogi posse ad illud quaesitum jus remittendum, quod pro consequendis annuis viginti quinque ducatis ex communi incertorum Ecclesiae emolumentorum Massa fuerat illis tributum; Haec insuper abdicatio ad Juris Civilis, et Canonici tramites incassa redderetur, cum Jus detrahendi praefatum annuum reditum Hebdomadariis Ecclesiae Cathedralis pro tempore Pontifex Clemens VIII. PERPETUO indulserit, illudque idcirco possent Successores quandocumque vindicare, statim ac renunciatio, quae definitur, spontanea Juris proprii dimissio, ab eruditis Viris *Villalob. Soar. et aliis tom.* 1. *communium opinion. lib.* 1. *tit.* 5. *de Renunciatione* posteros Beneficiatos afficere nequeat a parte rei, eisque propterea Beneficia devolvantur cum suis oneribus stipendiis, et qualitatibus jam in fundatione constitutis, quae nullo pacto, nullaque ratione immutantur, veluti docet *Conc. Trident. Sess.* 25. *c.*5. *de Reformat.* et tradit *Barbosa collect. in d. conc. Trident. pag.* 445. *num.* 1. *et* 11.

Itaque patet, Aversanae Cathedralis Canonicos Apostolicam integrae Capitularis Resolutionis confirmationem sollicitasse ad omnem tum praesentibus, tum futuris Hebdomadariis auferendam actionem, quam super communi incertorum Ecclesiae emolumentorum congerie semper erunt praedicaturi. Hoc sane consilium satis erumpit ex Art. II. - ibi - *Ut tabulis publicis profiterentur, SE IMMERITO Capitulum litibus vexasse, atque ABRENUNCIARENT QUIBUSCUMQUE ACTIBUS, POSTULATIONIBUS, INSTANTIIS* - Nec satis. Petitur etiam expressa declaratio, qua patefiat, antedictam summam eis non alio jure, quam misericordi titulo, ac largitatis nomine impartiendam esse, veluti litteraliter *Art III.* sensus explanat, nempe, *Ut hanc summam, non alio titulo, ac jure, nisi largitatis nomine, ac Beneficentia Canonicorum se accepturos testarentur.*

Ex hisce pactis, quibus undique involvitur subsidii largitas, consequi videtur, ut absque ulla probatione secernatur communis incertorum Ecclesiae emolumentorum Massa, quae annuos ministrandi ducatos 25. minime capax asseritur, ab alia, quae Capitularis vocatur, et in qua nullum unquam jus, ut Capitularis narrat Vicarius, Hebdomadariis fuisse praesumitur. E contra clare nimis eruitur tum ex Episcopi Petri Orsini postulatis, tum quoque ex sequenti Clementina Constitutione nunquam de hisce duobus Massis discrimen apparuisse; Una enim, communisque incertorum Ecclesiae utilium congeries in dictis actibus fuit tantummodo descripta; diversa igitur deficiente probatione, credendum est, unicam semper Canonicis, ac Hebdomadariis Massam fuisse communem. A Capituli facto magis, magisque praesumptio isthaec roboratur, cum cuique juri renunciatio efflagitetur; verax namque si fuisset super binis Massis distinctio, quam inficior, sique nullam Hebdomadarii rationem celebrare in ea Capituli congerie valuissent, cur nam isthaec juris, quod in rerum natura minime lucescit, renunciatio postulatur? Quorsum conditio haec? Nequaquam denegem, certis, incertisque juribus saepissime ab Hominibus abdicari; sed de illis incertis, quae possibilia sunt, semper intenditur, secus enim nulla esset renunciatio ex defectu caussae, ceu docet Rota *in Bononien. super exequutione Rejudicatae* 22. *Aprilis* 1796. §.2 *coram Emo de Bayane, et in Ferrarien Nullitatis Renunciationis diei* 20. *Junii d. anni* 1796. §.2, *et* 3. *cor. bo. me. Soderino*; quam ob rem nostro in themate, quoties Ecclesiae, et Capitularis Massae distinctio admitteretur, impossibile super postrema jus Hebdomadariorum redderetur, cum illam Clementina Bulla non fuerit intuita, neque memoraverit.

Ex superius descriptis Capituli munificentia animo deficit, si *quartus* observetur *articulus* ita se habens - *Ut tota ea pecunia distributionis quotidianae locum, ac rationem haberet, et hoc modo iis penderetur* -; Etenim, quotidianis supputatis distributionibus, quas consequi Hebdomadarii suescunt, beneficum subsidium

dium ducatos biscentum sexdecim haud amplius attingit, proptereaque jactata Capituli liberalitas imminuitur. Eo autem maxime improbandus videtur *quintus articulus*, quo hebdomadariis adimitur non solum jus a Clementina Bulla quaesitum, verum etiam modo promissum subsidium. Primam praeteriturus ero hujus articuli partem, qua levamen annuum delendum esse praescribitur, statim ac vel aliorum Beneficiorum annexione, vel Episcoporum aequitate, vel alia quavis ratione Hebdomadariorum quilibet primordium quinquaginta ducatorum reditum assequtus fuisset; Secunda vero pars non est omittenda, nimirum, ut - *Si Temporum injuria, aut novis Vectigalibus imperatis, Capitularis Massa non esset in integro apud Canonicos FORTUITO ALIQUO CASU, vel detrimentum pateretur, itaut pars, quae Canonico cuique cederet, seu quota Canonicalis, ut est impraesentiarum, minueretur*, PACTA CONVENTA IRRITA ILLICO FIERENT, ET CAPITULARES NULLA OBLIGATIONE, NULLOQUE JURE *ad solvendum dictam pecuniam adigerentur* -.

Facillimum erit, unum, vel alterum ex memoratis casibus solitis, insolitisque quam primum evenire; proptereaque annuam amitterent illi praestationem, et ad primaeva jura reverti nequirent, si solemnibus Tabulis a Pontifice Summo approbatis iidem abdicavissent; actus enim Resolutio ex quacumque caussa promanans nunquam animi declarationem reducit, quoties ad tramites Capitularis Constitutionis ipsi faterentur - *se immerito Capitulum litibus vexasse, atque abrenunciarent quibuscumque actibus, postulationibus, instantiis* - Profecto licet corruant quandoque sub legum, et conventionum velamine Hominum Jura, pacta, contractusque, animi tamen explicatio, quae proprium jus irritum faciat, semper immota, firmaque in declarantem, ac protestantem manet, pro ut erit jugiter mansura, quia voluntas quemadmodum probatur ex actu valido; ita pariter probatur ex actu nullo, et invalido juxta Doctrinam *Bart. in Leg. Re conjuncti num.36.ff. de Legat.* 3. *Torniol. Const.* 76. *num.*30. *et seq. Mans. Consult.*97.*n.*14.

 tom.

tom.1. et Consult.369. num.19. tom.4. Fontanel. dec.89. num.7., quare cum Principis Gratia in dubiis quoque nullum detrimentum negotiis Hebdomadariorum inferre valeat, ita per necessarium consequens ab Apostolica Sanctione Capitularis Constitutionis articuli II. III. et V. sunt delendi, nova tamen indicta conditione, qua praescriberem, praesentem provisoriam praestationem adimendam esse, statim ac juxta formam in Clementina Bulla praestitutam ad primaeva jura remeare illi valerent.

Haec est Sententia mea, quam vestro EE. PP. ingenio, ac sapientiae subjicio, dum Sacras Purpuras humiliter osculor.

Dabam ex aedibus meis die 25. Aprilis 1817.

Humillimus et Addictissimus Servus verus

J. B. CARDINALIS QUARANTOTTI.

Die Sabathi 14. Junii 1817. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilii, in qua præter alia proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

NULLIUS SUBLACEN DISTRIBUTIONUM

Sess. 24. Cap. 12. de Reform.

An Canonici absentes ex causa deportationis lucrare possint pro tempore absentiae emolumenta ex legatis, et ex funeribus in casu etc.

Affirmative in omnibus.

MELEVITANA SUBSIDIORUM DOTALIUM.

Sess. 22. cap 6. de Reform.

An, et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro commutatione voluntatis Paulinae Gafà, seu potius sint distribuenda subsidia dotalia ad formam testamenti in casu etc.

Affirmative ad primam partem juxta petita attento augumento redituum, firma remanente erogatione eorumdem quolibet quinto anno ad formam fundationis, et salvis juribus Mariae Annae Mulier pro integro subsidio; quo ad secundam partem Negative.

AM-

Sess. 5. cap. 1. de Reform.

AMPURIEN, ET CIVITATEN VISITATIONIS SS. LIMINUM. In Relatione status Ecclesiae vigilantissimi Episcopi Ampuriensis, et Civitatensis recenter transmissa hoc POSTULATUM proponitur, quod iisdem verbis exscribam.

„ Duæ existunt in hoc Episcopatu Ampuriensi, et Ci„ vitatensi insignes Collegiatae, una nempe in loco „ *de Templi* Dioecesis Civitatensis, et altera in loco „ *de Nulvi* Ampuriensis Dioecesis. In utraque Ec„ clesia Collegiata Canonicatus Theologalis adhuc „ desideratur ad praescriptum Sacri Concilii Triden„ tini *Sess.*5.*Cap.* 1. ideoque non modo congruum, „ quin immo necessarium existimat infrascriptus „ Episcopus, si hoc officium in iisdem instituere„ tur Ecclesiis ex Canonicatibus jam erectis, si quis„ piam ex illis aliquo modo vacare contigerit, di„ stributionibus quotidianis pro rata loco Praeben„ dae assignatis, ac a S. Sede necessaria facultate „ Episcopo impertita assignandi Canonico Theologo „ Collegiatae *Templensis* aliquam summam ex le„ gato fundato a praedefuncto Sacerdote *Pancratio* „ *Stangoni*, quod deficiente congrua dote, juxta „ mentem ejusdem fundatoris ad Beneficium sim„ plex non potuit elevari. Ita quoque in Ecclesia „ Collegiata *Nulvensi* praeter distributiones quoti„ dianas, ut praefertur, loco Praebendae assignan„ das proviso de Canonicatu Theologali, licitum „ etiam sit Episcopo aliquam tenuem summam non „ plus quam *vinginti quinque* scutorum hujus mo„ netae ex Massa Capitulari, aliunde sufficientibus „ reditibus ditata, constituere, quae summa de„ cem scutatorum aurei de Camera forsan non ex„ cedet, ac etiam facultate Episcopo concessa, ut „ non obstantibus Constitutionibus Apostolicis *Sixti* „ IV., *Leonis* X., *Gregorio* XV., ac novissima „ *Clementis* XIV, quae incipit - *Nuper pro parte* - „ sub datum Romae apud S. Mariam Majorem 29. „ *Novembris* 1769. pro hac prima vice in defectum „ Magistri in Sacra Theologia, etiam alium in „ Jure Canonico, et Civili licentiatum, aut Docto„ rem in hoc officio subrogare possit „.

Prius-

Priusquam hoc Postulatum Supremo Vestro subjicierem judicio, plura ab ipso Episcopo exquisivi ad rem opportuna, quae referret auditis utriusque Collegiatae Capitulis. Una cum *Informatione* remisit utriusque Capituli Responsiones, quae subscriptae fuerunt a Dignitate Decani, et octo Canonicis unius, alteriusque Capituli, ac omnes Episcopo assentiuntur: Hoc tantum *de postulato* mutat, *ut pro Canonicatu Theologali Ecclesiae Collegiatae loci de Tempio loco unionis legati Sacerdotis Stangoni jurispatronatus laicalis, ex nunc pro tunc, et quoties vacare contigerit, uniatur Praebenda Canonicalis Sanctae Mariae Gratiarum nuncupata, quaque congrua fructuum portione omnino destituta, nullus erit in posterum, qui praedictum Canonicatum consequi desideret, cum ejus reditus ad praesens summam duodecim scutorum monetae Romanae non excedat, nec non, et aliqua congrua pensio non minor viginti quinque scutorum monetae hujus Regni, quae viginti scutorum summam monetae Romanae non excedit, ex nunc pro tunc, et quoties vacare contigerit imponatur super duobus Beneficiis Parochialibus loci de Agyus, et locis de Bortigiadas Dioecesis Civitatensis, quae aliunde sufficientibus reditibus sunt ditata, pro rata dividenda: Aliaque similis portio etiam assignanda Canonico Theologo Ecclesiae Collegiatae loci de Nulvi Ampuriensis Dioecesis ex fructibus Massae Capitularis, deficientibus in eadem Ecclesia Collegiata praebendis, aliisque in Dioecesi Ampuriensi Beneficiis simplicibus uniendis: eoque adhibito temperamento, ut pro hac prima vice licitum sit Episcopo Canonicatum Theologalem in Ecclesia Collegiata Nulvensi illico instituere, sine concursu, eidemque in utroque jure doctorem praeficere in defectum Magistri in Theologia; reservata Canonicatus Theologalis erectione pro Ecclesia Collegiata Templensi, eveniente casu vacationis alicujus ex Canonicatibus ibidem institutis, servata in reliquis forma Constitutionum Apostolicarum Sixti, Leonis, Gregorii, et novissime Clementis XIV., nec ullis pro eorumdem Canonicatuum erectione Litteris de novo expeditis*

tis attenta praedictarum Ecclesiarum paupertate, quae huic oneri substinendo impares sunt.

Transmisit insuper Episcopus Literas Apostolicas (de quibus meminit) Clementis XIV. datas anno 1769. in quibus extendit ad Regnum Sardiniae, quae a Praedecessoribus suis, *Leone X.*, *Sixto V.*, et *Gregorio XIV.* pro Regnis Navarrae, Granatae, Castellae, et Legionis constituta fuerunt quoad collationem Canonicatus Theologalis, et Poenitentiarii, ut scilicet *praevio concursu per aedictorum affixionem, prout in praefatis Literis praescribitur coram Ordinariis locorum, et respective Ecclesiarum Capitulis habendo, conferantur*.

Tria hinc dubia disceptanda erunt. *Primum*, num sit locus erectioni Praebendarum in praedictis Collegiatis. Tridentinum *Sess. 5.cap.1. de Reform.* praescribit, ut praebenda hujusmodi erigatur *etiam in Collegiatibus existentibus in aliquo insigni Oppido . . . Si Clerus numerosus fuerit*. Num oppida *Templi*, et *Nulvi* sint insignia nullimode constat. Certe quidem Clerus numerosus non videtur, cum utraque Collegiata constet Decano, et octo Canonicis. Nihilominus Episcopus affirmat hanc erectionem non modo *congruam, quin imo perutilem, et necessariam esse ibidem existentibus*. Si postulato Episcopi EE. VV. assentiendum putent, tum sit prae oculis Tridentini dispositio, *loc. citat.* qua praescribitur ut constituatur *praebenda quomodocumque, praeterquam ex causa resignationis, primo vacatura, cui aliud onus incompatibile injunctum non sit*. Id quidem fieri poterit in Collegiata *Templi*, quia Capitulum habet praebendas; at secus erit in Collegiata *Nulfi*, in qua cum Canonici habeant solum distributiones, poterit deputari Canonicus Theologus assignatis iisdem distributionibus. Vestrum porro erit deliberare, num a Sanctissimo exorandum sit, ut erigatur utraque Praebenda in Theologalem absque expeditione literarum Apostolicarum, cum utraque Collegiata attenta paupertate huic impensae sit impar.

Sed quoniam praebendae utriusque Collegiatae satis non sunt ad novum hoc onus ferendum, examini subjicienda erunt in *secundo dubio* media, quae pro-

po-

ponit Episcopus, ut tenuitati praebendae succurratur. Licet enim ignoretur, quot habeant reditus Praebendae utriusque Collegiatae, attamen dum Episcopus easdem insufficientes putat ad Theologalem; hoc ipso tenues esse videntur. Quatenus vero insufficiens sit praebenda Theologalis Episcopus ex citato Tridentini decreto *de Capituli consilio* providere eidem poterit *per assignationem fructuum alicujus simplicis Beneficii, ejusdem tamen debitis supportatis oneribus, vel per contributionem beneficiatorum suae Civitatis, et Dioecesis, vel alias prout commodius fieri poterit.*

Pro Praebenda Theologali in Collegiata *Templi* quamquam Episcopus in *Postulato* proposuerit, ut ei assignaretur aliqua summa ex legato defuncti Sacerdotis *Pancratii Stangoni*; attamen in *informatione* recedit ab hac assignatione, et loco illius duo simul proponit; UT *ex nunc pro tunc, et quoties vacare contigerit uniatur Praebenda S. Mariae Gratiarum, quaeque congrua fructuum portione omnino destituta est*; et cujus reditus annuam summam *duodecim scutorum*, non excedit: UT praeterea, *aliqua congrua pensio non minor viginti quinque scutorum monetae hujus Regni, quae viginti scutorum summam monetae Romanae non excedit ex nunc pro tunc, et quoties vacare contigerit imponatur super duobus Beneficiis Parochialibus loci de Agyus, et loci de Bortigiadas Diaecesis Civitatensis, quae aliunde sufficientibus reditibus sunt ditata pro rata dividenda*. Videant EE. PP. utrum probanda sit haec unio Praebendae *S. Mariae Gratiarum*, quae ignoratur, num erecta sit in eadem Colleggiata *Templi*, ita ut vel haec Colleggiata, vel altera Ecclesia, in qua erecta sit, privaretur haec praebenda; cum caeteroquin unio nonnisi ex necessaria causa fieri possit; ut *ex Cap. nuper. de his, quae fiunt a Praelat.* tradidit semper S. Congregatio, et praecipue *in Spoletana Unionis* 12. *Maji* 1804. Videant rursus num imponenda sit pensio, super Beneficiis Parochialibus *de Agyus*, et *de Bortigiadas*, quae minus quo fieri potest gravanda esse videntur.

 Quoad

Quoad Praebendam Theologalem in Collegiata *Nulvi* proponit Episcopus, ut cum in eadem Collegiata deficiant Praebendae, siquidem omnes fructus Canonicatuum in distributionibus consistant, idcirco Canonico Theologo assignentur distributiones quotidianae, ut cuique Canonico obtingunt, et praeterea augendum ejusdem Canonici Theologi stipendium ex pensione imponenda super fructibus Massae Capitularis in summam *scutorum viginti* monetae Romanae. Huic assignationi pensionis Capitulum *Nulvi* assensum praebet.

In *tertio Dubio* quaeritur, num indulgendum sit pro prima vice, ut ab Episcopo conferatur Praebenda Theologalis in Collegiata *Nulvi* extra concursum, et non Magistro in S. Theologia, sed Doctori in utroque jure. Ad primum quod attinet, obstat Constitutio Clementis XIV. - *Nuper* - quae praescribit, ut praebendae Theologales, et Poenitentiales per concursum conferantur. At forsan defectus concurrentium ex oppidanis, qui studiis in novae Praebendae exercitio necessariis vacaverint, nec non rationabilis difficultas in exteris ob tenuitatem ejusdem Praebendae, in causa fuere, ut pro prima tantum vice Episcopus Pontificiae Constitutionis derogationem exoraret, quae utrum concedi debeat, vestrum erit judicium.

Ad secundam petitionem Episcopi quod spectat, ut scilicet Praebendae Theologales conferantur doctori in utroque jure, quamquam Tridentinum *allegat. sess.* 5. *cap.* 1. jubeat ut Praebenda Theologalis conferatur *personis idoneis*, *et quae per se ipsos id munus explicare possint*, ut propterea non praescribat dandam esse Magistro in Theologia; attamen id praescribitur *in Constit. Benedicti XIII. anni* 1725. *Pastoralis Officii*. Sed non insolens est, ut a S.Pontifice dispensatio concedatur ut *in Balneoregien. Praebendae Theologalis* 11. *Augusti* 1807.

Tria proponuntur Dubia.

I. *An, et quomodo sit locus erectioni Praebendae Theologalis in Collegiata Ecclesia Templi, et in Collegiata Nulvi in casu etc.*

Et quatenus *affirmative.*

II.

II. *An, et quomodo sit providendum congruae earumdem Praebendarum in casu etc.*

III. *An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ad effectum conferendi Praebendam Theologalem in Collegiata Nulvi extra concursum, et Doctori in utroque jure in casu etc.*

Ad I., II., III. Dilata, et scribatur Episcopo ad mentem: Mens est ut referat an agatur de Collegiatis existentibus in Oppidis insignibus, in quibus Clerus sit numerosus, et quatenus affirmative, referat auditis Parochis, qui pensionibus sunt gravandi; an eas sustinere valeant et an Canonicatus *S. Mariae Gratiarum* sit erectus in Collegiata Templi, nec non quare in prima Praebendae Theologalis collatione dispensandum sit concursui, et qualitati Magistri in S. Theologia quoad eligendum.

AMPURIEN., ET CIVITATEN. INDULTI, ET SANATIONIS. Peramplus Ager Galluriensis in Dioecesi Civitatensi carebat Ecclesiis Parochialibus, ita ut pastores per eum vagantes destituti cathechesi, et spiritualibus subsidiis vitam paene faerinam agerent, et multi etiam decederent, quin Sacramenta, immo nec Baptismum suscepissent. Tot malis opem tulit pietas Celsissimi Regis Caroli Emmanuelis, qui anno 1772. auctor fuit Episcopo Civitatensi *Praesuli Guiso*, ut quatuor erigeret rurales Ecclesias, in quibus Beneficiati Ecclesiae Collegiatae *di Tempio*, quae Parochialis est Agri *Gallurae*, per turnum in ea regione Parochi munere fungerentur. Ob hanc causam auctus fuit Beneficiatorum numerus, eorumque substentationi consuluit Celsissimus Sardiniae Rex ex pensionibus, quae imponebantur Mensae Episcopali Ampuriensi, et Civitatensi, quae ab iisdem pensionibus immunis facta est, usque dum alii reperirentur fundi, unde sacerdotes hujusmodi ruralibus Ecclesiis praefecti uti possent. *Sess.21. cap.5. de Reform.*

Ut vero expensis Fabricae Ecclesiarum, et Sacrarum supellectilium fieri posset satis, impetratum fuisse fertur a Sede Apostolica indultum *die 30. Septembris* 1780. quo in hanc causam applicatae fuere eae portiones spoliorum, quae vacante Ecclesia Ci-

vitatensi assignatae fuerant Seminario Ampuriensi ex Literis Apostolicis datis a S. M. Clemente XIV. *octavo idus Augusti* anni 1769. quarum initium - *Affectuosa Dilectio* - Ex his igitur spoliorum portionibus extructae fuere quatuor Ecclesiae rurales: *S. Mariae de Arzaghena*: *S. Paschalis di Porto Puzzo* : *S. Theodori de Ovvide*: *S. Francisci de Aglientu*: Nunc Ecclesiae hujusmodi reparationibus indigent, et carent Sacris Supellectilibus. Ne autem in has expensas erogari possint portiones spoliorum duo obstant. *Primum*, quod Indulti Apostolici obtenti *anno* 1780. neque authographum, neque exemplar reperiri potuit. *Alterum* quod portiones spoliorum erogatae fuere in constructionem coemeterii Castri *Tempii*, annuente, ut dicitur, Celsissimo Sardiniae Rege, et auctorante *Episcopo Bossanensi*, tunc in Sardiniae Regno Delegato Apostolico.

Haec modernus Episcopus Ampuriensis, et Civitatensis patefecit in *relatione Status Ecclesiae*, et Sacerdotes Paraecias rurales exercentes postulant sanationem, quoad erogationem in praeteritum factam portionum spoliorum in fabricam Ecclesiarum ruralium, et Sacras supellectiles, quatenus non constet de Apostolico Indulto *diei* 30. *Septembris* 1780., tum etiam exorant, ut ex integro indultum hujusmodi concedatur.

Rogata est Sententia Episcopi auditis Parochis, et administratoribus Fabricae Coemeterii. Refert Episcopus Indultum *diei* 20. *Septembris* 1780., quo concessa fertur applicatio spoliorum in Fabricam ruralium Ecclesiarum omnino latere, quemadmodum deponunt Canonici Archivistae Capituli Ampuriensis *licet de ejus impetratione nulla occurrat occasio dubitandi, quemadmodum facta ipsa, et diuturna temporis observatio demonstrat contra dispositionem Constitutionis Apostolicae* S. *M. Clementis XIV.*

Parochos rurales, ait, satis esse provisos assignata singulis congrua *scutorum quadraginta monetae Romanae*. Sed auditis iisdem Parochis constat. Ecclesias esse nunc omnino sordidas, et carere sacris Supellectilibus, ita ut Sacra Eucharistia in eis custodiri non possit. Quo fit ut Populus Sacram

Sy-

Synaxim recipere non possit, si ad Ecclesiam accedat posteaquam Parochi celebraverint, et hac destituti decedant. Aedes porro Parochorum, et Sacristarum adeo fatiscentes esse, ut inimicum imbrem tempore hyemis, et furentes calores tempore aestatis repellere nequeant. Ex his concludunt Parochi non posse in aliam causam converti portiones spoliorum, quae pro fundo ruralium Ecclesiarum applicatae fuere.

Pari modo affirmat Episcopus deficere Rescriptum *Episcopi Bossanensis cum respectivis precibus eidem porrectis quoad facultatem applicandi reditus praedictarum Ecclesiarum favore praefati Coemeterii; proindeque animi mei sensum aperiendo necessarium esse duco Eminentiae Suae referre, a Decano Ecclesiae Collegiatae dicti loci de Tempio qui praedictarum Ecclesiarum administrator fuerat constitutus, quique reditus omnes ad eas pertinentes in proprios usus, ut supponitur impendere curavit, eorumque solutionem evadere cupiens, inscio Episcopo Diaecesano, humiles ad Augustissimum Regem Victorium Emmanuelem supplicationes fuisse propositas eo fine, ut Regia munificentia hujusmodi reditus, et proventus in aedificationem novi Coemeterii in antedicto loco de Tempio impenderentur, implorata etiam ad hoc Episcopi Bossanensis Auctoritate, qui tunc temporis Delegati Apostolici munere in hoc Sardiniae Regno fungebatur, et reticita, ut in adjunctis precibus, circumstantia Indulti Apostolici diei 30. Septembris.*

Decanum Collegiatae *Demartis* interrogasse dicit Episcopus. Hic Administrator est harum portionum spoliorum, quae hactenus erogatae fuere pro Ecclesiis ruralibus, et simul pro fabrica Coemeterii. Respondit vero in scriptis se ex portionibus spoliorum pro extruendo Coemeterio insumpsisse *scuta* 816., et quae superfuerunt *Librae tercentum duodecim* Capitulo mutuasse. Rescriptum vero Episcopi Bossanensis Delegati Apostolici asservari putat in Regia Secretaria. Concludit nihil ex portione Spoliorum in manibus habere, quod in fabricam Ecclesiarum ruralium impendi possit.

Cum

Cum vero Episcopus de his, quae respondit *Decanus Demartis* audierit Capitulum Collegiatae *Tempii* et Fabrum murarium, qui Coemeterium extruxit; illud prorsus negavit vel assem a *Decano Demartis* mutuo accepisse; Faber vero murarius affirmat recepisse Scuta tantum 790., et creditum adhuc vigere *in Scutis* 360. De his certior iterum factus *Decanus Demartis* respondit se debitum Capituli documentis probaturum, quae adhuc desiderantur.

Ex his quinque emergunt controversiarum capita, quae sub quinque infrascriptis dubiis EE. VV. proponuntur.

In *I. Dubio* quaeritur, utrum constet de Indulto concesso a S. Sede pro erogandis portionibus Spoliorum in fabricam ruralium Ecclesiarum. Sane hoc Indultum erat omnino necessarium, cum ab anno 1769. portiones hujusmodi applicatae fuissent Seminario *Ampurensi* ex Constitutione Clementis XIV. Fertur hoc Indultum obtentum fuisse *die* 30. *Septembris anni* 1780. Sed reperiri non potuit neque Authographum, neque exemplar. Verumtamen certum est, ut affirmat Episcopus ab *anno* 1780., portiones hujusmodi semper insumptas fuisse in fabricam Ecclesiarum, ita ut de impetrato Indulto *nulla sit occasio dubitandi*. Haec sane observantia, quae inolevit scientibus, et prudentibus Episcopis, quibus maxime intererat, ut Seminario applicarentur portiones Spoliorum, secumfert praesumptionem validioris tituli, eum ex lapsu triginta annorum generatim praesumatur Apostolicum Beneplacitum ut statuit S. Rota *in Sulmonen. Juris participandi* 3. *Martii* 1752. §. 12. *cor. Canilliac.*, *et in Melevitana Immissionis* 6. *Junii* 1783. §. 3. *cor. cl. me. Cardinali Flangini*.

II. Dubium deliberandum erit quatenus sub primo Vobis compertum non sit de impetrato Indulto. Tunc enim inquirendum erit, num sanatio concedenda sit. Cum ex opinione Indulti haec erogatio Spoliorum processerit, nec mala fides subsit in Parochis, sanatio concedenda videtur, ut alias concessit S. Congregatio *in Fabrianen.* 21. *Novembris* 1807. Maxime cum Parochi non administraverint portiones hu-

hujusmodi Spoliorum, ita ut erogatio non processerit ex eorum facto, et nunc impares prorsus sint ad restitutionem.

Sub *III. Dubio* statuendum erit, utrum ex integro concedendum sit indultum, quandoquidem EE. PP. de anteriori concessione non constet. Cui quidem novae concessioni obstant Literae Apostolicae Clementis XIV. *Affectuosa dilectio* in quibus eae portiones Spoliorum Seminario Dioecesano Ampuriensi applicatae fuere. Seminarium quidem Diaecesanum plurimum sibi vindicat, cum maxime commendatum sit a Concilio Tridentino *Sess.* 23. *Cap.* 18. *de Reform.* Sed videant EE. PP. ex his, quae in facto exposita sunt, num magis necessaria sit reparatio Paraeciarum Ruralium, quae adeo sunt sordidae, et carent Sacris Supellectilibus, ut in eis SS. Eucharistia asservari nequeat. Quo fit ut pastores illi, qui per agrum *Galluriensem* vagantur vix raro spirituali cibo refici possint, et destituti hoc viatico occumbant.

IV. Dubium respicit erogationem harum portionum Spoliorum, quas in constructione Coemeterii in oppido *Tempii* impendit Decanus Collegiatae *Demartis*. Hic administrator Ecclesiarum ruralium affirmat hujusmodi erogationem factam fuisse auctorante *Episcopo Bossanensi*, qui facultatibus Delegati Apostolici in Regno Sardiniae utebatur. Verum non profert veniam ab *Episcopo Bossanensi* concessam. Quod si haec venia impetrata reipsa dicatur, Episcopus putat gratiam fuisse subreptitiam, et nullam: *subreptitiam*, quia *Decanus Demartis* reticuit, haec spolia jam ex altero indulto (tunc enim nemo dubitabat de existentia indulti *diei* 30. *Septembris* 1780.) applicata fuisse in fabricam Ecclesiarum ruralium: *Nullam*, quia Delegatus Apostolicus, utcumque amplissimis polleret facultatibus, non ea certe auctus erat, qua posset indultum a Sede Apostolica jam concessum infringere, ac irritum reddere.

V. Dubium agit de redditione rationis facienda a *Decano Demartis*, et de restitutione portionum Spoliorum, quae ipse uti Administrator Ecclesiarum ru-

ra-

ralium exegit. Sane ad redditionem rationis uti quilibet administrator tenetur. Ipse putat rationem reddidisse statim, ac affirmat in fabricam coemeterii erogasse *Scuta octingentum*, et reliquam summam mutuo dedisse Capitulo Collegiatae. Verum si ipsi facultas non erat quidpiam in hanc causam erogare, obstante praecedenti Apostolico Indulto, profecto tenetur de integra summa rationes reddere. Sin minus docere debet de summa vere impensa, et residuum restituere debet. Quam vero summam Capitulo mutuasse dicit, ejus credito ferri non posse videtur, tum quia id Capitulum negat; tum quia licet id probaretur; attamen mutuum inter partitas expensi imputandum non esset, sed suo periculo stare deberet. Prout igitur EE PP. putabunt ipsum pecunias spoliorum erogare vel non potuisse in fabricam coemeterii, decernere poterunt num de integra, vel residua summa rationem reddere, et restitutionem facere debeat. Quae omnia respiciunt *modum* faciendae redditionis rationis, et restitutionis, quam videant, num servatis servandis committenda sit Episcopo, a quo quidem interpellatus fuit *Decanus Demartis*, licet ei praefinitus non fuerit terminus ad deducendum sua jura in S. Congregatione.

Quinque deliberanda Dubia hujusmodi sunt.

I. *An constet de Indulto a S. Sede concesso pro erogandis in fabricam ruralium Ecclesiarum Galluriae, et Sacras Supellectiles portionibus Spoliorum applicatis Seminario Ampuriensi in casu etc.*

II. *An sit consulendum Sanctissimo pro sanatione quoad praeteritum in casu etc.*

III. *An sit consulendum Sanctissimo pro concessione ejusdem Indulti ex integro in casu etc.*

IV. *An Decanus Demartis erogare potuerit in fabricam coemeterii portiones Spoliorum in casu etc.*

V. *An, et quomodo idem Decanus Demartis cogendus sit ad redditionem rationis, et restitutio-*

tionem portionum Spoliorum perceptarum in casu etc.

Ad I. Providum in sequenti.

Ad III. Affirmative ad cauthelam.

Ad III. Affirmative ad effectum erogandi portiones spoliorum pro hac vice in restaurationem Ecclesiarum, et domorum Parochialium, nec non in aequisitionem Sacrarum Suppellectilium, firma iis expletis, Constitutione S. M. Clementis XIV. *Affectuosa dilectio*.

Ad IV. Negative nisi infra duos Menses doceat de legitimo Beneplacito Apostolico.

Ad V. Affirmative in omnibus, et Episcopus omnibus juris, et facti remediis cogaet Decanum demartis ad redditionem rationis.

BRUNDUSINA IRREGULARITATIS. Vitam inter sollicitudines infelicem agebat Sacerdos Carolus Nigro Brundusinae Diaeceseos, ut effugeret insidias, quas sibi, suisque fortunis manu etiam armata moliebatur iniqua Latronum cohors. Nec certe imprudens erat causa timoris. Nam viri illi audaces omnia perpeti domum Sacerdotis hostili impetu adorti, cum forte fortuna hic eorum manus evasisset, infelicem Popularem ejus loco interemerunt. Hinc Sacerdos prudens consilium caepit fores Domus praesertim noctu munire, et prope lectulum igneam retinere Ballistam, ut quo fieri poterat modo sese a nova aggressione defenderet. Nec praevisum periculum fefellit eventus. Nam *die 21. Januarii currentis anni* Latrones novas pararunt insidias, atque intempesta nocte coegerunt Oppidanum quemdam, qui forte in eos inciderat, ut pulsato Domus Sacerdotis ostio simularet se esse litterarum amici alicujus portitorem. Ast Sacerdos timens ne quid insidiae lateret, non ita facile sese illi credidit, et potius quam reserare fores, cistulam e fenestra dimisit, ut ita epistolam reciperet. Tunc statim latrones exploso contra ipsum Missile igneo illius manum sauciarunt, quo actu commotus Sacerdos, ac pejora pertimescens igneam ballistam in omnes tur- *Sess. 14. cap. 7. de Reform.*

 ma-

matim laxavit, ut ita latrones exterreret, et a domo propulsaret. At casu ictus in innocentem Virum incidit, qui ad Ostium pulsaverat, quique magis ex defectu curationis, quam ex vulnere occubuit, quin umquam aut vulneratus, aut ejus consanguinei nomen Sacerdotis ad Fiscum detulerint, vel ipse Fiscus criminalem in eum quaestionem instituerit.

Statim post haec supplex Sacerdos Nigro dispensationem ab irregularitate exoravit. Vicarius Capitularis, cui remissae fuerunt preces superius relatae facti circumstantias exponit, ac de sua rogatus sententia, eum dignum judicat, ut Apostolica indulgentia dispensetur. *Integritate*, enim ait, *vitae ille semper enituit, et hujus Ecclesiae Ordinariis numquam non se probaverit, adeo ut Paroeciae Pagi illius curam ad diuturnum tempus ei commiserint. Bene igitur se habet, ut legis ob quam irregularitatem incurrit rigor ei relaxetur*.

Homicidium commisit Presbyter Nigro praeter intentionem, cum certe non ideo manum admovit missili igneo, ut Conterraneum occideret. Videndum igitur num daret operam rei illicitae ita ut si non in causa saltem in effectu voluntarium habeatur homicidium ex doctrina *Fagnan. in cap. Quidam de homicid. num.* 1. S. Congregatio *in Feretrana Irregularitatis* 19. *Decembris* 1801. Arma quidem retinebat contra juris Canonici interdictum *in Clement. de vit. et honest. cleric*, et ballistam e fenestra succendit, cum domi clausus maneret, et se contra latronum impetum munire posset. Verum dubitari non potest, quin aggressio Latronum, ut Sacerdotem Nigro grassarentur, fuerit omnino injusta, et ipse accepto ictu a latronibus in manu vulneratus extimescere poterat, ne ad graviora procederent, ut propterea naturalis impetus, quo quisquam ad repellenda mala fertur, eum excitaverit, ut ballistam, quam ex praecedenti aggressione de suo periculo monitus gestabat, ad sui tutelam exploderet, quin inter noctis tenebras aliquem impeteret, sed ut latrones terrore fugaret. Ex his circumstantiis emergere videntur tres illae conditiones, quibus nititur moderamen inculpatae tutelae, ut scilicet aggressio

sit

sit injusta, ut homicidium ad sui defensionem sit incontinenter commissum, ut modus in defensione servatus sit quemadmodum ex *Tex. in L. si quis ff. ad leg. Cornel. de Sicar. Leg. Quod est §. 9. ff. de vi armat. Cap. si vero de Sent. Excomunic.* docet *Farinac. prax. Criminal. quaest.* 123. *num.* 74. *Reiffenstuel in jus Can. lib.*5. *Tit.*. 12. §. 4. *num.* 132. *Avila de Censur. part.* 3. *Disput.* 5. *Sect.* 3. *dub.* 3. *conclus* 1. S. Congregatio in *Abellinen. Dispensationis* 21. *Augusti* 1802.

Quod si servatum fuit moderamen inculpatae tutelae ad injuriam propulsandam, tunc necessarium commisit homicidium *ex Text. in Cap. Significasti* 2.*de Homicid. volunt.* nec irregularitatem contraxisse videtur. Quamquam enim Tridentinum *sess.* 14. *Cap.* 7. *de Reform.* statuat, ut dispensatio ab irregularitate concedatur in homicidio *non ex industria vel casu sed vim vi repellendo commisso*, ut satis intelligatur, Sanctam Synodum etiam in hoc casu censuisse contrahi irregularitatem juxta doctrinam D. Thomae 2. 2. *Quaest.* 64. *artic.* 7. *ad* 3. attamen Decretum Tridentini ita Canonistae conciliant cum *Clem. Unic. de homicid. volunt.*, quae nulla irretiri definit irregularitate qui *mortem aliter vitare non valens suum occidit invasorem*, ut Decretum Tridentini limitet dispositionem *Clementinae* in casu, quo quis defensionis modum excessit occidens aliquem ad sui defensionem, ut tradit *Suarez Decis.* 46. *de Censur. Navar. Consil.* 36. *tit. de homicid. volunt. Pirhing. in jus. Can. lib.* 5. *tit.* 12.

Quatenus tamen EE. VV. censeant Sacerdotem Nigro irregularitate innodatum, peculiares superius expositae circumstantiae causam ad dispensationem praebere poterunt, cum ex ipso allegato Concilii Decreto haec irregularitas sit dispensabilis, ut statuit S. Congregatio in citata *Abellinen. Irregularitatis* 17. *Julii* 1802. Maxime cum optima fuerit vitae ratio a Sacerdote Nigro semper retenta, nec opus sit compositione partis et fisci, cum nulla unquam contra ipsum accusatio, nulla criminalis quaestio fuerit instituta. Notandum tamen quod nullam praemisit

 poe-

poenitentiam, ut statuant EE. PP. num spiritualibus exercitiis operam dare debeat.

Dubium proponitur

An sit consulendum SSmo pro dispensatione ab irregularitate in casu ec.

Affirmative peractis exercitiis Spiritualibus per decem dies in loco a Vicario Capitulari designando

Sess. 24. Cap. 12. de Reform.

BRICTINORIEN. COLLEGIATAE. Suppressis quatuor Sodalitiis in Oppido Civitellae Cardinalis Accoramboni anno 1735. Collegiatam in Ecclesia S. Mariae *in Burgo* erexit, octo institutis Canonicis quibus sequiori tempore additus fuit Canonicus Theologus. Cum iis pro Massa data fuerit bona suppressarum sodalitatum; ita praeter residentiam, servitium Chori, et celebrationem Missarum, imposita quoque in Bulla erectionis fuerunt onera omnia, *ad quae Societates relatae tenebantur*. Immo in Sacra Visitatione *anni* 1746. Antistitis Rossi injunctum Canonicis fuit, ut per turnum, quotidie Missam ad *Auroram*, *et Meridiem*, absque applicatione, in Populi commoditatem celebrarent.

In praeteritis rerum publicarum fluctibus naufragium pertulit Collegiata, qnae *anno* 1798. suppressa fuit ab iis qui tunc dominabantur. Bona Massae alienata fuere, et singulis Canonicis Pensio assignata fuit *Scutorum* 85. 71. Quamquam Canonici, non obstante Suppressione, primis temporibus Choro interessent cum suis insigniis; attamen sive quia Gubernium repugnaret, sive quia diminutum esset ex obitu nonnullorum numerum choralium, caeteri omnes superextantes servitium Chori dereliquerunt, nonnulli etiam Residentiam, atque ita pensione gavisi

visi sunt; quin onera implerent. Hinc Archipresbyter ferre unus debuit servitium Ecclesiae, recusantibus caeteris Canonicis, etiam ad Auroram, et Meridiem Missam per turnum celebrare; unde non raro Populus diebus Festis caruit altero Sacro, adeo ut, multi praeceptum implere non potuerint.

Veteri restituto ordine, Archipresbyter Civitellae Joseph Golfarelli preces a multis Parochianis subscriptas obtulit huic S. Congregationi, ut cogeret Canonicos ad implementum onerum. Quibus precibus *die* 16. *Martii* 1816. rescriptum fuit - *Scribatur Episcopo, qui juris, et facti remediis cogat Canonicos ad implementum omnium onerum ad formam Bullae Erectionis, seu fundationis, nec non ad celebrationem per turnum secundae Missae omnibus diebus festivis, et de resultantibus certioret, et praesertim referat, cur vacantes Praebendae non fuerint provisae.*

Ravennae Archiepiscopus, qui Ecclesiam Brictinoriensem administrabat, certiorem fecit hanc S. Congregationem se indixisse Canonicis - *ut Choro inservirent, et alias Ecclesiasticas exequerentur Functiones, quibus juxta formam suarum Constitutionum, et statutorum tenebantur. Duo soli Canonici Personali, et Goffarelli (licet hic non pensionatus) mandatis obtemperavere; caeteri numquam a die intimationis Decreti, usque nunc, Choro interfuere. Duo ex tribus vacantibus Canonicatibus ideo numquam fuerunt aliis collati: quia suppresso Capitulo sub transacto Gubernio, illorum Praebendae venditae fuere. Praebenda tertii, quae erat Theologalis adhuc remanet, sed illius proventus percipiuntur a quodam Calbetti, qui incedit in habitu saeculari, tamquam illius Canonicatus Patrono.*

Reclamant ex una parte reliqui Canonici ab exequtione illius Rescripti; altera vero ex parte Canonicus Vincentius Provinciali urget, ut caeteri compellantur ad implementum onerum ad normam Rescripti *diei* 16. *Martii* 1816.

Quatuor proponuntur Dubia, quae respiciunt diversa onera, quibus gravantur Canonici, quaeque iisdem Canonicis fatentibus hujusmodi sunt - *Servitium Chori, Applicatio Missae Conventualis singulis diebus* -

Mis-

Missae 325. *ex Legatis celebrandae - Quinque annua Officia - Expensae pro Cera , Oleo , Sacrista , Utensilibus , restaurationibus Fabricae , Eleemosina Pauperum , stipendio Illius , qui Organum , et Campanas pulsat , quae omnia requirebant annua Scuta* 140. Ad haec ex fundatione tenentur Canonici, cum gravati fuerint implemento eorum Onerum, ad quae *Societates vetustae tenebantur*, ex quorum bonis praebendae Canonicales constitutae fuere. Praeterea in Sacra Visitatione Antistitis Rossi *anni* 1746. habent onus celebrandi , per turnum , Missam ad Meridiem , et Auroram in Populi commodum , sine applicatione .

In I. *Dubio* quaeritur : Num in exequtionem saepe memorati Rescripti compellendi sint Canonici ad Servitium Chori , Applicationis Missae conventualis , et aliarum ex Legatis . Ut haec onera refugiant opponunt defectum Praebendae , et numeri Canonicorum . Nam ex folio ab ipsis exhibito , ex bonis in praeterita calamitate alienatis , singuli percipiebant annua *Scuta* 101. 34. Nunc vero percipiunt titulo Pensionis *Scuta* 84. , quae eis a cessato Gubernio assignata fuere immunia ab oneribus, eisque confirmata in Edicto Summi Pontificis *Diei* 3. *Julii* 1815. Ex octo vero Canonicis , qui ex fundatione erant , tres occubuerunt ; quin alii subrogati fuerint , nec nominari possint , deficiente praebenda . Ii vero , qui supersunt , alii jam senescentes Jubilationi sunt proximi , alii infirmi , ita ut tres vix supersint , qui Chori servitium implere non possent . Nam si Missa solemnis celebranda erit , aut deficient Ministri, aut nemo erit in Choro , qui respondeat . Ad Missas autem pro Legatis non teneri contendunt : quia Fundi nulla eorum culpa alienati fuere . Ubi enim periit Fundus , cessat onus superimpositum , ut docet *Card. De Luc. de Legat. Diss.* 3. *num.* 4. et S.Congregatio *in Cusentina* 26. *Junii* 1738.

Verum Canonici , in folio ab ipsis exhibito , fassi sunt se ex Praebendis olim percepisse annua scuta 90. Quare si constituta fuit Pensio in scutis 85. 71., paululum praebenda diminuta est . Nullimode vero constat quod a cessato Gubernio eisdem assignata fuerit haec

haec Pensio immunis ab omnibus oneribus. Et licet ita factum probaretur; certe quidem S. Pontifex, dum pensiones Ecclesiasticas probavit, censendum non est, confirmare voluisse illegitimam abrogationem onerum, sed potius putandum videtur, subrogasse has Pensiones, in locum alienatorum bonorum.

Cum igitur habeant Canonici suas Praebendas, videant EE. PP. utrum onera implere teneantur in casu non adeo immodicae diminutionis, ex qua reductio onerum peti non possit, quae nunquam conceditur, nisi emolumentum impar ipsis oneribus evaserit, ut statuit S. Congregatio in *Casalen: Reductionis Missarum 17. Decembris 1726.*, *et in Apuana 21. Januari* 1809.

Ad numerum quod attinet Canonicorum ipsi vacantes. praeter Theologum, (de quo inferius redibit sermo) nominare possunt juxta Erectionis leges, et urgere, ut iisdem de congrua pensione provideatur. Num vero nec proxime jubilandi, nec senescentes Canonici, nec valetudine laborantes sese eximere possunt, a servitio Chori, nisi Indultum impetraverint. Quodsi aliquando deficiet Canonicorum numerus; tunc, recurrere poterunt, ut juxta necessitatem provideatur.

Ex his, quae in utramque partem hactenus adducta sunt poterunt EE. VV. dirimere quaestionem, in *primo Dubio*, propositam, quaeque etiam viam ad *sequentis Dubii* definitionem sternit. Quaeritur in *II. Dubio*: Num Canonici teneantur contribuere pro Expensis Cerae, Olei, Sacristae, utensilium, reparationum Fabricae, et stipendii illorum, qui Organum, et Campanas pulsant. Si Emi Patres censeant, pensionem assignatam, subrogatam fuisse in locum Praebendae, cum Canonici ad haec onera, ex fundatione tenebantur, et constat in hanc causam insumpsisse annua scuta 40., videtur sane ad has expensas per contributum teneri, ne contra Justitiae, et Aequitatis leges solus Archipresbyter haec omnia onera implere teneatur; secus vero judicandnm erit, si putent veram subrogationem factam non fuisse, sed constitutam Pensionem ab omnibus oneribus prorsus immunem.

In III. *Dubio* deliberandum erit ; Num Canonici compellendi sint ad celebrationem Missae ad *Auroram*, et *Meridiem* . Ad hoc onus tenentur ex Decreto S. Visitationis Episcopi Rossi *anni* 1745. Haec Missa ita celebranda est in Populi commodum, ne careat Sacro, praesertim diebus Festis, ut non sine gravi scandalo evenit, postquam Canonici hanc celebrationem intermiserunt . Onus hoc personale est, cum applicationem non requirat.

In IV. *Dubio* quaeritur ; Num Episcopus procedere debeat ad collationem Praebendae Theologalis , quae vacat, et habet Praebendam separatam , cujus fructus percipiuntur nunc ab ejusdem Patrono laico Calbetti. Fertur hunc impetrasse Indultum usque dum vacaret Praebenda ; Indultum tamen hujusmodi non profertur , et utcumque sit, cessare debet, statimac ad Collationem Praebendae procedatur .

Dubia haec sunt .

I. *An in exequtionem Rescripti diei 16. Martii 1816. Canonici Collegiatae S. Mariae in Burgo Civitellae compellendi sint ad servitium Chori , et applicationis Missae Conventualis, et aliarum Missarum ex Legatis , in casu etc.*

II. *An iidem Canonici teneantur per contributum ad expensas pro Ecclesia , juxta solitum , in casu etc.*

III. *An iidem Canonici teneantur , per turnum, celebrare Missam ad Auroram , et Meridiem , in casu etc.*

IV. *An procedendum sit , servatis servandis , ad Collationem Praebendae* Theologalis, *in casu etc.*

Non proposita cum sequentibus .

ARE-

ARETINA SUSPENSIONIS NOMINATIONIS Usufructu relicto Fratribus, et Sororibus suis Sacerdos Franciscus Raffini, testamentariis tabulis *anni* 1693., Haeredem instituit Matthaeum Raffini ex praedefuncto fratre Nepotem, cui injunxit erectionem - *Di una Prebenda Canonicale da eriggersi nella Pieve di Arezzo, con Dote di Scudi Mille ec. con obbligo di una Eddomada, cioè di una Messa la Settimana in perpetuo a chi succederà in detto Canonicato, ed il Patronato di tale Prebenda si aspetti al Cavalier Francesco Maria Degli-Azzi di detta Città, e dopo di esso alli suoi figli, e discendenti maschi, ed al Maggiornato di essi per ragione di Primogenitura in infinito ec. volendo, che essendovi alcuno Dottore delli discendenti di detto Matteo suo Nipote, debba questo esser preferito ad ogni altro; purchè sia Dottorato in Pisa, e non altrove.*

Sess.2. Cap. 6. Ses.23. Cap.18. de Reform.

Verum repugnantibus Canonicis *della Pieve* contra hujusmodi Canonicatus erectionem, Eques *Degli-Azzi* impetravit ab hac S. Congregatione, ex Rescripto *diei* 19. *Novemb.* 1698., ut commutaretur in simplex Beneficium, duplicato onere Missarum. Post nonnullas Nominationes Franciscus Raffini ex Mathaeo descendens, cum esset Laurea Doctorali insignitus, institutus fuit ad hoc Beneficium, quod per aliquod tempus retinuit, sed postea ad nuptialia Vota transiens, illud sponte dimisit;et tum legitimam institutionem Canonicus Ascanius Lippi consequutus est.

Hoc defuncto *die* 12. *Julii* 1816., Eques Ugo Degli-*Azzi* nominavit Sacerdotem Bernardum Poggi. De qua nominatione proclamatis, ut moris est, Edictis, ut certiores fierent, qui jus ad illud habere putarent, Franciscus Raffini, idem, qui Beneficium multos ante annos dimiserat, sese opposuit. Sed cum esset conjugatus, nihil proficere valuit; quominus expeditis Bullis Sacerdoti Poggi canonice Beneficii collatio fieret. Tunc Franciscus Raffini convolavit ad Tribunal laicum, a quo suspensa est Praesentatio Sacerdotis Poggi, tamquam si facta non fuisset usque dum Raffinius demonstraret se idoneum ad retinendum Beneficium, ad quem effectum eidem Raffinio

 prae-

praestitutum fuit tempus quatuor Mensium decurrendorum a die, quo ab Equite Ugone Azzi praesentaretur; quod nisi hic fecisset intra quindecim dies, pro praesentato haberetur. Hoc edito Decreto, Eques Ugo Degli-Azzi *die* 27. *Novemb.* 1816. assensum praestitit, ut Beneficium - *Sia secolarizzato vita naturale durante del Sig. Dottore Francesco Raffini il semplice Benefizio ec. e ciò perchè possa godersi dal prefato Sig. Raffini senza prendere l'Abito Clericale.*

Hinc Franciscus Raffini imploravit ab hac S. Congregatione, ut attenta ejus ingravescente aetate annorum septuaginta, et rei familiaris angustia Nominatio Beneficii suspenderetur, utque superextantes reditus eidem addicerentur. Episcopus narrata confirmans testatur Raffinium bonis stabilibus carere, et tantum ex annuo vitalitio *scuta quinquaginta* percipere, quibus suae Uxoris, ao propriis necessitatibus occurrere nequit.

Reditus Beneficii (ut deponit Administrator Beneficiorum vacantium) annuatim reddunt *scuta* 196. Onera vero Missarum *centum*, *et quatuor*. Utensilium, et Vectigalium; et expensae manutentionis Fundorum requirunt annua *scuta* 34., ita ut *scuta* 161. libera quotannis supersint.

Auditus Sacerdos Poggi, a Patrono Ugone Azzi, antea nominatus respondit, se ut a vexatione litis redimeret assentitum fuisse, ut Raffinius intra quatuor Mensium spatium ostenderet esse idoneum ad Beneficium consequendum, numquam tamen ut in statu Saeculari Beneficium retineret, a quo ipse Poggius repugnat, et sua jura ex praesentatione quaesita sarcta tecta esse contendit.

Retentionem Beneficii in conjugali statu postulare nequit Raffinius contra SS. Canonum praescripta: nam qui ad Nuptias convolat, eo ipse renunciare censetur Beneficio, quod possidet, et jus amittit ad illud, ad quod passiva vocatione invitatur. Ita *Sanchez de Matrim. impedim. lib.* 1. *Disput.* 13. *num.* 4. et S. Congregatio *in Mantuana Cappellaniae* 16. *Novemb. praet. anni* 1816. Id ipsum agnovit Raffinius cum inito Matrimonio Beneficium sponte dimisit, quod statim alteri nimirum Canonico Lippi collatum fuit,

Po-

Postulat tamen, ut suspensa nominatione, ex ejusdem Beneficii reditibus suis occurratur necessitatibus. Certum, est ipsum in contentiva Fundatoris familia reperiri tamquam ex illius Nepote descendentem; certumque est ex Episcopi testimonio gravi inopia laborare. Porro ex aequitate Canonica inductum est, ut ex reditibus Beneficii succurratur Fundatoris consanguineis, si paupertate premantur ut *ex Can. Concilii Toletani* 38. relato in *Can. Quicumque Caus.* 56. *quaest.* 8. *Rota apud Piton. De Controvers. Patron. allegat.* 46. *n.* 66. Quamquam Raffinius eo non sit adductus, ut stipem mendicare cogatur; attamen ut Episcopus asserit, nil habet, quam annua *scuta quinquaginta* ex Vitalitio, ex quo ipse *septuagenarius* una cum uxore vivere nequit. Videant EE. PP. num habenda sit ratio paupertatis respectivae, quemadmodum alias fecit S. Congregatio in *Aquen. Cappellaniae* 20. *Januarii*, *et* 3. *Februarii* 1787. Neque insolens est ut per suspensionem Cappellaniae, et assignationem redituum superextantium provideatur paupertati Consanguineorum, ut in *Ariminen. Cappellaniae* 22. *Julii* 1815. *ad II. Dub.*

Huic tamen Canonicae aequitati obstare posse videtur quod agitur de Beneficio pleno. Nam Sacerdos Poggi nedum praesentationem a Patrono obtinuit, sed etiam ut ait Episcopus - *fu canonicamente investito del Benefizio con Bolla Pontificia di Provista*. Hic repugnat, ne Raffinius Beneficium in statu Conjugali retineat, nec certe juri ex Praesentatione, et Institutione a Cappellano quaesito derogare potuit Patronus, qui assensum praebuit, ut Raffinius Cappellania frueretur, licet suae conjunctus uxori, ut docet *Fagnanus in lib.* 3. *Decretal. cap. Dilectus* 2. *num.* 17. *Rigant. ad* Reg. 22. *Cancell. num.* 49.

Videant tamen EE. VV. an etiam Beneficio pleno, quatenus abundet reditibus, sit providendum indigentiae Consanguineorum Fundatoris, si non per suspensionem nominationis, saltem per assignationem alimentorum. Ne sim nimius Vos delego ad *Pitonium de controversiis Patron.* qui in *Allegat.* 44. hanc controversiam tractat multis transcriptis per extensum Sacrae Rotae Decisionibus, atque ex his *in Salernitana*

tana Alimentorum super taxatione 16.*Decembris* 1712. *num.* 1. *coram Falconierio* statuit - *Pro comperto fere apud omnes Dominos fuit habitum , quod Patronis, ex reditibus Ecclesiae Patronalis superextantibus congruae substentationi* Rectoris *debeantur alimenta, non quidem ad solam necessitatem , et ad suffragium tantum vitae , sed ut modeste , et condecenter juxta gradum , et conditionem propriarum personarum vivere valeant , approbando in hac parte conclusionem firmatam in Decisionibus praeteritae instantiae etc.* Et ratio affertur in prima Causae *Decisione* 11. *Januarii coram Scotto num.* 63.„ Si ex dispositione sacrorum „ Canonum tenetur Beneficiatus reditus superextan„ tes ejus congruae substentationi erogare Pauperibus „ in Eleemosynam,potiori sane jure tenebitur largius „ subvenire Patrono inopi ex ordinata charitate, et „ antidorali obligatione ; dum ex illius , vel sui Pro„ pinqui Praesentatione Beneficium recognoscit,illius„ que fructus consequitur .

Hae quidem Auctoritates de Patrono paupere agunt . At S. Congregatio in casu quo succurrendum erat pauperibus consanguineis fundatoribus Cappellaniarum , quae plenae erant , Cappellanis tamen ex fundatione amovibilibus , disputato Dubio II. - *An , et quomodo sit locus suspensioni Cappellaniarum in casu etc.* rescripsit - *Negative , sed celebratis per Cappellanos Missis ad formam fundationis , ad manualem , quod superest distribuatur inter Pauperes utriusque Fundatricis arbitrio Emi Archiepiscopi ad quinquennium .* Ita in *Neapolitana Eleemosynae Missarum* 26.*Novembris* 1803.Statuent Emi Patres,utrum sit idem faciendum in hac causa , seu potius cum fructus Beneficii ascendant ad *Scuta* 196. , unde Beneficiatus habet ultra congruam substentationem,aliqua portio in levamen Paupertatis oratoris assignanda sit.

Dubium proponitur

An sit locus suspensioni Beneficii , seu potius , et in qua summa sit cogendus Beneficiatus ad praestanda alimenta consanguineo Fundatoris in casu etc.

FE-

FERETRANA INDULTI. Archipresbyter Cathedralis Feretranae accitus a proprio Episcopo in Seminario Diaecesano, ut Theologiam Dogmaticam doceret, indultum absentiae postulat. Capitulum instantiae repugnat propterea quod chori servitium ex hoc indulto detrimentum caperet. Nam Capitulum constat ex quindecim inservientibus, nempe ex tribus Dignitatibus, Praeposito, Archipresbytero, et Archidiacono, qui diebus festis tantum servitium praestat. Sunt et duodecim Canonici, quorum alter jubilationis indulto fruitur, alter infirmus lecto decumbit. Quatuor Chorales ex Constitutionibus per turnum in hebdomada vacatione fruuntur. Quo fit ut ex quindecim choralibus octo tantum servitium praestent. De his Paenitentiarius est impeditus in confessionibus excipiendis, duo Parochi in cura animarum, duo tandem Camerarii plerumque choro deficiunt negociis Capituli distracti, ita ut vix tres choro inservire possunt. Quatuor praeterea sunt Mansionarii, quorum unus vacat, nec est qui optet, attenta tenuitate stipendii; alter solis diebus festis choro interest; duo reliqui inserviunt per alternas hebdomadas.

*Sess.*5. *Cap.* 1. *De Reform.*

Episcopus in sua *Informatione* affirmat, Archipresbyterum Caliendi unicum esse in tota Diaecesi, qui Dogmaticam Theologiam docere possit, cum Archidiaconus, qui aeque ad hoc munus esset idoneus, suam impendit operam in erudiendis alumnis in facultate Moralis, et Rhetorica. Hinc pergit ad refellenda, quae Canonici de detrimento servitii chori opponunt, Ait enim - *admissis Capituli argumentis necessario sequeretur Servitio chori Cathedralem Ecclesiam jamdudum caruisse, quod tamen haud accidit unquam quamvis Archipresbyter valetudinis causa per plures menses choro interesse minime potuerit. Pro stricta igitur veritate animadvertendum venit, Canonicum Poenitentiarium perquam raro in hac parva Civitate ferialibus diebus confessionali adstringi. Rarissime quoque Vice-Parochus, quominus inserviat choro, impeditur. Quin immo Parochus ipse eidem saepe saepius intervenit. Item Camerarius, et Subcamerarius, nonnisi valde raro a residentia, saltem ambo, abesse coguntur. Et sane nunc temporis Parochus est etiam Subcamerarius quemadmo-*

dum

dum Poenitentiarius gerit secundi Parochi vices, quod liquido demonstrat unum officium alteri parum obesse. Hinc etiam fit, quod cum munus Parochi, et Subcamerarii penes eamdem personam sit, unus tantum non duo, numero Canonicorum choro inservientium demi possit.

Ex his concludit - *Ceterum cum summopere mihi cordi esse debeat divinorum officiorum in hac Cathedrali celebratio, aeque ac Juvenum in Theologicis disciplinis institutio; ideo mediam viam iniens, ut necessitati deserviam, Oratoris precibus indulgeri posse existimarem, pro solis tamen horis matutinis, et pro iis diebus dumtaxat, quibus Dogmaticae Theologiae lectio habeatur, quolibet alio anni tempore, et exemptionis Beneficio prorsus excluso. Item sine praejudicio quorumcumque, qui ad jubilationem proximum jus haberent, et ea lege insuper, ut iis in casibus, in quibus ob peculiares circumstantias Archipresbyteri praesentia necessaria foret ipse a Vicario Capituli monitus choro interesse teneatur*.

Integram exscribendam censui *Informationem* Episcopi, ut EE. PP. deliberare *in facto* possint, num per hoc indultum servitium chori detrimentum capiat. In jure certum est ex *Cap.* Super *specula de Magistris docentes in Theologica facultate dum in scholis docuerint* Indulto esse donandos. Quod quidem privilegium a S. Sancto Concilio Tridentino *sess.* 5. *Cap.* 1. *De Reform.* praeservatum fuit. Aeque certum est ex *Cap. Cum ad hoc De Clericis non residen.* quod privilegiati super absentia redire cogantur, si Ecclesia patitur Ministrorum defectum. Ex his in facto, et jure praemissis deliberandum venit.

An, et quomodo Archipresbytero Caliendi sit concedendum indultum in casu etc.

Ses. 24. Cap. 12 De Reform.

MONTIS ALTI JUBILATIONIS. Prior Petrus Camillus De Carolis per *quadraginta septem* annos Servitium praestitit in Ecclesia Collegiata Castineani, primum qua Canonicus per annos *undeviginti* ab ineunte Mense *Iunii anni* 1769. ad Mensem *Julii* 1788., et inde ad Dignitatem Prioratus in eadem Collegiata evectus, a *die* 16. *Julii* 1788., ad haec usque tempora, per annos *Duodetriginta* servitium ju-

jugiter prosequutus est. Toto hoc tempore semel, iterumque abfuit; primum a *Mense Novembris* 1769 ad *Mensem Maji* 1775. ut studiis operam daret in Collegio Montis Alti Civitatis Bononiae; deinde a *Mense Septembris anni* 1791. usque *ad Mensem Junii* 1794., quo tempore munus Vicarii Generalis in Diaecesi Ripana obivit. Sed in utraque hac absentia, quae simul unita annos sex, et Menses quatuor non excedit, Indultum consequutus est, et tertiam partem Distributionum favore inservientinm dimisit. Hinc nihil ex ea, detractum putat a quadragenario servitio, cujus intuitu nunc jubilationis postulat Indultum.

Rogata est Sententia Vicarii Capitularis, audito Capitulo Collegiatae. Hoc petitae Jubilationi repugnavit, ex eo quod Libri punctaturarum aut deperditi, aut informes essent; unde constare non poterat de continuo, et laudabili quadragenario servitio. Sed Vicarius Capitularis Instantiae favet: nam ait - *Aliae prostant exhibitae Canonicorum attestationes* (quas idem Vicarius remittit) *quae de laudabili servitio quadraginta annorum, computato etiam absentiae tempore, de Chori assiduitate, paucis dumtaxat amissis Distributionibus, testimonium perhibent ingenue. Sciendum denique quod tredecim sunt numero Canonici, omnesque Ecclesiae mancipati; ac proinde absentia unius, nullum fere affert chori detrimentum.*

Cum tamen in habitis Comitiis Capitularibus, alter ex Canonicis protestatus fuerit de non completo quadragenario servitio, ex eo quod tempore praeteriti tumultus, Collegiata suppressa fuerit; hinc iterum rogandum duxi Vicarium Capitularem, ut - *denuo referret de laudabili quadraginta annorum Servitio, perquisitis punctaturarum Libris, per Canonicum subdelegandum, transmissa notula fallentiarum, et utrum occupatis Collegiatae bonis Orator pensionem perceperit, eaque durante occupatione, officiatura choralis praestitia fuerit ab Oratore collegialiter, ad formam Constitutionum Ecclesiae; sin minus quamdiu, et qua de causa fuerit neglecta.*

Remittit Vicarius Capitularis notulam fallentiarum, quas, Canonicus subdelegatus, ex Libris punctaturarum, Priorem de Carolis commisisse invenit, quae-

que

que ut Vicarius idem affirmat - *In tam longo annorum spatio divisae ad rationem obulorum quinque pro quolibet die feriato, et obulorum septem cum dimidio pro Festivo, juxta Ecclesiae suae Constitutiones, non perveniunt in totum ad unius Mensis fallentias,*

Quoad officiaturam tempore invasionis affirmat Vicarius, quod occupatis Collegiatae bonis, vetitum fuerit Capitulo, ne servitium Chori obiret. Nihilominus prosequitur - *Officiatura numquam, quamquam sine canonicalibus insigniis, fuit derelicta in diebus solemnioribus, et in omnibus aliis Ecclesiae Festivitatibus, et in hac Officiatura, prae aliis omnibus refulsit pietas, et assiduitas Oratoris, qui postquam omne suum adhibuit opus pro recuperatione Ecclesiae tamquam Patronatae, suorumque redituum, et reapse recuperavit, ob quam rationem numquam recepit Pensionem, omnes in ea exercuit Ecclesiasticas functiones ad honorem Dei, et ad Populi commoditatem, et sic duplex servitium praestiterit, majusque illius, quod antea praestare consueverat.*

Servitium *quadraginta septem* annorum praestitit Prior De-Carolis, et quidem continuo, et laudabiliter. Abfuit quidem causa studiorum, et ut munus Vicarii Generalis in extranea Diaecesi obiret, ita ut hoc tempus in curriculo annorum quadraginta computari non debet, licet Prior Indultum habuerit: quia absentibus causa studiorum, vel ratione munerum non conceditur Indultum Jubilationis, nisi quadragenarium servitium, deducto tempore absentiae, compleverint, ut discusso articulo statuit Sac. Congregatio *in Dubiis Jubilationum* 17. *Decembris* 1718. *ad I. Dubium*. Verumtamen cum quadragenario spatio superaccesserint alii septem anni, et tempus utriusque absentiae non excesserit annos sex, et menses quatuor; hinc absolutum videtur *quadraginta annorum* servitium. Laudabile porro fuisse constat ex testimonio Canonici subdelegati ad inspiciendos Libros Punctaturarum, qui affirmat fallentias a Priore de Carolis toto hoc tempore, non excessisse *Mensem unum*, quod compensatum fuit ex servitio praestito ultra *Quadraginta annos*. Constito autem de continuo, et laudabili servitio indultum Jubilationis nemini denegari solet, ut passim statuit Sac. Congre-

ga-

gatio, et praecipue in *Balneoregien. Jubilationis* 6 *Aprilis* 1784.

Controversia tamen esse potest: Num in quadragenario cursu computandum sit quinquennium illud, quo Canonici impediti fuerunt, quominus servitium obirent ad normam Constitutionum: etenim cum Jubilationis indultum non jure scripto, sed consuetudine a S. Sede Apostolica approbata introductum sit, ut tradit Rota *Decis*. 167. *num*. 14. *part*. 1. *Decis*.178. *num*. 1. *part*.18. *Recen*., *et S. Congregatio in Caurien. Jubilat*. 30. *Novemb*. 1815; hinc nonnisi ad normam inductae consuetudinis concedi solet. Quod autem vere praesentibus tantum in quadragenario servitio concedi soleat, ex eo assequi potest, quod ex cursu quadragenario deducitur absentia ratione studiorum, vel muneris, licet ex hisce causis absentes habeant Indultum, quo pro praesentibus ad alios effectus habentur; unde si interruptum sit servitium quadragenarium, et vera praesentia deficiat, Indultum denegatur, ut in *Camerien. Jubilationis* 17. *Martii* 1796.

Sed in concreto casu controversia numquam discussa, et decisa fuit. Animadvertendum itaque EE.VV. pro meo munere propono, quod inter *Dubia Jubilationum diei* 17. *Decembris* 1718. quaesitum fuit sub *I. Dubio - An indulgenda sit Jubilatio Canonicis, et Beneficiatis, qui spatio quadraginta annorum Ecclesiis inservierunt, licet dicto temporis spatio cum debitis licentiis, et Indultis abfuerint ab Ecclesia vel ex causa Infirmitatis, vel causa Studiorum vel pro suo Ecclesiae servitio, vel ratione munerum pro quibus obtinuerunt Indulta abessendi pro diebus, et horis, vel indulta simpliciter, et absolute abessendi ab Ecclesia durante officio ipsis commisso*. S. Congregatio respondit-AFFIRMATIVE *ex causa Infirmitatis cum debitis licentiis, et Indultis vel pro suae Ecclesiae servitio, vel cum Indultis abessendi pro diebus, et horis. NEGATIVE autem quoad absentes ex causa studiorum, et quoad habentes Indulta abessendi absolute durante officio*.

Ex his videtur distinguendum esse inter unam, alteramque absentiae causam: nam si illi, qui indultum Jubilationis postulant, tempore quadragenarii servitii abfuerunt ex causa necessaria, ut ratione infirmita-

tis, et servitii Ecclesiae; et tunc consequi possunt jubilationem; aut ex causa justa quidem, sed voluntaria puta studiorum causa, et muneris; et tunc eis denegatur Indultum. Si haec distinctio EE. VV. arridet inquirendum erit: num Canonici tempore usurpationis impediti facto Imperantis, ne servitium praestarent, abfuerint ex necessaria causa.

Nec praetereundum est, quod Canonici recuperata Ecclesia, ejusque bonis, servitium, quo potuerunt modo obire non neglexerunt, scilicet sine Choralibus indumentis, et diebus tantum festivis, et solemnioribus. Videant etiam EE. PP. num haec praecipue opitulentur Priori de Carolis, qui summo studio vindicavit ab usurpatoribus Ecclesiam, ejusque bona, et servitium, si non ad normam Constitutionum obivit, tamen ut ferebat temporum iniquitas, et sacris functionibus in Populi aedificationem operam dedit.

Si ab exemplis petenda est hujus controversiae decisio, prae oculis habeant EE.PP. id quod firmat *Fagnanus* in *Lib.* 3. *Decret. Cap. Licet de Praeben. num.* 131. - *Canonicus expulsus a Civitate propter seditiones, absque sua culpa, integre percipere debere quotidianas Distributiones* -. Recens est causa *Reatina Fructuum, et Distributionum* 18. *Martii* 1815. in qua statutum fuit, ut non tantum deportati, sed etiam sponte profugi, ut se a persequtione subtraherent, pro praesentibus habendi essent, nedum ut distributiones suas facerent. sed ut, quae tempore absentiae divisae fuerunt inter praesentes, condicerent.

Ex his deduci posse videtur, coacte absentem pro praesenti habendum esse. Sed praesenti causae affine magis est exemplum in *Militen. Jubilationis* 18. *Augusti* 1804., in qua cum ageretur de eo, qui tempore quadragenarii servitii, aliquo tempore abfuit, quia ex terrae motu quassata Ecclesia, servitium Chori intermisit, usque dum refecta servitium Chori reintegratum est, proposito Dubio - *An, et quomodo sit exequendum indultum Jubilationis in casu etc.* -. Sac.Congregatio respondit - *Affirmative in casu, de quo agitur* -.

Haec omnia EE. VV. sapientiae subjicio sub Dubio.

An Priori de Carolis sit concedendum Indultum Jubilationis in casu etc.

Die

Die Sabathi 12. Julii 1817. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua præter alia proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

BRICTINORIEN COLLEGIATAE.

Sess. 24. Cap. 12. de Reform.

I. *An in exequtionem Rescripti diei 16. Martii 1816. Canonici Collegiatae S. Mariae in Burgo Civitellae compellendi sint ad servitium Chori et applicationem Missae Conventualis, et aliarum Missarum ex legatis in casu etc.*

II. *An iidem Canonici teneantur per contributum ad expensas pro Ecclesia juxta solitum in casu etc.*

III. *An iidem Canonici teneantur per turnum celebrare Missam ad Auroram, et Meridiem in casu etc.*

IV. *An procedendum sit servatis servandis ad collationem Praebendae Theologalis in casu etc.*

Ad I. Affirmative in omnibus, et ad mentem: Mens est, ut Episcopus durante necessitate ob diminutum numerum Canonicorum indulgeat Missas cum cantu celebrari sine adsistentia Diaconi, et Subdiaconi, et cogat juris, et facti remediis ad nominationem vacantium canonicatum.

Ad II., III., IV. affirmative.

Sess. 2. cap. 6. Sess. 23. cap. 18. de Reform.

ARETINA SUSPENSIONIS NOMINATIONIS.

An sit locus suspensioni Beneficii, seu potius, et in qua Summa sit cogendus Beneficiatus ad praestanda alimenta consanguineo fundatoris in casu etc.

Negative ad primam partem, affirmative ad secundam in scutis annuis sexaginta ad vitam Francisci Raffini, et ad D. Segretarium cum Sanctissimo.

Sess. 5. cap. 1. de Reform.

FERETRANA INDULTI.

An, et quomodo Archipresbytero Caliendi sit concedendum Indultum in casu etc.

Affirmative juxta Votum Episcopi ad triennium tantum a die suscepti muneris, amissis.

Sess. 24. cap. 13. de Reform.

MONTIS ALTI JUBILATIONIS.

An Priori de Carolis sit concedendum indultum jubilationis in casu etc.

Affirmative.

LUNEN SARZANEN DISMEMBRATIONIS. Duo Oppida secus Mare Ligusticum posita *Marola*, et *Cà di Mare* intermedio Monte distant inter se fere passuum mille, et uno reguntur Parocho, qui in Ecclesia S. Viti *Marolae* residet. Populus *Cà di mare* sive quod aspera, et hyberno praesertim tempore difficilis esset via, ut populani nec accedere sine difficultate ad Ecclesiam possent, nec ad eos Parochus; sive quod ex promiscuo accessu jurgia, rixaeque oriantur inter Populanos utriusque oppidi veteri aemulatione dissociatos, dismembrationem postulavit a Paraecia S. Viti, cum haec vacans esset, et erectio novae Paraeciae in propria Ecclesia *S. Mariae* nuper, et decenter extructa, et sacris suppellectilibus ornata. *Sess. 21. cap. 4. de Reform.*

Episcopus de sua Sententia rogatus in prima *Informatione* retulit: distare oppidum *Cà di mare* ab Ecclesia Parochiali S. Viti per unum lapidem: asperum esse iter tempore hyemis: hinc multos ex Oppidanis diebus festis sacro caruisse, et a vita migrasse absque Sacramentorum subsidio: animarum capita loci *Cadimare* excedere *quingentum*: Parochum S. Viti *Marolae* habere congruam Scutorum *quatuorcentorum* monetae Romanae: putare ad haec incomoda submovenda, et rixas inter populos praecidendas optimum fore, si proprius Parochus (ad minus Cappellanus Curatus) deputaretur in Ecclesia *Cà di Mare*, cui a Parocho Matricis Ecclesiae S. Viti subministrarentur annua *Scuta quinquaginta*, et quod ad congruam deest, Municipium *Cadimare* suppeditaret.

Proposita haec causa fuit per *Summaria Precum* in Congregatione *diei 14. Decembris* 1816. Vobisque PP. EE. placuit rescribere - *Dilata, et audiatur in scriptis Curatus, sive Oeconomus Marolae transmisso statu Activo, et passivo, nec non annuo reditu, et exitu, et numero animarum*. Remisit Episcopus declarationem Oeconomi Sacerdotis *Laurentii Bonanino*, qui affirmavit annuos reditus Paraeciae S. Viti consistere in *Libris Januensibus* 2400., incerta in *Libris* 500., onera vero in *Libris* 60.

In-

Interea dum haec agebantur indicto concursu novus renunciatus est Parochus S. Viti Marolae Sacerdos Malfanti, qui oblatis precibus petitae obstitit dismembrationi. Iterum *die* 1. *Martii* 1814. rescriptum fuit - *Scribatur Episcopo, qui audito in scriptis Parocho Marolae referat de annuo reditu et exitu Paroeciae ad monetam Romanam transmisso statu activo, et passivo*. Novissime refert Episcopus *a Parocho Marolae juxta mandata postulavi de reditu in scriptis, et exitu Paroeciae per publicos peritos dignoscendo, quod cum factum fuisset, sane dignoscitur reditum Paroeciae Marolae non ascendere, nisi ad scuta* 144. 81. *scuta Romana, exitum vero ad scuta* 47. 98., *ita ut reditus integer non excedit scuta* 94. 90. *ejusdem monetae Romanae. Addo etiam quod Presbyter Laurentius Bonanino tempore sui Oeconomatus auxit in scriptis reditum Paroeciae, sed insuper in scriptis pariter declaravit, se in errorem incidisse. Opinor tamen optimum judicium, si Parochus Marolae deputaret Capellanum Curatum, qui nocturno praesertim tempore Cadimare moraretur expensis tamen ejusdem Populi Cadimare*. Statum tamen activum et passivum, relationes Peritorum, novam declarationem Oeconomi Bonanino non remisit Episcopus.

Haec accuratius *in facto* EE. VV. explorata esse oportebat. Quae juris sunt noscent EE. PP. ex impressa *allegatione* a Populo *Cadimare* exhibenda. Parochus Malfanti, dum Folium sub praelo erat *Allegationem* exhibuit quam in angustia temporis non potui inspicere, nec Vobis per summa capita referre.

Tridentinum *Sess.* 21. *Cap.* 4. *de Reform.* dismembrationes Paroeciarum praescribit etiam *invitis Rectoribus*, SI *ob locorum distantiam, sive difficultatem Parochiani sine magno incomodo ad percipienda Sacramenta, et divina officia audienda accedere non possunt*; deputationem vero Cappellani, *si Populus ita numerosus sit, ut unus Rector sufficere non possit Ecclesiasticis Sacramentis ministrandis, et cultui divino peragendo*: Hinc deducit Populus *Cadimare* quod cum petita sit dismembratio ob distantiam unius milliarii ab Ecclesia *Cadimare*, et ob difficultatem itineris, quo Parochiani ad eam accedunt

dunt locus esse non possit deputationi Cappellani, quemadmodum Episcopus in *secunda informatione* proponit. Maxime cum deputatio Cappellani penitus non tolleret rixas, quae ex sola dismembratione extirpari poterunt.

Quamquam vero distantia a Sacro Concilio definita non sit; attamen cum alternatim sive ob distantiam, sive ob difficultatem dismembratio permittatur; sequitur ut dismembratio concedatur, licet distantia non sit immodica, si difficultate viarum multi sacrificio diebus festis caruerint, aut destituti Sacramentis obierint (quemadmodum in casu accidisse ex *prima informatione* Episcopi, atque ex testibus constat) ut tradunt *Pignattel. Consult. Can. tom.* 4. *Consult.* 230. *num.* 6. *et Garz. de Benef. Part.* 12. *Cap.* 2. *num.* 88.

Redire itaque videtur controversia ad *modum*, quo haec dismembratio concedenda sit, scilicet ad congruam novo Parocho assignandam, id quod *Tridentinum loco citato* fieri jubet *ex fructibus ad Ecclesiam Matricem quomodocumque pertinentibus*, *et si necesse fuerit* (Episcopus) *possit compellere Populum ea subministrare, quae sufficiant ad vitam dictorum sacerdotum sustentandam*.

Qui jura Populi *Cadimare* tuetur, opulentam esse Paroeciam S.Viti Marolae contendit, tum ex *prima Informatione* Episcopi, qui affirmavit reditus Parochialis Ecclesiae consistere in annuis scutis *quatuorcentum*, tum ex prima declaratione Oeconomi, qui reditus evexit ad *libras januenses* 2900. tum demum ex assignatione facta a praecedenti Parocho, atque ex statu hujus Paroeciae, qui in publico tabulario reperitur, ex quibus patet reditus hujus Paroeciae consurgere ad *Scuta Romana* 276. 93. Quin sibi obesse putet, si Episcopus reditus depressit ad Scuta 144. Id enim affirmavit se referens ad Peritias, et ad secundam declarationem Oeconomi Bonanini, quae cum lateant, assertio Episcopi haberi debeat ut referens sine relato. Statum vero activum, et passivum non desumendum esse contendit ex relatione peritorum, sed ex antecedenti decennio calculato ex libris admi-

ministrationis Parochialis; suspectas vero esse putat hasce Peritorum relationes, quia novus Parochus semper repugnavit statum hujusmodi exhibere, et interpositis officiis quaesierit suffragia Populanorum, ut petitae dismembrationi repugnarent. Ex his concludit cogendum esse Parochum *Malfanti* ad subministranda annua scuta *quinquaginta* in partem congruae, et quod deficit a Populo *Cadimare* esse suppeditandum.

Haec summa est *Allegationis* Populi *Cadimare*. Dubium proponitur.

An, et quomodo sit locus dismembrationi, et erectioni novae Pareciae in Ecclesia Cadimare in casu ec.

Affirmative pro dismembratione juxta primum votum Episcopi diei 24. Julii 1816.

Sess. 25. cap. 4. de Reform.

SPOLETANA REDUCTIONIS Auspice Urbano VIII. qui, antequam ad Petri Cathedram eveheretur, Ecclesiam Spoletanam rexit, certum institutum, certasque leges accepit Congregatio, quae Spoleti audit *del Consortio*. Constituta ea fuit ex quinquaginta Sacerdotibus *de numero*, et aliis nonnullis *supra numerum*, qui Missas ex legatis relictas in Cathedrali Ecclesia celebrarent juxta regulas, et Constitutiones, quas ipse Pontifex indixit in Literis Apostolicis in forma Brevis annorum 1621. et 1638. Quas tamen Constitutiones data est ipsi Congregationi moderandi facultas annuente Episcopo pro tempore Spoletano.

Anno 1652. haec Congregatio decrevit, ut quatuor ex Sacerdotibus Confratribus praeeligerentur, qui diebus Festivis tempore Missae Solemnis, et Vesperarum in Cathedrali Choro interessent, duo scilicet qua Canonici, duo qua Praebendati. Quibus ut emo-

emolumentum pro novo onere daretur, assignata fuit certa portio Missarum celebrandarum ab aliis Confratribus, nimirum Canonicis quarta, Praebendatis tertia pars. Anno tamen 1678. illud ex iis immutatum fuit, ut ex duobus Canonicis unus tantum per alternas hebdomadas quotidianum chori servitium obiret.

Fundus hujus Congregationis coalescebat ex censibus a benefactoribus relictis pro celebratione Missarum. Sed deperditis nonnullis censibus ex obaeratione debitorum, et diminutis fructibus, quorum ratione Testatores Missarum numerum praefiniverant, impossibile erat, onera omnia praestare. Sed aeque impossibile erat noscere, quae onera essent reducenda, cum retenta non fuisset tabella, in qua cujuslibet Legati fundi adnotati fuissent, ut compertum esset, qui perierint, qui decreverint, et quorum legatorum onera essent diminuenda. Id unum certum erat, quod ex omnibus coacervatis Congregationis fundis percipiebantur annua scuta *biscentum*. In hac rerum obscuritate ad S. hanc Congregationem recursum habitum fuit, quae die 5. *Junii* 1734. ita decrevit - *Attenta relatione Episcopi Spoletani quoad Legatum relictum a quondam Catarina Costa Victorii censuit servandam esse dispositionem Testatricis, facta illius descriptione in solita Tabella onerum, nec non descriptis bonis Legatis in libris Consortij. In reliquis vero benigne commisit eidem Episcopo, ut veris existentibus narratis juxta proportionatam supradictorum redituum quantitatem, tot Missas lectas quot celebrari poterunt ad rationem Eleemosinae Manualis inspecto regionis more pro suo arbitrio, et conscientia celebrari, et respective applicari mandet* - Hinc Episcopus Spoletinus reductionem indulsit ad tot Missas lectas, quot *ad manualem Julii unius* ex reditibus celebrari poterant.

Ita se habuit celebratio Missarum usque ad annum 1791., quo haec, quae a S. Congregatione constituta fuere, immutata conspiciuntur ex Decreto Praesulis postea Eminentissimi Locatelli ejusdem *anni* 1791. In hoc siquidem major quam manualis elee-

mosyna pro Missis celebrandis constituitur. Nam Missis celebratis extra Cathedralem non impetrata venia a Praefecto Congregationis constituitur eleemosyna *julii unius*; in Cathedrali vero *obolorum duodecim cum dimidio*; Missis vero celebrandis in Cathedrali a Canonico, et duobus Praebendatis, atque in die festo Assumptionis B. Mariae eleemosyna *obolorum quindecim*. Pro ultima Missa celebranda pari modo singulis diebus festivis totius anni, atque in Octava Assumptionis, diebus quibus est concio, et expositio quadraginta horarum *obolorum viginti duorum cum dimidio*.

Nunc vero Congregatio Consortii in id consilium venit, ut duo illi Praebendati, qui hactenus servitium chori diebus festivis tempore tantum Missae et Vesperarum praestiterunt, obire illud debeant per alternas hebdomadas, ut caeteri Praebendati Ecclesiae Cathedralis, constituto eisdem emolumento scutorum *quadraginta* pro unoquoque, iisque assignata una tantum Missarum parte. Ut vero huic emolumento consultum sit, haec proponunt.

Postulant, UT reducantur Missae *quatuor centum* annuae quae ad eleemosinam *obolorum duodecim cum dimidio* juxta Decretum Locatelli reddent annua Scuta *quinquaginta*, UT eisdem Praebendatis assignentur annua Scuta 15. quae per decennium proxime expiratum a Congregatione contribuebantur Hospitali, UT ex reditibus superextantibus investiantur Scuta 225. ad rationem scutorum *septem* in singula centum, unde percipi possint annua scuta *quindecim*, quae unita caeteris partitis annua *scuta octuaginta* conficiunt. Haec a Congregatione Consortii *die* 14. *Februarii* 1817. decreta, ab Episcopo approbata, et a Capitulo Cathedralis acceptata fuere. Verum quominus exequtioni committantur obstat Rescriptum S. hujus Congregationis *anni* 1734., quo legata reducta fuere ad tot Missas, quot reditus ad Eleemosynam *julii unius*. Quare Congregatio Consortii novam reductionem implorat.

Episcopus in sua Informatione transmittit statum *Activum*, et *Passiv m* Congregationis Consortii desumpto ex decennali calculo. Constat ex hoc, reditus pertigisse ad ♃ 3327.49.3. quae distributa in annos singulos dant quotannis ♃ 332.75. Exitus vero constituitur in *scutis* 3102. 59. 3. quae respondent ad annua *sc.* 310. 25. Pro

Missis

Missis vero celebratis in hoc decennio in *numero* 15562. necessaria fuit elemosyna Scutorum 1979. 34 atque hinc patet quod singulis annis celebrantur Missae 1556. ita ut requiratur annua eleemosyna *Scutorum* 197. 93. Ex his rationibus integri decennii supersunt *Scuta* 224. 90., quae in investimentum egrogari postulant. Capitulum Cathedralis constans ex viginti duobus choralibus, scilicet duabus Dignitatibus, duocecim Canonicis de gremio; duobus adjunctis, et ex Praebendatis, seu Mantionariis, suum praebet assensum ut duo novi Praebendati a praedicta Congregatione erigantur. Instantiae suffragatur Episcopus ex eo. quod *in hac Ecclesia necessarium quodammodo videtur, ut psallentium paucitati provideatur*.

Duobus dubiis tota controversia complectitur. *Primum* ex officio propono, antequam alterum delibetur. Et enim vos consulo EE. PP., num necessaria sit sanatio quoad praeteritum. Etenim cum reditus Congregationis erogandi essent in celebratione Missarum, ob diminutionem eorumdem reddituum, et incertitudinem onerum S. haec Congregatio ex Rescripto *diei* 5. *Junii anni* 1754. reductionem concessit ad tot Missas, quot reditus ad eleemosynam manualem *Julii unius*. At anno 1791. Antistes Locatelli auxit eleemosynam Missarum, quemadmodum in facto expositum est. Ex Decreto vero ab ipso tunc edito non constat quibus facultatibus munitus id fecerit. Quamquam enim Urbanus VIII. facultatem tribuerit Congregationi Consortii, ut annuente Episcopo Spoletano posset suas Constitutiones moderare; attamen facultas hujusmodi non respiciebat reductionem Missarum ex legatis, et quatenus etiam ad reductionem protendi posset, certe ea uti non potuisse videtur postquam S. Congregratio jam reductionem concesserat. Videant EE. PP. num Episcopus Locatelli hoc augumentum facere idcirco potuerit, quia redditus Congregationis adaucti fuerunt, ita ut non obstante augumento idem Missarum numerus a S. Congregatione praescriptus, celebraretur. Nam cum reductio conceditur semper inest ea conditio, ut si augeantur reditus, aeque augeri debeat Missarum nu-

numerus ex doctrina *Benedicti XIV. de Synod. Dioeces. Lib. 13. Cap. ultim. num. 35.*

Alterum Dubium pertinet ad reductionem, quam postulat Congregatio Consortii, ut ex eleemosyna Missarum reductarum stipendium assignetur duobus Praebendatis, quibus injungitur chori Servitium per alternas hebdomadas. Observandum est, quod pro hoc stipendio requiritur Summa Scutorum *octuaginta*, et juxta reductionem jam concessam a S. Congregatione major numerus quam quatuor centum Missarum esset reducendus. Nam taxa annua Scutorum 15. quae Hospitali solvitur ad decennium, hoc expirato redit in massam redituum, ex quibus Missae celebrandae sunt; atque in eamdem Massam pariter coalescere debent fructus retrahendi ex investimento redituum superextantium.

Huic autem reductioni obstat regula, qua cavetur, ne reductio reductionis concedatur ut S. Congregatio in *Neapolitana Reductionis Missarum* 19. *Novembris* 1729. *et in Interamnen. Reductionis Missarum* 30. *Augusti* 1788. Vestrum erit judicium utrum ad augendum Servitium Chori nova reductio concedi possit, postquam vobis *in facto* compertum erit, num haec subsit necessitatis causa, *et in jure*, num idonea sit ad reductionem concedendam. Quamquam enim Episcopus affirmet necessarium *quodammodo* esse, ut augeatur in Cathedrali psallentium numerus; attamen duo supra viginti sunt chorales, qui servitium praestant. Porro agitur de reducendis legatis, in quibus Missarum tantum onus, non Servitium chori injungitur. Prae oculis habeant EE. PP. regulam, qua potius alia onera etiam servitii Chori, quam Missarum reducuntur etiam in casu, quo Testatores servitium Chori, et Missas simul injunxerint, ut passim statuit S. Congregatio, et praecipue *in Lunen. Sarzanen.* 1 *Junii* 1728. *et in Fabrianen. Cappellaniae* 17. *Decembris* 1803.

Quatenus EE. VV. novam reductionem concedendam non censeant, tunc providendum erit exequtioni Rescripti hujus S. Congregationis 5. *Junii* 1734. Nam non celebrantur nunc tot Missae, quot reditus ad manualem, sed juxta augumentum factum ex Decre-

creto Emi Locatelli. Aucti vero nunc sunt reditus ab eo tempore, quo a S. Congregatione reductio concessa fuit, ita ut deductis decennalibus rationibus supersint *Scuta biscentum viginti quatuor*, et *obol. 90.*

Gemina proponuntur Dubia.

I. *An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione quoad praeteritum in casu etc.*

II. *An, et quomodo sit concedenda reductio; seu potius, et quomodo sit exequendum Rescriptum diei 5. Junii anni 1734. in casu etc.*

Ad I. Affirmative erogatis in tot Missas redditibus superextantibus ex decennalibus rationibus ad manualem currentem.

Ad II. Negative ad primam partem affirmative ad secundam.

SENOGALLIEN. CADUCITATIS, ET SANATIONIS. Ne populus Senogalliensis in summo annonae periculo fame periret, utque exteris stationariis copiis commeatus suppeditaretur *anno* 1801. S. Pontifex jussit, ut summa scutorum *viginti millium* ex alienandis Regularium, et Locorum piorum fundis retrahenda in comparando tritico erogaretur, atque a Communitatis aerario pretii redintegrationem acciperent, qui fundorum alienationem passi fuissent. Inter caetera alienatum fuit praedium pertinens ad Sodalitatem SS. Sacramenti, et Crucis Civitatis Senogalliae nuncupatum *il Crocifisso della Valle* - *Sess.25.cap.12 de Reformat.*

Hoc praedium Societas illa consequta erat ex Legato Laviniae Andreani, quae in testamenti tabulis anni 1665. scripsit - *item jure legati lascio alla Ven. Compagnia del SS. Sagramento, e Croce di Sinigaglia una possessione posta in fondo la Valle etc. commandando etc. che detta Compagnia non possa per qualsivoglia urgente ed urgentissima necessità vendere, nè affittare, nè impegnare detta possessione sotto pena di caducità a favore dell' infrascritto suo erede, e successori*

sori suoi - Haeredem vero scripsit Joannem Franciscum Mathiam Venarucci.

Hoc itaque praedium emptum fuit a Joanne Presepi, pretio *scutorum septingentum* adjecto pacto redimendi intra *quinquennium*. At ita in praeceps ruit publicae Annonae Administratio, ut pretium ex *Panizatione* retractum impar omnino esset aeri alieno dissolvendo; hinc Sodalitio SS. Crucifixi restituta tantum fuere *scuta* 79. 50. in partem pretii alienati fundi. Pro reliqua summa *scutorum* 621. 30 Communitas nomen creavit, et *scuta quatuor* in singula *centum* repraesentare promisit. Properante vero ad exitum *quinquennio*, quo pacti redimendi exercitium cohibitum erat, suprema generalis Inquisitio (cui jurisdictio erat in sodalitium SS. Sacramenti) jussit, ut praedium illud redimeretur congesto pretio ex venditione segetum, et pecudis, quo caeteri Sodalitii fundi erant instructi. Facta redemptione eadem Suprema Inquisitio jussit, ut praedium hujusmodi in Emphytheusim ad tertiam generationem concederetur Aloysio Ghinelli, qui caeteros per Edicta accitos oblatores convento canone *scutorum* 55. superaverat.

Cum haec gesta sunt, latebat testamentum Laviniae Andreani, et inflicta caducitas in casu, quo praedium hujusmodi alienaretur. Innotuit hoc praeterito anno, et statim Gubernator, et Confratres SSmi Sacramenti implorarunt a SSmo sanationem, quatenus incursa fuisset caducitas. Delegatis precibus ad S. hanc Congregationem, cum per aequivocum narratum fuisset, quod caducitas in casu alienationis, et locationis indicta esset favore alterius Sodalitii SS. Rosarii rogata est sententia Emi Episcopi hoc audito Sodalitio, quod in habitis comitiis contendens locum caducitati factum fuisse acriter repugnavit, quominus sanatio concederetur. Sed cum postea ex testamento ab eodem Eminentissimo transmisso constiterit, caducitatem indictam fuisse favore haeredum ipsus Laviniae, cumque Familia Venarucci ab Urbe Senogalliae jamdiu migraverit, et ignoretur, num adhuc existat; hinc additum fuit Emo Episcopo, ut per edicta praefiniretur terminus haeredibus Joannis Francisci Mathiae Venarucci ad *deducen-*

cendum jura sua in S. Congregatione. Nemo decurso termino adfuit, et Emus Episcopus instantiae suffragatur ex rationibus inferius recensendis.

In *I. Dubio* quaeritur, num sit locus caducitati ob alienationem fundi, et concessionem in Emphytheusim. Aperta sane est Testatricis voluntas, quae alienationem, et locationem fundi prohibuit - *sotto pena di caducità a favore dell' infrascritto mio Erede*. Porro defunctorum voluntates modis omnibus servandas esse decernit *Can. Ultima Voluntas: Quaest. I.* Verum haec caducitas cum poena sit, incurri non posse videtur nisi in casu voluntariae alienationis: Sodalitium SS. Sacramenti fundum alienavit imperante Principe, eumdemque in Emphytheusim concessit ex mandato Supremae Inquisitionis, cujus jurisdictioni subjicitur Sodalitium. Nulla hinc culpa Sodalitii intercessisse videtur, quae inflictae poenae locum faciat, cum unus, et alter contractus non ex actu libero, et voluntario, sed coacto, et ex imperio, cui resistere nefas erat, processerit. Aut igitur nudum factum alienationis est inspiciendum, et certe tunc caducitati factus est locus; aut quaerendum est de culpa, sine qua non datur poena, et certe Sodalitium nihil ex suo arbitrio contra Testatricis voluntatem peccavit, et nequit proinde caducitatis poena mulctari.

Nec praetereundum est quod Emus Episcopus in sua *Informatione* observat - *Fundum, de quo in precibus Testatricis voluntati obnoxium modo non esse putarem. Attento enim Decreto Secretariae Status omnia indistincte bona Ecclesiastica vendere licebat. Pretium insuper fundi modo extat apud Municipium. Hinc si proprio aere Sodalitas fundum redemit, iterum Testatricis vinculum non reassumpsisse videtur.*

In *II. Dubio* deliberandum erit num concedenda sit sanatio, quatenus EE. PP. incursa caducitas videatur. Sodalitas ex Principis, et superioris imperio fundum alienavit; illumque postea proprio aere recuperatum in Emphytheusim concessit, ignorans omnino testamentum Laviniae, et inflictam in casu alienationis caducitatem. Videtur inde, haec omnia a Sodalitio acta fuisse sub bona fide, qua concurren-

te

te sanatio concedi solet, ut passim statuit S. Congregatio et praecipue *in Firmana 17. Julii* 1752. Accedit quod contractus Emphytheusis initus fuit interveniente venia, immo imperio *Supremae Inquisitionis*, et publicatis edictis meliori oblatori datus est fundus pro canone *Scutorum* 56., quae summa annuos fructus excedebat judicio Peritorum, ita ut utilis evidenter fuerit Emphytheusis. At e contra res est de jure tertii, nimirum Familiae Venarucci, cujus favore scripta est caducitas; et cui praejudicium inferret postulata sanatio. Verum publicata sunt Edicta, ut si qui jus haberent, illud coram S. Congregatione proferrentur, et nemo adest, qui caducitatem urgeat, et impediat, quominus sanatio concedatur.

Dubia proponuntur

I. *An sit locus caducitati in casu etc.*

Et quatenus *Affirmative*

II. *An sit consulendum Sanctissimo pro sanatione in casu etc.*

Ad I. Negative.

Ad II. Provisum in primo.

Sess. 25. Cap. 4. De Refor.

POLICASTREN. REDUCTIONIS, ET ABSOLUTIONIS. Sacerdos Franciscus Galeotti Beneficium possidet a Propatruo suo institutum, cui dos ita fuit constituta. Fundator assignavit *Capitale Ducatorum* 330. in tot censibus ad rationem scutorum *octo* in singula *centum*, unde redibant annua *Ducata viginti septem*, pro quibus injunxit annuum onus Missarum *nonaginta*, constituta Eleemosyna *Carolenorum trium*. Ex hoc Capitale a Majoribus Oratoris alienata fuere *Ducata* 111. Hanc alienationem haud animadvertens Sacerdos Galeotti omisit per *decennium* celebrare annuas Missas *quatuor*, in totum *qua-*

quadraginta. Oratoris pater utpote auctor praedictae alienationis teneretur ad reintegrationem, sed impos omnino est ad supplendum, tum ob ingravescentem aetatem, unde nequit suam exercere Artem Pharmacopolae, tum ob depopulationes, et incendia, quibus misere vexatus fuit in praeterito bellorum tumultu.

Interea fructus residui capitalis diminutioni obnoxii fuerunt, quia restitutae censuum sortes in investimentum erogatae fuere non ad rationem *octo*, sed *quinque*, *sex*, aut *septem* in singula *centum*: quia etiam Debitores diminutionem fructuum obtinuerunt. Nunc itaque ex superextanti Dote, detracto *decimo*, quod sibi pro *rata commodi* retinent censuarii, percipiuntur tantum *Ducata Quindecim*. Haec quoad *Capitale* ab initio constitutum.

Fundus praeterea ab Institutore Beneficii doti adjunctus fuit, ex quo percipiebantur annua *Ducata Octo*, unde celebrandae erant quotannis aliae Missae *sexdecim* ad Eleemosynam *Carolenorum trium*; at nunc deteriorato fundo, vix redeunt annua *Ducata tria*.

Tandem aliud Capitale Ducatorum *quinquaginta novem* cum dimidio constitutum in censibus ad rationem *scutorum acto* Fundator in Testamento reliquit, ex quo redeunt annua *Ducata quatuor*, et *Grana* 76., et pro hoc reditu alias *Missas sexdecim* ad Eleemosynam *Carolenorum trium* sunt celebrandae.

Ex his simul collectis patet quod ex fundatione dos hujus Beneficii erat *Ducatorum triginta novem*, et *Grani* 76., et onera *Missarum centum viginti duarum*. Nunc reditus diminuti sunt ad *Ducata viginti duo*, et *Grana* 76. Quare Sacerdos Galeotti postulat reductionem in futurum, et absolutionem *Missarum quadraginta* in praeteritum non celebratarum.

Episcopus, et cujus *Informatione* hactenus exposita decerpsi, refert Eleemosynam manualem usu receptam - *è un Tarì, sebbene alla più ristretta ragione si riceve pure a* Carlino -; ita vero concludit - *Parmi, che l' Oratore non possa disobligarsi o di celebrare, o di far celebrare le* 40. *Messe da altro Sacerdote a quella ragione, che potrà convenirsi, perchè per sua colpa attrassate, chè non possa sfuggire*

il rimpiazzo de' Ducati 111. *allorchè se ne avrà il potere ; perchè dissipati contro la volontà del Fondatore ; che l' Oratore , essendo Beneficiato , e Beneficiato della Famiglia debba percepire lo stipendio delle Messe alla ragione prestabilita dal Testatore , come sopra . Finalmente lascio alla loro savia decisione il dubio , se l' Oratore sia , o nò tenuto a celebrare le Messe non dette , e da dirsi a misura della rendita , che non si ha dal Capitale di Ducati* 111. *già dissipati* - .

De reductione EE. PP. deliberare dignabuntur sub *primo Dubio* ; Ob diminutionem redituum haec postulatur , sed quoniam *centum viginti duae Missae* celebrandae sunt , sane ex annuo reditu *Ducatorum viginti duo* suppetit manualis Eleemosyna . Dum vero reditus, licet diminuti, pares sunt oneribus , reductio locum non habet, ut passim Sac. Congregatio , et praecipue in *Maceraten. Reductionis Missarum* 12. *Julii* 1798 . Maxime cum Beneficiatus consequi debeat Capitale in Ducatis 111 a suis Majoribus distractum ; unde reditus augmentum consequerentur .

Verum observandum est non agi de Missis manualibus , aut simpliciter praescriptis , nulla constituta certa Eleemosyna . Res est de Missis Beneficio adnexis, quibus fundator certam statuit majorem Eleemosynam , ut Beneficiatus pinguiori frueretur emolumento . Cum vero haec Eleemosyna pro praesenti reditu deficiat , videant EE. PP. , num ex praesumpta Testatoris voluntate , sit facienda reductio ad Eleemosynam a Fundatore praescriptam . Non enim insolens est , ut reductio juxta vires Capitalium concedatur , ut tradunt *Monacel. Formul. legal.* 19. *Tit.* 20. *Part.* 1. *num.* 25. , *et Sacra Congregatio in Viterbien. Reductionis Onerum* 8. *Maji* 1784. , *et in Portugalen. Reductionis onerum* 27. *Augusti* 1796. Atque in praesenti casu potius quam derogatio piae Testatoris voluntati , justa illius interpretatio viam quodammodo ad reductionem concedendam sternere videtur . Quo vero ad reintegrationem alienati Capitalis quam Episcopus faciendam censet , sed impossibilem putat ob impotentiam obli-

gati

gati videant EE. PP. an providendum sit sub *Modo* adjiciendo responso hujus *Dubii*, saltem, si placeat, per aliquam summam quotannis in hanc causam erogandam.

In altero *Dubio* quaeritur de Absolutione quoad praeteritum quam Episcopus negat concedendam esse. Attamen idem Episcopus affirmat *per una svista* inadimplementum evenisse. Si igitur ex ignorantia quaedam bona fides elici potest, si agitur de Beneficiato, cujus familia tot perpessa est aerumnas, et damna, Vestrum erit judicium, num ei a Sanctissimo sit quoad praeteritum exoranda absolutio.

Dubia sunt hujusmodi

I. *An, et quomodo sit locus reductioni in casu etc.*

II. *An sit consulendum SSmo pro absolutione quoad praeteritum in casu ec.*

Non proposita cum sequenti.

BALNEOREGIEN COMMUTATIONIS VOLUNTATIS Proposito in Congregatione *diei* 1. *Martii* currentis anni Dubio, *An, et quomodo sit locus commutationi voluntatis, et erectioni Cappellaniae in casu ec.* in sequenti Congregatione *diei* 29. *Martii* responsum fuit - *Dilata, et Episcopus referat de bonis a Rosa Belli assignandis, eorumque valore, nec non de illius obligatione in forma juris valida.* *Sess.*11.*Cap.*6. *de Reform.*

Ad haec respondit Episcopus, quod in notula bonorum in prima *Informatione* transmissa, quae per aequivocum inscripta fuit tamquam notula bonorum hae-

reditariorum Bernardinii Canallo, adnotatum legitur Predium in vocabulo *Poggio Cornacchia* cum adnexa Crypta aestimatum *scutis sexaginta*, quod pertinebat ad Rosam Belli, quae illud post obitum primi viri acquisiverat. Hoc Praedium Mulier caeteris Viri sui bonis unire proposuerat, ut Cappellania erigeretur. Ex his patet eamdem semper manere dotem in scutis 150. et annuum fructum scutorum *Decem*.

Quoad obligationem vero in forma juris validam eam perficere nequivit Rosa, quia post oblatas preces pro erectione Cappellaniae defuncta est. Notandum tamen in facto est, quod illa supremis tabulis Haeredem usufructuarium instituit Philippum Roscini secundum Virum adjecta Lege: *E siecome a norma della supplica dovranno sodisfarsi le Messe, queste vuole che per la sua tangente si facciano soddisfare da detto Filippo, finchè goda tal terreno, cioè numero sei per ogni anno.*

rPimum Cappellanum nominavit Sacerdotem Josephum Rossetti. Quamquam ex Testamento videatur in eadem permansisse voluntate, ut bona sua, sive fundum *Poggio Cornachia*, cessato usufructu secundo viro relicto, uniret bonis primi viri pro erectione Capellaniae; attamen in Codicillis proprietatem dicti fundi *Poggio Cornachia* Nepotibus suis Joanni, et Bernardino Belli reliquit; unde videtur si non expresse, implicite tamen voluntatem de Cappellania instituenda revocasse.

Reassumpto itaque Folio Congregationis *diei 1. Martii currentis anni* dignentur EE. PP. dirimere Dubium.

An, et quomodo sit locus commutationi voluntatis, et erectioni Cappellaniae in casu etc.

Die Sabathi 9. Augusti 1817. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua præter alia proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

ROMANA NULLITATIS MATRIMONII. Cassandra Luci orbata matre, cui nomen *Maria Mondelli*, Patre adhuc vivo *Angelo Luci*, qui ad secundas nuptias transierat cum *Maria Bocchini*, aetate annorum fere *Viginti* in faciem Ecclesiae matrimonium contraxit cum *Vincentio Benlloch* tanquam *filio Stephani de Valentia*. At in hujusce Sponsi Cognomine, et origine mentitum est tum in actis, quae praecesserunt, tum in ipso Matrimonio. Nam licet ex *fide Baptismatis* constaret, eundem ortum habuisse *in Castro novo Farfensi ex Stephano Venturini*, et sub hoc nomine *Vincentii Venturini* descriptum fuisse in Codicibus Parochialibus SS. *Simonis, et Judae*, quae statum Animarum anni 1798. continebant, tamen sub hoc ementito Nomine *Vincentii Benlloch filii quondam Stephani de Valentia* ad probandum *Statum liberum* in Actis Eminentissimi Vicarii Urbis inducti fuere Testes *Pius Caldani, et Paschalis Orfidi*, qui affirmarunt *Benlloch è forastiere*. Sub eodem nomine *Vincentii Benlloch* una cum *Cassandra Luci* sponsa ab R. P. D. Vicesgerente *dispensationem a publicationibus* exoravit annuente Parocho *S. Stephani in Piscinula* Sacerdote *Joanne Magnani*, qui die 28. Novembris 1798. conjunxit *Cassandram Luci istius Paroeciae*, atque *Vincentium Benlloch filium quondam Stephani de Valentia ex Parochia SS. Simonis, et Judae*; praesentibus Testibus *Pio Caldani ex Paroecia S. Thomae in Parione, et Luca Giuliotti hujus Paroeciae*. Cassandram vi, ac metu coactam in hoc Matrimonium consensisse affirmant plurimi Testes; sunt

Sess. 24. cap. 1. De Reformat. Matrimonii.

sunt tamen et alii qui id negant. Certum vero est ex Conjugum confessione Matrimonium fuisse consumatum. Ortis dissidiis brevi temporis intervallo, et ad Tribunal Vicariatus deductis, Cassandra discessit a Viro, cum quo numquam amplius convenit. Tunc ille militaria sequutus stipendia ab Urbe discessit, et nunc Mediolani vitam ducit.

Emenso jam anno 1814. Cassandra preces obtulit SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO in quibus narrans quod *minacciata della vita da un Giovine chiamato Vincenzo Benlloch per solo timore si trovò costretta di sposarlo, avendo avuto mano a questo Matrimonio una di lei Matrigna con mille supposizioni* - veniam postulavit - *d' intentare il Giudizio di nullità del suo Matrimonio* - Ex Rescripto Sanctissimi *diei* 21. *Januarii* 1815. delegata est causa huic S. Congregationi, *quae procederet prout de jure ad formam Constitutionis S. M. Benedicti XIV.* Statim inchoatus, et prosequutus fuit *Processus* ab Emeritissimo Antecessore meo, atque a me absolutus, qui nunc integer typis impressus EE. PP. distribuitur. De quo aliquid notandum pro meo munere arbitror.

Quaestionibus subjecta fuit *Cassandra Luci*, et examinati testes ad vim, metumque probandum ab eadem inducti. Alii testes ex Officio rogati fuere a Defensore Matrimonii, et acta matrimonii inserta fuere.

Ita se res habuit ad *diem* 25. *Junii* 1816., a qua die usque ad *diem* 17. *Augusti* plures productiones Testium, intimata *Cassandra*, *et defensore Matrimonii* factae fuere instantibus vel *Aloysio Renzi*, vel *Antonio Battistoni*, vel *Johanne Germanelli* Causidicis, nullo tamen *Mandantis* nomine indicato. Tunc Cassandra instetit coram me, ut praedictae depositiones auferrentur ab actis, praesertim quia non ad validitatem Matrimonii vindicandam, sed ad infamiae notam inurendam congestae fuissent. At in re tanti momenti nihil despiciendum putavi, ideoque mandavi, ut depositiones testium reassumerentur ad effectum illas alligandi in *processu* reservato jure favore Defensoris Matrimonii illos exa-

mi-

minandi ad formam Constitutionis *Benedictinae in parte*, *et partibus ad causam facientibus prout*, *et quatenus de jure*, ut *ex decreto die* 20. *Augusti* 1816. Tunc instauratum est Testium examen vel instante defensore Matrimonii ex iis, qui ab occultis oppositoribus inducti fuere; vel instante Cassandra, quae testes reprobatorios produxerat. Ubi ventum est ad examen *Caroli Bastia*, hic a me excitatus ad juramentum praestandum *de veritate dicenda* super interrogatoriis a Defensore Matrimonii confectis, renuit jusjurandum *in genere* emittere, quia praecedenti juramenti vinculo erat obnoxius - *di non palesare le persone*, *per le quali agiva* - Et licet monitus fuisset de facultatibus, quas opportune a SSmo Domino Nostro imploraveram, ut - *dovesse rispondere secondo la scienza a qualunque interrogatorio* -, *che di officio gli sarebbe stato fatto*, *non ostante qualunque siasi vincolo di giuramento* -, quemadmodum Summus Pontifex suprema authoritate mandaverat *Rescripto diei* 12. *Septembris* 1816. manu sua obsignato; attamen pervicaciter recusante pro veritate respondere, factaque per me relatione *die* 18. *Januarii* 1817. jussit S. Pontifex, ut *Bastia* in Arcem S. Angeli detruderetur sub stricta custodia retinendus, usque dum interrogationibus ex officio faciendis responderet, quo in casu absque ulla poena dimitteretur. Quod si praemissis tribus Monitionibus recusasset sese subjicere examini, tunc eadem Sanctitas Sua mandavit, ne ejus depositio, neque caeterorum testium *ab eodem causam habentium*, *veluti vel ab eo inductorum*, *vel ejusdem opera perquisitorum*, *quique ad ejus instantiam*, *aut suggestionem deposuerint nullam fidem in judicio mereantur*, *nullamque aut favore aut contra Matrimonium faciant probationem*. At nec trina monitio, nec Principis jussio recusantem Bastiam flectere potuerunt. Jussit praeterea eodem Rescripto Sanctitas Sua, ut unus Vincentius Cassandrae Vir, vel per se, vel per legitimum procuratorem, et defensor Matrimonii ex Officio possent pro tuenda Matrimonii validitate in judicio sistere rejectis coeteris viri, et Mulieris consanguineis.

Hisce

Hisce facultatibus munitus rejiciendum censui Josephum Venturini Vincentii fratrem, et qui se Procuratorem Vincentii, nullo tamen exhibito legitimo mandato procurae, venditabat; et licet praedictus Joseph ad Summum Pontificem reclamasset; attamen ex alio *Rescripto diei 29. Januarii* 1817. a judicio repulsus est, reservatis juribus Viro etiam per legitimum Procuratorem sua jura deducendi in hac S. Congregatione.

Tandem examinatis aliis Testibus a Cassandra inductis, et insertis aliis actis, iis praecipue jussu S. Congregationis gestis in Curiis Ecclesiasticis *Neapolis*, *Bononiae*, et *Mediolani*, ut Soror, Amita, et Vir Cassandrae examini subjicerentur, Processum publicandum mandavi. Haec EE. PP. praemonenda duxi, ut exponerem quae pro meo munere gessi in hac implicata causa, quae nunc proponitur instante *Cassandra Luci*, et contradicente *Defensore Matrimonii*.

Illa *impressam* distribuit *analysim Processus*, in qua eruit ex facto, quae apta ducit ad demonstrandam nullitatem Matrimonii, et quatripartitam *Allegationem juris*, in qua nullitatem Matrimonii ex *errore*, *ex vi*, *et metu*, *ex defectu solemnitatum* in contrahendo Matrimonio, tandem ex *simulatione* probare studet. Aliam percurrit viam Defensor ex officio in *Animadversionibus* distribuendis, in quibus omnes oppositas nullitates ad duo summa capita revocat, scilicet ad opposita vitia *formae, et substantiae*, atque super iis censuram instituit.

Ego vero, ut inter tot fuso calamo hinc inde deducta Vobis viam sternam, de omnibus agam sub triplici capite, nimirum *de qualitate testium, de vitiis formae*, et demum de *vitiis substantiae*.

DE QUALITATE TESTIUM veluti praeliminaris quaestio facienda erit, qui scilicet idonei sint ad probationem constituendam. Nam defensores Cassandrae in *Analysi* Processus negant admittendos esse illos Testes, quos conquisivit *Carolus Bastia*, sive quia Rescriptum SSmi *diei* 18. *Januarii* 1817. ademit omnem fidem tum *Carolo Bastia* tum aliis testibus ab ipso conquisitis et inductis, qui-

que

que ad ejus instantiam, et sugestionem deposuerint, sive quia constat eosdem testes pecunia conductos fuisse, et ejusmodi esse *Torricelli*, *Cipriani*, *Castelli*, *Rosa Casolini*, *Fabrizi*, *Malatesta*, *Joseph Venturini*, *et Aloysiam Caldani*. Defensor vero Matrimonii ita interpretandum esse contendit Rescriptum illud, ut adimat fidem extrajudicialibus eorum testium depositionibus, non vero eorum qui ante Rescriptum SSmi jam examini subjecti fuerunt, aut aliorum, qui in Urbe vel Bononiae ex officio rogati fuere, et sunt *Aloysia Soror*, Amita *Caldania*, et *Vincentius Vir*, quos ab eo Rescripto affici negat.

DE VITIIS FORMAE agit allegatio Cassandrae, ex quibus Matrimonii nullitatem educit tum ex defectu *publicationum*, tum ex defectu Testium in actu celebrationis Matrimonii. Nam R. P. D. Vicesgerens dispensavit proclamationes pro matrimonio contrahendo a *Vincentio Benlloch filio quondam Stephani de Valentia*, de quo acta Status liberi agebant, et pro hoc tantum dedit Parocho S. Stephani veniam nubendi. Licentia vero, et delegatio data sub nomine unius personae ad aliam diversam personam non extendi tradunt *Tondut. Quaest. Benefic. part. 5. Cap.* 154. *num* 1. *Card. de Luc. de Matrim. Disc.* 2. *et* 3. Perinde res igitur est, ac si Matrimonium celebratum fuerit sine dispensationibus, et sine licentia, ac proinde clandestinum *Consc. de Separ. thor. Cap. 8. lib.* 1. *num.* 113. Duos vero testes *Pium Caldani*, *et Lucam Giuliotti* matrimonii celebrationi non interfuisse contendit. Nam *Vincentius Vir*, *et amita Caldania* negant praeter sponsos, et consanguineos alium quempiam matrimonio praesentem fuisse, et *Pium Caldani* alterum ex testibus, qui *anno* 1794. ad exilium fuerat damnatus non constat ad urbem *anno* 1798. soluta poena reducem fuisse. Alterum vero Testem Lucam Giuliotti nedum *Vincentius*, *et Caldania*, *sed Cassandra*, *et Noverca Bocchinia* prorsus non memorant praesentem Matrimonio. Quin obstet, Parochum S. Stephani in *libro Matrimoniorum* affirmasse, hos testes praesentes fuisse. Nam Parochi

 te-

H testimonium habet pro se praesumptionem cum de legitimitate prolis agitur, non cum res est de probando foedere Matrimonii, ut tradit *Rota cor. Dunozet. Decis.* 308. *num.* 11.

Ad haec Defensor Matrimonii in *animadversionibus* contendit omissionem denunciationum, et defectum licentiae Matrimonium non vitiare, si, ut in praesenti casu celebratus sit a proprio Parocho, ut statuit S. Congregatio in *Tadren.* 24. *Augusti* 1718, *et in Catanen. Dubium Matrimoniale* 20. *Januarii* 1798. Contrariis authoritatibus sibi vindicantibus in casu, quo Matrimonium non coram proprio Parocho, sed a Sacerdote ex licentia delegato initum fuerit. Tunc enim nullitate inficitur Matrimonium, si data sit delegatio sub uno nomine, quae alteri personae prodesse non potest. Quoad testium defectum in actu matrimonii contendit etiam ad effectum probandi initum fuisse foedus matrimonii, omnimodam habendam esse fidem Parocho, qui de matrimonio coram se, et indicatis testibus contracto testatur, ut statuit S. Congregatio *in Fabrianen.* 4. *Junii* 1768., *et in Maceraten.* 17. *Aprilis* 1798. Addit, ex dicto ipsius Cassandrae, interfuisse nuptiali solemnitati *Pium Caldani*, qui licet exilio mulctatus esset, potuit anno 1798. in maxima rerum publicarum subversione Romam redire.

DE VITIIS SUBSTANTIAE, et primum de *errore*. Defensores Cassandrae contendunt ipsam errasse in persona, vel saltem in qualitate, quae in errorem personae redundabat. Etenim censuit contrahere cum *Vincentio Benlloch*, quando revera nupsit *Vincentio Venturinio*. Error vero personae, cum circa substantiam versetur, libertatem consensus aufert quoad vinculum, et propterea matrimonium irritat, ita ut etiamsi consummatum fuerit, sit rescindendum ad tradita per *Schimier jus can. lib.* 4. *tract.* 3. *cap.* 2. *sect.* 3. *Pirhing. jus. can. lib.* 4. *tit.* 1. *sect.* 6. §. 3. *num.* 1. *Sanchez. de Matrim. lib.* 7. *disput.* 18. *num.* 11. Ita definitum fuisse ajunt a S. hac Congregatione in *Bononien. Nullitatis Matrimonii* contracti a *Josepho Clerico* ementito nomine *Josephi Salvardi*. Quod si hoc Matrimonium staret,

ret, haec sequerentur absurda, ut cum ex fide matrimonii non constaret *Vincentium Venturini* fuisse matrimonii vinculo obstrictum, facile posset hic ad alia vota convolare, et *polygamiam* committere; atque si quis in Valentino Regno esset *Vincentius Benlloch* aeque posset Cassandram tamquam Uxorem suam vindicare.

Deinde contendunt Cassandram ita respexisse *ad qualitatem personae*, ut error in qualitate removeat consensum ab actu. Referunt testes ipsam abhorruisse Vincentium, utpote sibi aspectu horridum, attamen consilia, et suasiones privignae, et amitae, eam ad matrimonium induxisse, ut, cum ille esset nepos *Sacerdotis Benlloch*, qui divitiis affluebat, fugientem arriperet fortunam, et sibi ignota adhuc commoda vitae nancisceretur. Non ergo persona, sed qualitas, Cassandrae movit assensum, unde sequitur, ut error qualitatis redundet in errorem personae ut distinguunt *Clericat. de Sacrament. decis.* 19. *num.* 29. *Schimier. in jurisprudent. canon. civil. lib.* 4. *tratc.* 3. *cap.* 2. *sect.* 3. *§.* 3. *num.* 184. Neque error hujusmodi removetur, ex eo quod contractum fuerit matrimonium cum persona praesenti. Nam Cassandra non propter personam, quam abhorrebat, sed propter illam qualitatem, scilicet quia erat nepos divitis Sacerdotis hispani in matrimonium assentita est.

Ut hanc ex errore nullitatem evertat Defensor matrimonii regulam statuit, quod error nominis licet pertineat ad errorem personae, attamen ex eo non irritetur matrimonium, quando constat de persona, cum qua contrahitur. Hinc si quis desponsaverit mulieri *in propria persona*, *et sub nomine alieno* pro conjugio praesumendum esse disponit, *Cap. tua nos de sponsal.* Cum igitur Vincentius in propria persona matrimonium contraxerit, licet sub alieno nomine hoc fecerit, non tamen hic error nominis irritat matrimonium, cum constet de persona, ut tradunt *Gibert in jus can. de Sacrament. tom.* 3. *pag.* 105. *sect.* 3. *num.* 6. *Kugler. de Matrim. tom.* 1. *pag.* 300. *cap.* 2. *§.* 1. *num.* 1095. Maxime quia Vincentius matrimonium non contraxit

sub alieno nomine, sed ex duobus cognominibus *Venturini*, *et Benlloch*, unum tantum assumpsit, scilicet *Benlloch*, quo palam utebatur, quo casu error nominis, cum certa sit persona, non vitiat matrimonium, ut statuit S. Congregatio *in Compostellana, seu Licen. Matrimonii 29. Augusti* 1744. Hinc extraneam a causa dicit resolutionem in *Bononien. superius allegatam*. Etenim irritum fuit in ea declaratum matrimonium non ex errore, sed quia impetrata sub falso nomine delegatione contrahendi matrimonium coram Parocho non proprio, deficiebat in eo facultas matrimonium benedicendi. Porro mala, quae ex adhibito falso cognomine metuuntur, numquam evenerunt, et nunc detecto errore facile eis remedium praestari poterit.

Ex his deducit Defensor Matrimonii, nullo errore Cassandram deceptam fuisse circa qualitatem, ita ut in personam redundaret. Non enim Vincentius ei erat incognitus, nec personam absentem, et cognitam mentitus est, sed praesens ipse fuit, et Cassandrae notus. Quare ipsa consensum praestitit in personam sibi cognitam, et praesentem, quam ipsa putabat habere hanc qualitatem Nepotis Presbyteri Hispani. Ita S. Congregatio definivit errorem qualitatis non inficere Matrimonium nullitatis vitio, si persona sit cognita *in Romana Matrimonii 22. Septembris* 1708.

De vi, *et metu* plura in medium adducunt Defensores Cassandrae, ut probent vim reapse illatam fuisse. Haec controversia tota facti est, atque ex dictis testium demonstrare conantur, Vincentium fuisse ferocis animi: triduo ante Matrimonium ense districto irruisse in Cassandram, quae ab hoc Matrimonio ineundo repugnabat; Aloysiam sponsae Sororem, quae media unum alteramqne intercessit, vulneratam fuisse; in ipso Matrimonii actu Cassandram repugnantem consensui minaci vultu Vincentium coegisse, ut si non voce, capite saltem parum inclinato, post trinam interrogationem a Parocho factam assensum simularet; post matrimonium vero in ipso nuptiali convivio Cassandram non ut festivam Sponsam, sed ut desperatam foeminam in-

inter fletum, et suspiria versatam fuisse, fortiter in prima nocte operi maritali repugnasse, et in altera non nisi fractis viribus, et vi oppressam, et nolentem viro cessisse; ita ut quae fuerat ab initio, semper eadem animorum dissociatio perduraverit. Haec habent EE. VV. ex jurata depositione Cassandrae; haec referunt Noverca, et Soror, et Testes, qui eadem tempore non suspecto ab iis audivisse deponunt.

Ad jus quod attinet, notissimae sunt regulae: Matrimonium non rescindi, nisi per metum cadentem in constantem Virum, qui tamen talis in muliere esse potest, qui in viro non foret ut ex *Gloss. in Cap. cum locum* 14. *Verb. metus. de Sponsal. Sanchez. lib.* 4. *Disput.*3. *num.* 2.: metum vero probari etiam per domesticos testes *Coscius de Sep. Thor. cap.* 8. *num.* 29.*Rot. Decis.*147. *num.* 3. *part.* 1. *recen.* ex iis, tandem quae praecesserunt, et concomitata, et subsequuta sunt matrimonium, erui hujusce metus probationes *Coscius de Sep. Thor. Lib. I. Cap.* 8 *num.* 54. *Rot. coram Ludovis. Decis.* 126. *num.* 9. *et Decis.* 23 *num.* 2. *part.* 12. *Recen.*

Defensor Matrimonii statuit, quod juramento viri excludentis vim et metum standum sit, nisi de perjurio convincatur, ut S. Congregatio in *Praesmilien. Nullitatis Matrimonii* 18. *Julii* 1778., quae agit de casu, in quo mulier ad probandum metum articulos viro obtulerat. Hinc satagit demonstrare oppositam vis, et metus exceptionem nec *in facto* subsistere, nec *in jure* suffragari. *In facto*, ex dictis Novercae, et Amitae, et Viri, et aliorum testium multa rejicit, quae Cassandra jurata de coactione affirmavit; sed etiam ex dicto ipsius Cassandrae, quae idcirco se distulisse affirmat querelam nullitatis deferre, quia ignorabat errorem nominis, ex quo declaravit nihil in metu, et vi confidere. Arguit porro in *dicto*, et in *personis* testimonia, tum *Aloysiae* Cassandrae Sororis, et *aliorum testium* qui Cassandrae favent, et concludit Cassandram volentem, et lubentem matrimonium contraxisse.

EX JURE vero ostendit, quod metus hujusmodi talis esse debeat, ut cadat in constantem virum *ex Cap.* *Con-*

Consult. de Sponsal. scilicet, ut malum, quod timetur sit per se grave, ut certo immineat, ut vitari nullo modo possit. Quae conditiones ad probandum metum copulative requiruntur *Barbos. in vot. Decis. 77. num. 47. Reinffenstuel. Lib. I. Decret. tit. 40. num. 19.*; quas tamen conditiones a praesenti Causa procul exulare contendit.

De *simulatione* tandem pauca habet *allegatio* Cassandrae. Probandum assumitur, quod mentiti testes rogati fuerint pro *statu libero* Vincentii comprobando, atque ex hoc, et ex dispensatione publicationum sub falso nomine subrepta, ex vi Cassandrae adhibita, ut matrimonio assensum praeberet deducitur, Vincentium simulasse Matrimonium, ut ipse liber esset, et ex muliere sub specie uxoris turpem captaret quaestum.

At Defensor Matrimonii refutat hanc simulationem primum ex parte Cassandrae, praecipue ob praestita Matrimonialia obsequia per quinque, aut saltem per duos menses, unde consensus, etiamsi in actu Matrimonii extortus fuisset, convalesceret ex *Text. in Cap. Ad id de Sponsal.* et S. Congregatio *in Frisingen. 7. Maji 1718., et in Luceorien. 14. Septembris 1748., et 22. Martii 1749., et in Gesnen. Nullitatis Matrimonii 15. Januarii 1791.* Ex parte viri *in facto* excludit turpem quaestum ex uxore instituisse, et in *jure* statuit, quod cum non constet hanc conditionem appositam fuisse Matrimonio, nec a Cassandra acceptatam, tunc ipsa conditio, numquam autem Matrimonium, vitiaretur ad *tex in Cap. si Conditiones de Condition. appos. Fagnan. ibi lib. 4. tit. 5. num. 3.*

Dubium proponitur.

An constet de Nullitate Matrimonii in casu etc.

Negative.

PO-

POLICASTREN REDUCTIONIS ET ABSOLUTIONIS. *Sess. 23. cap. 4. de Reform.*

I. *An, et qnomodo sit locus reductioni in casu etc.*

II. *An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione quoad praeteritum in casu etc.*

Ad I. Affirmative ad tot Missas quot redditus pro tempore, et ad rationem Carolenorum trium pro qualibet Missa, Et Eqiscopus moneat Patrem Orationis, ut consulat conscentiae, sue eumque cogat ad reintegrationem alienati Capitali, ut quatenus impotens sit cogat Oratorem ad deponendam aliqua summam arbitrio ejusdem Episoopi praefiniendam usque ad reintegrationem Ducatorum centum undecim.

Ad II. Affirmative celebratis decem Missis pro omnibus ommissionibus Collective. *Sess. 11. cap. 6. de Reform.*

BALNEOREGIEN COMMUTATIONIS VOLUNTATIS.

An, et quomodo sit locus commutationi voluntatis in casu etc.

Negative.

PISANA. In Congregatione *diei 29. Martii proxime praeteriti* propositum fuit dubium - *An Parochi, in quorum Ecclesiis tempore adventus, et quadragesimae habentur Sacrae Conciones, per Praecones ab Ordinario approbatos, teneantur diebus festis in Missa Parochiali explicare Evangelium. in casu ec.* cui EE. PP. responderunt - *dilata et pro nunc servetur consuetudo cujuslibet Paroeciae* - Quo vulgato responso Archiepiscopus Pisanus muneris sui esse exi-

existimavit haec quae sequuntur, Vobis EE. PP. observanda proponere, quae hic ad verbum exscribam.

„ Evangelicae Allocutiones ex decreto Concilii Tridentini quavis infra Annum festa die inter Missarum solemnia a Curatis Paroeciarum Rectoribus, vel eorum Vicariis coram Populo habendae, Catheceses pariter circa ea, quae ad Animarum salutem sunt necessaria praedictis diebus opportune faciendae in Pisana dioecesi infra quadragesimam, et Domini adventum omittebantur, in iis praesertim Paroecialibus Ecclesiis, ubi per Sacros Concionatores festis dumtaxat diebus verbum Dei praedicatur „

„ Itaque Modernus Archiepiscopus Pisanus animadvertens hunc saluberrimum divini Sermonis Panem parciori dispensatione administrari, eo scilicet acceptabili tempore, quo majori frequentia, et largitate distribui oporteret, experientia docente familiares Parochorum Instructiones ruricolis praesertim utiliores fieri, quam Sacrorum Concionatorum declamationes, sui muneris debitum existimavit, cum aliquos Parochos in hac parte officio suo deesse rescierit, ad eos datis litteris inhibere, ne ab usitatis Cathechesibus, et Evangelicis explanationibus in Quadragesimae, et Adventus festivitatibus integrae observantiae se eximant, etiamsi in propria eorum Ecclesia per alios idoneos viros ab Ordinario immissos dissertior Concio fiat „

„ Hanc quidem Ordinationem complures Parochi Superioris voluntate obsequentes promptiori alacritate in tota dioecesi exinde adimplere festinarunt. Nonnulli tamen reluctantes adinventi sunt, quos ut ad officium perduceret, infrascriptus Archiepiscopus Pisanus post adhibitas frustra adhortationes benevolentiae plenas auctoritate sua compellere coactus est „

„ Interea contigit, scire quempiam ex istis ad EE. VV. RR. confugisse, hoc fortasse consilio, ut, favente oraculo vestro, rationabilis causa in promptu esset ulterius liberiusque reluctandi. Constat vero Sacram Congregationem vestram sub *die 29. Martii* novissime elapsi resolutionem propositi dubii di-

stu-

stulisse, cuique Paroeciae respectiva consuetudine reservata „

„ Rationes praecipuas hinc exponit Archiepiscopus, quibus motus jussit Parochis, ut usitatis instructionibus conciones Populum suum pascerent eo etiam tempore, quo Sacrae conciones per delegatos ab ordinario haberentur „ ,

„ Regogitavit quae in Tridentino Concilio *Sess.* 5. *Cap.*2. personalem cuique Parocho istruendae Christianae Plebis obligationem imponunt - *Diebus saltem Dominicis*, *et solemnibus* - facultatem dumtaxat attributa iis Parochis, qui legitime impediuntur, alium Sacerdotem praeficiendi, qui huic muneri satisfaciat: omnes de caetero indistincte teneri ad Plebem sibi commissam Scientia Sanctorum imbuendam non exceptis festis diebus Quadragesimae, et Adventus. Insuper ex praefato Concilio *Sess.* 24. *Cap.* 17. in Quadragesima et Adventu potest Episcopus subditos Parochos ad praedicandum compellere - *Quotidie* sed saltem tribus in Hebdomada diebus, si ita oportere duxerit " .

„ Hinc Pisanus Archiepiscopus opportunum judicavit praedictis Parochis praecipere, ut singulis festis diebus infra annum coram Populo praedicent, eumque cathechizent, non exceptis Quadragesima, et Adventu, etiamsi non desint in illorum Ecclesiis alii Verbi Dei Praecones ad id onus speciatim im missi, ut publice concionentur. Quomodo autem ex tali dispositione Parochi ipsi gravari se nimium contendent? Quomodo hujusmodi Mandato abesse moderationem debitam sustinebunt? Concessum est contrariam consuetudinem invaluisse. Quid roboris consuetudo ista retinebit in praejudicium pastoralis solicitudinis Ordinarii, et animarum utilitatis omni assiduitate, ac labore comparandae? Qui aderit justus titulus officium supra relatum impune deinceps negligendi? „

„ Ex hac igitur circumstantia Episcopalis praecepti contrariam consuetudinem abrogantis ab appellantibus silentio praeterita infrascriptus Archiepiscopus ipse certam acquirit spem, quod EE. VV. RR. ipsius memoratam dispositionem circa onus Parochorum

Praedicationis, et Catechesis, etiam in diebus festis Quadragesimae, et Adventus exercendae, ineluctabili judicio vestro comprobare, et confirmare dignabuntur ".

Et his EE. VV. deliberare poterunt.

An Parochi in quorum Ecclesiis tempore adventus et Quadragesime habentur Sacrae Conciones per Precones ab Ordinario approbatos teneantur diebus festis in Missa Parochiali explicare Vangelium in casu etc.

Non proposita cum sequentibus.

Sess. 22. Cap. 6. de Reform.

AESINA COMMUTATIONIS VOLUNTATIS Elisabeth Uccellini Testamento *diei* 2. *Martii* 1764. Annam Sororem suam haeredem scripsit, eique, si sine prole decederet, Pium Missarum legatum substituit his verbis - *Seguita poi la morte della predetta Anna (in caso si maritasse) senza figli legittimi, e naturali, ordino, e voglio, che detti Beni rimanenti si vendano dalli miei Esecutori Testamentarii, e col ritratto si paghino liberamente per una sol volta Scudi cinquanta moneta Romana da pavoli dieci per Scudo alli figli di Bartolomeo Uccellini miei Nipoti, e col residuo celebrino, o facciano celebrare tante Messe in suffragio dell'Anima mia, e secondo la mia intenzione con dare la solita elemosina*:

Nulla suscepta sobole *die* 7. *Martii* 1810. obiit haeres instituta. Porro haereditas constabat ex duobus praediis Rusticis quorum valor ad summam *scut.* 719. 16. assurgebat, nec non ex duabus domunculis *in scutis* 300. aestimatis, quae simul juncta constituebant *capitale* Scutorum 1019. 16. unde detractis oneribus annua Scuta 56. percipiuntur. Verum Executores Testamentarii, consentiente Episcopo ob temporis vicissitudines, fundos, quemadmodum Testa-

ta-

tatrix jusserat, numquam alienarunt; sed ex fructibus perceptis a *die* 7. *Martii* 1810, *ad diem* 8. *Maji* 1817., per Septemnium, et ultra Missarum celebrationem curarunt pro summa tantum Scutorum *centum*.

Alium Pium legatum reliquerat Archipresbyter Massatii Antonius Machirelli in Testamento scripto *die* 6. *Novembris* 1770. quo defunctis haeredibus Testamentariis jussit - *che dal Signore Esecutor Testamentario pro tempore si vendano tutti, e singoli Beni sudetti, ed il ritratto si applichi in far celebrare tante Messe in Suffragio della di lui Anima, e di dette Eredi usufruttuarie, e secondo la di lui intenzione da Sacerdoti, Preti, e Religiosi di questa Terra del Massaccio, ed in quelle Chiese, che pareranno, e piaceranno al medesimo Signor Esecutor Testamentario, e nel tempo, e termine, che allo stesso parerà, e giudicherà più proprio*.

Ex reditibus hujus, alteriusque haereditatis *annua scut.* 36. 48. percipiuntur. Testatoris voluntati derogatum fuit ex Rescripto S. M. Pii VI. *diei* 22. *Junii* 1794., quod est hujusmodi. - *Sanctissimus attentis expositis, ac relatione, et voto Vicarii Capitularis Aesinae tunc Vacantis Ecclesiae benigne mandavit, ut postquam decesserit postrema haeres usufructuaria Archipresbyteri Antonii Machirelli, bona omnia infructifera haereditatis ejusdem Archipresbyteri alienari debeant ab Executore Testamentario ad effectum tamen deponendi pretium, illudque tuto, ac utiliter investiendi in bonis, seu capitalibus liberis fructiferis favore ejusdem haereditatis. Quae bona, ut supra acquirenda una cum aliis bonis fructiferis memoratae haereditatis Executor Testamentarius, sive alius idoneus Administrator ab Eminentissimo D. Cardinale Episcopo Aesino deputandus, diligenter administrare debeat fructusque annuos similiter semper investire, et multiplicare, donec ex hoc multiplico, aliisque piis Legationibus favore introscriptae causae piae fortasse obventuris tot cumulata fuerint bona, quae una cum dictis bonis haereditatis sufficiant ad erigendam in Oppido - del Massaccio - Piam domum, de qua in precibus*

 cui

cui Sanctitas Sua nunc pro tunc bona omnia haereditatis Machirelli, aliaque, ut supra acquirenda benigne in perpetuum applicavit, reservata erectione Piae Domus Eminentissimo Episcopo Aesino cum regulis, et legibus suo arbitrio, et prudentia statuendis. Et ita non obstantibus testamento Archibresbyteri Machirelli, caeterisque aliis quomodolibet in contrarium facientibus,

Commutationem voluntatis Elisabeth Uccellini, et derogationem Rescripto Sanctissimi, quoad haereditatem Archipresbyteri Machirelli postulat modernus Archipresbyter Collegiatae Massatii, ut reditus utriusque haereditatis pro summa *scutorum quadraginta* applicentur pro stipendio duorum Cantorum in praedicta Ecclesia Collegiata deputandorum, et pro reliqua summa in Hospitale erigendum *Per gl'Invalidi miserabili più bisognosi di ricovero*. Vicarius Capitularis, cujus sententia rogata est audito Capitulo, et Executoribus Testamentariis, refert omnes huic applicationi assensum praebere, et insuper Capitulum postulare, ut ex fructibus dictae haereditatis alia *scuta decem* erogentur in stipendium Magistri Caeremoniarum. Ipse vero Vicarius Generalis hanc commutationem voluntatis, et applicationem probat ex rationibus inferius recensendis,

I. Dubium respicit Commutationem voluntatis Elisabeth Uccellini, ut suspensa celebratione Missarum ex pretio a Fundis haereditariis alienandis percipiendo, impendantur illorum fructus in stipendium duorum Cantorum, et Magistri Caeremoniarum, et in subsidium duodecim Pauperum infirmorum. Opera hujusmodi sane laudabilia sunt, et praecipue illud quod in auxilium infirmis praestandum proponitur, ut tradidit S. Congregatio *in Tolentina* 17. *Maji* 1729., *et in Aversana* 17. *Decembris* 1732.

Sed si - *ea quae ad certum usum largitione sunt destinata fidelium ad illum debent, non ad alium salva quidem Sedis Apostolicae Auctoritate converti* - Ut monet *Clem. quia contigit de Relig. Dom.* Videant EE. Patres num justa, et necessaria intercedat causa, ex qua commutatio fieri debeat ex praescripto Tridenti-

ni

ni *Sess. 21. Cap. 4. Sess. 22. Cap. 5. Sess. 23. Cap. 18. De Reformat.* Ita autem necessaria causa sit oportet, ut nullo alio modo, nisi commutata voluntate, publico bono consuli possit, *ad Text. in L. 1. C. de SS. Ecclesiis in L. omnium ff. de* Testam. *docet Francisc.* Top. *de Potestat. Princip. §.5. num.* 13. *et* 14. *Valent. de Ultim. Voluntat.* Vot. 27. *num.* 102. Juxta hujusmodi regulas judicium reddendum erit de causis, quas Archipresbyter Orator in medium affert, ut commutationem voluntatum assequatur, nimirum de augmento servitii Chori Ecclesiae Collegiatae, et de sublevandis Pauperibus infirmis; et secum reputent EE. PP. an potior esse debeat voluntas Testatorum, qui Missarum celebrationem jusserunt, quorum voluntas, facta juxta propositum modum commutatione, penitus subverteretur. Alias S. Congregatio, cum ageretur de commutando Legato Missarum in erectionem Oratorii, in quo diebus Festis Ruricolae a Paroecia distantes Missam audire possent; nihilominus rejecit commutationem voluntatis in *Amerina applicationis Legati Missarum* 19. *Decembris* 1801.

II. Dubium spectat ad derogationem Rescripti SSmi *diei 22. Junii* 1794. quo S. M. Pius VI. commutata voluntate Archipresbyteri Machirelli, ejus haereditatem applicavit in erigendis Scholis Puellarum. Cum ex hoc Rescripto commutata jam sit voluntas, quaerendum tantum erit, utrum sit immutandum objectum applicationis, scilicet an neglectis Scholis Puellarum, quae hactenus erectae non fuerunt, reditus haereditarii erogandi sint in Stipendium Cantorum, et subsidium Infirmorum. Si Pontificium Rescriptum exequi nequit, si nulla spes superest erectionis Scholarum, videant Sapientissimi Patres, num in alias propositas causas fieri debeat applicatio, seu potius reviviscat Testatoris Machirelli voluntas, ita ut illius exequutio sit imperanda. Quae superius in primo dubio adnotata sunt, huic secundo aptari posse videntur.

Quod si EE. VV. et commutationem voluntatis Elisabeth Uccellini, et derogationem Rescripti Pontificii SSmo Domino Nostro consulendam censeant; tunc

in

in *III. Dubio* statuendum erit, quomodo facienda sit applicatio. Modum exponit Episcopus in sua Informatione - *Et revera duo Cappellani Cantores quorum omnino caret Collegiata, videntur ultimae necessitatis. Nam Canonici, qui in modis Musicis erant periti, jam quasi omnes aut decesserunt, aut processerunt in annis, et usque adhuc munus hoc sustinuerunt Religiosi extra claustra degentes: Cultus igitur Omnipotentis Dei, et decus Capituli egent certissime hujus auxilii; sed et maxime decorum esset, si juxta petita facta in Comitiis Capitularibus diei* 10. *Decembris* 1816. *ab uno Canonico detraherentur etiam scut.* 10. *pro Caeremoniarum Magistro a Capitulo eligendo, quo etiam caret Capitulum, eo magis quod unicuique Cappellano imponi potest in perpetuum onus celebrationis in Collegiata Missarum* 20. *et Magistro Caeremoniarum decem in eadem Ecclesia, talique modo non defraudarentur, nisi in parte mentes Testatorum. Insuper si summa Clementia EE. PP. dignaretur admittere preces supplicantis, Quid Deo carius, quid ipsis Testatoribus utilius, quid denique misericordius Pauperibus infirmis praestari potest, quam publicum confugium charitatis, ubi in auxiliis Religionis, et pietatis exalare Animas valeant?*

Tria proponuntur Dubia.

I. *An sit consulendum SSmo pro commutatione voluntatis Elisabeth Uccellini in casu etc.*

II. *An sit consulendum SSmo pro derogatione Rescripti diei* 22. *Junii* 1794., *in casu etc.*

III. *An et quomodo sit locus applicationi haereditatum Uccellini, et Machirelli in casu etc.*

SAN-

SANCTI SEVERINI DIVISIONIS ONERIS. Dum S. Pontifex Xistus V. in sua *Constitutione* edita anno 1588. cujus initium - *Circa Pastoralis* - restituit, et auxit Capitulum Cathedralis Septempedanae jussit, ut in ea erigeretur Praebenda Theologalis, eique Congruae titulo constituit - *reditum annuum Octo Grani, et decem Vini salmarum ad quinquaginta scuta similia, vel circa ascendentium ab uno, et una ex canonicatibus, et Praebendis jam erectis praedictis, quos primo inibi per cessum etiam ex causa renunciationis etiam in nostris seu pro tempore existentis* Romani *Pontificis manibus, et alias quovis modo vacare contigerit, aut si jam actu vacaret, ex eorum fructibus, et reditibus, et proventibus, qui ut etiam accepimus in Grano, et Vino consistunt* -. *Sess. 5. Cap. 1. de Reform.*

Non raro contigit, ut Canonicus cui hoc onus ex *Xistina Constitutione* impositum fuit, tantam non perceperit tritici, et Vini quantitatem, quantam Canonico Theologo repraesentare tenetur. Hinc lites persaepe exortae sunt; hinc inter unum alterumque Canonicum animorum dissociatio, quae certe non decet Ecclesiasticos Viros ejusdem Ecclesiae servitio mancipatos.

Possidet nunc Canonicatum hoc onere gravatum Canonicus Laurentius Paladini, qui ut suae, et communi prospiceret utilitati consensum obtinuit a reliquis Canonicis primae erectionis, ut hoc onus in posterum inter singulos dispertiretur, ita scilicet, ut Praebenda primo vacatura subministrare debeat unam salmam Tritici, atque unam *cum mensuris duodecim et dimidio Vini*, eademque servetur methodus in singulis futuris vacationibus, duplici praestatione imposita, si quando vacaverit Praebenda Archipresbyteralis; donec in posterum aequa lance unaquaeque Praebenda hoc annuae praestationis onus ferre teneatur.

Unicus Canonicus Mazza Poenitentiarius renuit consensum praestare, urgens exequtionem *Xistinae Constitutionis*, ne suus Coadjutor, qui jam ad Canonicatum consequendum jus quaesivit ex novo onere imponendo detrimentum capiat. Episcopus in sua *Infor-*

formatione precibus suffragatur. Refert enim sex esse Canonicos Veteris Massae, et Archipresbyterum: Nullam hos habere Praebendam, sed unumquemque ex Massa Capitulari ducto calculo per decennium annua *scuta* fere 120. percipere; Archipresbyterum vero annua circiter *scuta* 240., *ex quo fit, ut ultimo ex Canonicis, qui pro Theologo contribuere debet vix, ac ne vix quidem unde alatur relinquatur*. Hinc probandam esset censet novam divisionem, absque tamen praejudicio Coadjutoris Canonici Poenitentiarii, cui *terminum ad deducendum jura sua* in S. Congregatione praefixit. *Conveniens*, ita concludit, *profecto foret, ut qui una voce in Hymnis, et Canticis Deum laudant, una Massa alantur una eademque proportione subveniantur*.

Aperta sane est dispositio *Constitutionis Xistinae* nec ab ea recedendum esse videtur, nisi vobis EE. PP. probatum sit, necessariam, vel saltem aequam, utilemque esse novam hujusce oneris repartitionem - Dum enim S. Pontifex Xistus V. ultimam Praebendam gravavit onere, ut Canonico Theologo eam quantitatem Tritici, et Vini subministraret; profecto existimandum est, Canonicum, cui hoc onus, impositum erat, congruam ex praebenda habuisse substentationem. At si nunc, ut Episcopus testatur *vix ac ne vix quidem habet, unde alatur*. Videtur rem in eum casum incidisse, a quo incipere non poterat, nimirum ut nec ille Summus Pontifex annuam praestationem, cui ferendae impares erant Praebendae vires, imposuisset; ita ut ob variatas rerum circumstantias exorandum sit a SSmo, ut moderata *Constitutione Xistina* proportionata oneris repartitio probetur.

Sane ex Tridentino *Ses.* 5. *Cap.* 1. praescribitur, ut si non sufficiens comperiatur Praebenda Theologalis possit Episcopus eidem providere etiam- *per Contributionem Beneficiatorum suae Civitatis, et Dioecesis*-Non itaque repugnat in jure, ut Praebendae Theologali provideatur per repartitionem oneris inter omnes Canonicos, qui de una Massa participant. Haec vero repartitio cum fieri debeat super Praebendis vacaturis nullum praejudicium infert praesentibus Canonicis, qui assensum

prae-

praebent. Canonicus Poenitentiarius, qui instantiae refragatur, licet in termino praefixo non comparuerit, attamen si nihil habeat aliud quod objiciat, nisi detrimentum jurium sui Coadjutoris, huic sane consultum erit si, ut Episcopus proponit, sine ejusdem praejudicio nova repartitio approbetur.

Dubium proponitur.

An, et quomodo sit consulendum SSmo pro approbatione repartitionis oneris in casu etc.

CALLIEN., SEU URBINATEN. JURIS TUMULANDI. Castrum *Plobici* inter Calliensem, et Urbinatensem Dioecesim positum utriusque jurisdictioni aequis partibus subjicitur. In ea parte, quae ad Urbinatensem Ecclesiam pertinet posita est Paroecia S. Stephani, in qua suos habet Lares Familia Contini. Ex ea Sacerdos Bernardinus elapso Mense Februarii ad plures migravit, sed casu obiit in ea Castri parte, quae subjacet Calliensi Dioecesi intra fines Paroeciae S. Mariae Patruum Servorum, in quorum Ecclesia eadem familia Continia sexaginta, et ultra ab hinc annis gentilitium habet sepulcrum. Orta hinc est quaestio inter utrumque Parochum super jure tumulandi. Neuter ex ordinariis poterat de ea jus dicere, cum neutri in aliena Paroecia esset jurisdictio. At facto suo quaestionem diremit Parochus S. Stephani, qui funus *Sess.* 25. *Cap.* 13. *de Reform*

extulit, et defunctum in peculiari Sepulcro Sacerdotum in sua Ecclesia tumulavit. Tunc alter Parochus S. Mariae emissa contra factum protestatione, postulavit, ut S. haec Congregatio de suo, vel Adversarii bono jure decerneret. Rogata est sententia tum Archiepiscopi Urbinatensis, tum Calliensis Episcopi, iisque mandatum est, ut Parochis terminum statuerent ad deducendum jura sua. Nec unus, nec alter comparuit, sed uterque Ordinarius sui Parochi jura deducit, ac protuetur.

PAROCHUS S. MARIAE urget juris dispositionem, ut Sacerdos Contini, qui nulla electa Sepultura decessit, debeat sepeliri in Sepulcro gentilitio, quod in sua Parochiali Ecclesia extat ad *Text. in Cap. Nos 1. de Sepult. Cap. cum quis 2. et Cap. Is qui 3. eod. tit in 6.* - Is qui .... non electa Sepultura decedit, in „ ea, in qua Majorum ipsius ab antiquo Sepultura „ extitit sepeliri debebit, dummodo absque pericu- „ lo ad ipsam valeat deportari. Nec sibi obesse putat vel Synodales Urbinatenses Constitutiones anni 1793 quibus cavetur, *ut Clerici, et Sacerdotes extra Urbem decedentes sepeliantur in Ecclesia Parochiali, nisi dum viverent Sepulturam delegerint*, vel Sepulcrum distinctum, quod in Paroecia S. Stephani constitutum est pro Sacerdotibus. Nam Constitutiones Synodales nullam vim habere possunt extra Territorium, et in aliena Dioecesi ex Doctrina Benedicti XIV *de Synod. Dioeces. Lib. 13. Cap. 4. num. 9.* Ex Decreto vero S. Congregationis Rituum *in Senogallien diei 9. Maji 1705.* relato *a Tomacell. Formul. tom. 4. suppl. ad tom. 1. num.* 175. definitum fuit, Clericum, qui Sepulturam non elegit, in Sepulcro majorum, non clericorum sepeliendum esse. Unde ex hoc distincto Sepulcro Sacerdotum in Paroecia S. Stephani nullum Parochus sibi arrogare possit jus ad tumulandum Sacerdotem, qui habet gentilitiam Sepulturam.

PAROCHUS VERO S. STEPHANI jura sua plurimum a superius relatis Synodalibus Constitutionibus Urbinatensibus protueri confidit. Eas, ut pote personam respicientes, vim omnem exerere posse autumat in hoc casu, in quo agitur de Sacerdote degente in Paroe-

roecia S. Stephani Urbinatensibus Constitutionibus subjecta, nec contra eas praevalere posse jus sepulcri gentilitii in alia Dioecesi constituti. Nititur praeterea Parochus *Rituali Romano Tit. de Exequiis §. Sepulcra Sacerdotum* in quo ita praescribitur „ Sepulcra Sacerdotum et Clericorum cujuscumque ordinis, ubi fieri potest, a Sepulcris laicorum separata existant „ Quod Rituale vim legis habet, cum confirmatum sit auctoritate Apostolica Pauli V. ut pluribus collectis auctoritatibus docet *Ferrar. Bibliothec. Verb. Canon. Artic.* 8. *num.* 12. Hinc in casu non electae sepulturae Sacerdotem sepeliendum esse in separato Sepulcro Sacerdotibus destinato, rejecto gentilitio, definivit S. Congregatio super negociis Episcoporum, et Regularium proposita in *Senogallien.* 13. *Martii* 1690. *et in Forosempronien.* 1. *Septembris* 1690. quas refert *Nicolius Lucubrat. utriusque juris Lib.* 4. *tit.* 15. *num.* 23 Quas S. Congregationis Resolutiones praeferendas esse contendit Parochus S. Stephani aliis S. Congregationis Rituum, quia ex Sixti V. *Constitutione* 74. illa juri definiendo, de quo nunc quaeritur, instituta sit; haec ritibus tantum approbandis.

Tandem idem Parochus S. Stephani praesidium sibi quaerit ex Resolutione S. hujus Congregationis *in Tiburtina* 12. *Maji* 1685. Disputatum namque fuit - *An Canonicus decedens non electa sibi Sepultura debeat Sepeliri in Ecclesia Cathedrali, tamquam sua Paroecia, vel in Parochia domicilii, vel potius in Sepulcro Majorum* - rescriptum prodiit - *In Cathedrali, si in ipsa adsit sepulcrum proprium Canonicorum, sin minus in Sepulcro Majorum: his vero non extantibus, an Cadaver Canonici sit sepeliendum in Ecclesia Cathedrali, vel Parochiali in alia videndum*, quam ad verbum inveni *in Lib.* 35. *Decret. pag.* 231. *a tergo*. Ab hoc exemplo infert, ut aeque in Sepulcro Sacerdotum sepeliendus sit Presbyter non electa sepultura, potius quam in Sepulcro gentilitio. Nam eadem est ratio, scilicet praesumpta voluntas tum in Canonico, tum in simplici Sacerdote, ut in distincto Sepulcro deponantur.

His in utramque partem deductis pro meo munere ali-

quid addendum puto. Constitutiones Synodales Urbinatenses nihil decernunt de casu, quo Sacerdos Sepulcrum habeat majorum, ita ut potius in Cathedrali, si in Urbe decesserit, si extra in Parochiali, quam in Sepulcro gentilitio sepeliatur. Interpretandae itaque sunt Constitutiones ad juris censuram; aliter si ipso juri adversarentur, nullam vim haberent ad tradita per *Benedict. XIV. de Synod. Dioeces. Lib.* 12. *Cap.* 4. *num.* 12. Rituale vero Romanum praescribit quidem, ut Sepulcrum Sacerdotum sit a laicorum Sepultura separatum; sed videndum, utrum ex hoc sequatur, ut Presbyteri, qui habent Sepulcrum majorum, debeant in Sepulcro Sacerdotum tumulari non obstante dispositione juris, quae Gentilitio Sepulcro praerogativam concedit.

Tandem Resolutio Sac. hujus Congregationis in *Tiburtina* 12. *Maji anni* 1685. de Canonicis agit, quos sepeliendos esse decrevit in Cathedrali, si in ipsa constitutum sit sepulcrum proprium Canonicorum, sin minus in sepulcro Majorum. Utrum vero haec transferri possint ad casum Presbyterorum, qui habent sepulchrum distinctum pro Sacerdotibus in Parochiali, Vestrum erit, EE. PP., judicium. Videtur sane, non electa sepultura, praesumi posse in Canonicis voluntatem dormiendi cum Sociis in servitio, et ea in Ecclesia, cui viventes servitium praestiterunt. Ita in Sacerdotibus verosimile videri poterit voluisse sepeliri inter suos sanguine conjunctos, cum sepultura inter mortuos domicilio inter vivos aequiparetur; ut ex *Tex. in cap. Licet de sepultur. in* 6. *docet Barbos de Offic. et potest. Paroch. cap.* 26. *num.* 31. *Nicol. Lucubrat. Civil. lib.* 4. *tit.* 13. *num.* 23.

Si EE. PP. censeant, constare de bono jure favore Parochi S. Mariae; tunc in *secundo Dubio* statuendum erit; utrum sit locus exhumationi, et restitutioni cadaveris, et emolumentorum ad Ecclesiam tumulantem spectantium. Ita sane decernitur in *Cap. Animarum de Sepulturis in* 6., et statuit Sac. Congregatio *in Sorana Funerum* 24. *Aprilis* 1723. Aliquando vero, justa concurrente causa, et ad evitanda scandala remissus fuit illius Canonis rigor quoad exhumatio-

tio-

tionem Cadaveris, restitutis tantum emolumentis funeris, ut statuit *Rota decis.* 429. *num.*1. *part.* 18. *Recen.*, *et coram Bichio decis.* 439. *num.* 2. Parochus S. Stephani non omni prorsus carebat jure, et forsan in bona fide versabatur, cum niteretur Constitutionibus Synodalibus Urbinatensibus; attamen quodammodo jus sibi dixit, cum propria authoritate, et contra protestationes Parochi S. Stephani defuncti corpore potitus est. Num igitur cum eo adhibenda sit Indulgentia EE. PP. deliberabunt.

Geminum proponitur Dubium.

I. *An, et de cujus bono jure constet ad effectum tumulandi cadaver Sacerdotis Bernardini Contini in casu etc.* Et quatenus - *Affirmative favore Parochi S. Mariae*.

II. *An sit locus exhumationi, et restitutioni Cadaveris atque emolumentorum ad Ecclesiam tumulantem spectantium in casu etc.*

BURGI SANCTI DONNINI UNIONIS Archipresbyter Parochialis Ecclesiae SS. Martyrum Gervasii, et Protasii Oppidi *Zibelli* Franciscus Agnesetti postulat unionem Beneficii (cum primum vacare contigerit) sub nuncupatione S. Ferdinandi in rurali Oratorio intra limites illius Paroeciae erecti, ut ex hujus reditibus congrua parochialis augeatur. Ex *informatione* Vicarii Capitularis haec colliguntur. *Sess.*24.*cap.*13. *de Reform.*

Beneficium S. Ferdinandi anno 1796. erectum canonice fuit ad formam piae voluntatis *Joannis Baptistae Baroni*, qui Rectori onus injunxit celebrandi Missas singulis diebus Dominicis, et geminas alias infra hebdomadam, et officium defunctorum infra annum,

num, et celebrandi festum S. Ferdinandi. Voluit praeterea ut - *Rector pro tempore inhabitare teneretur domum in dotem beneficii* (ultra duos fundos rusticos) *assignatam, ac celebrare Missas, ut supra ordinatas per se, numquam vero per interpositam personam, excepto casu infirmitatis*. Primos Rectores nominavit Sacerdotem *Joannem Greppi*, qui jam beneficium possedit, et occubuit, et Sacerdotem *Franciscum Stringhini*, qui nunc Rector est. Hoc deficiente nemo alius nominatus fuit personaliter, sed juspatronatus, ac jus eligendi Rectorem, quotiescumque vacare contigerit spectat ad *Archipresbyterum pro tempore Parochialis Zibelli, qui semper ac omni in casu vacationis teneatur eligere in Rectorem Sacerdotem magis pauperem ab eo existimatum, qui ortus sit in dicta Terra Zibelli, et quatenus nullus adsit Sacerdos nativus Zibelli, teneatur nominare alium Sacerdotem sibi benevisum, qui nihil ultra possideat quam purum Ecclesiasticum Patrimonium*. Hujus beneficii reditus prout referunt Periti a Vicario Capitulari deputati attingunt annua *scuta* 113. 8., et deductis oneribus in summa *scutor.* 45. libera supersunt annua *scuta* 68. 6.

Reditus vero Parochiales juxta assignationem ab Archipresbytero Agnesetti factam ascendunt ad scuta *annua* 147. comprehensis incertis *scutorum* 50. Onera vero requirunt *scuta* 125. scilicet *scuta* 115. pro stipendio, victu, et habitatione Coadjutoris Cappellani, cujus opera necessaria est in Paroecia, quae in agrum protenditur, et numerosa est ad capita *bis mille*; et scuta *decem* pro distributione cerae in die festo *Purificationis*. Quibus oneribus deductis libera Archipresbyter consequitur annua *scuta* 22. Periti vero deputati deductis vectigalibus, et incertis casibus annuum reditum constituunt in *scutis* 97. 09. non comprehensis incertis, quae cum fatente Archipresbytero assurgant ad *scuta* 50. redit fere quantitas redituum ab ipso Archipresbytero assignata in *scutis* 147. Expensam tamen pro Cappellano Curato Vicarius Capitularis reducendam putat ad *scuta* 103., et ita detractis oneribus in *scutis* 113. congrua constituitur in *scutis* 34.

Te-

Tenuem vero esse hanc congruam idem Vicarius putat praecipue cum in Paroecia centum familiae indigentes reperiantur. Nulla alia sunt media ad eam augendam, cum nec decimis, nec symbolis Parochiani subjici, nec Confraternitates, et Loca Pia, quae vix oneribus ferendis sunt paria, opem aliquam Paroeciae suppeditare possint. Qua de re concludit, *firmis remanentibus oneribus a testatore ordinatis in Oratorio exequendis annuatim solemnizandi scilicet festum S. Ferdinandi, anniversarium defunctorum adimplendi, Missasque ibidem injunctas statutis diebus celebrandi per alium simplicem Sacerdotem a Parocho designandum loco Beneficiati, pioque, et si laico, per eum constituendo custode, qui continuo aedes Beneficiales ad earumdem tutamen, et Oratori Curam inhabitet opportuna videretur memorati Beneficii adveniente vacatione unio, de qua agitur Ecclesiae Parochiali; ex ea si quidem testatoris voluntas firma quoad substantiam maneret, Parochus levamen reportaret, et spirituali bono prospiceretur Parochianorum.*

Permittit Tridentinum *Sess.* 24. *Cap.* 13. *De Reform.* ut parochialibus Ecclesiis, quorum fructus tenues sunt per unionem beneficiorum simplicium succurratur. Atque in hoc concurrit necessaria illa causa, quae requiritur, ut una cum consensu interesse habentium uniones perficiantur; ut ex *Can.* 49. *Caus.* 26. *quaest.* 1, *cap.* Tua *nuper de his quae fiunt a Praelat.* tradit S. Congregatio *in Spoletana Unionis* 12. *Maji* 1804. Archipresbyter Ecclesiae *Zibelli*, cui juspatronatus pertinet, et praecipuum interesse habet, nedum assentitur, sed unionem postulat. Praejudicium tamen infertur pauperibus Sacerdotibus illius Oppidi, qui passivam habent vocationem. Praeterea dubitari potest, num agatur de Beneficio residentiali. Nam Fundator jussit, ut Rector habitaret in aedibus apud Oratorium, ut hoc custodiret, missasque in eo celebraret. Quare haec unio secumferret commutationem voluntatis Fundatoris, et vergeret in damnum ipsius Oratorii, quo in casu S. Congregatio uniones rejecit, ut in *Leopoldien.* 1. *Septembris* 1736.

Videant tamen EE. PP. num potior sit causa paupertatis

Pa-

Paroeciae. Nam pauperes Sacerdotes, quibus ex hac unione praejudicium infertur, incerti sunt, atque iis committi poterit celebratio Missarum. Custodiae vero Oratorii provideri posse putat Vicarius Capitularis per laicum, qui illius curam suscipiat. Residentia vero est impropria, ut pote a fundatore praescripta, non ex ipso officio derivans. Quoties vero omnia onera impleantur ad formam fundationis, levis fieri deberet voluntatis commutatio.

Haec secum reputent EE.PP. simulque perpendant, num re ipsa Parochialis paupertate laboret. Nam habet annuos reditus in annuis *Sc.*147. Excessiva vero nimis videtur impensa pro Cappellano Coadjutore in annuis *Scutis* 115. nec verosimile esse, ut Archipresbyter hactenus curam exercuerit pro tenui congrua *Scutorum viginti*, quin unquam reclamaverit. Nihilominus Vicarius Capitularis affirmat pro hac impensa requiri saltem *Scuta* 103. et congruam ab oneribus immunem annua *Scuta* 34. non excedere. Quare putat faciendam esse unionem, impletis tamen omnibus oneribus ad formam fundationis et deputato laico custode, qui Oratorii aedes inhabitet.

Dubium proponitur.

An et quomodo sit locus unioni in casu ec.

Sess.14. Cap.12 De Refor.

FIRMANA SERVITII CHORI ET REDUCTIONIS MISSARUM. Capitulum Collegiatae *Montis Auctonum* in Ecclesia Divo Petro Apostolo dicata erectum, constat duabus Dignitatibus, scilicet Archipresbytero, et Priore, sex Canonicis, ac tribus Mansionariis. Hi omnes, distincta Praebenda, cuilibet addicta, fruebantur, et insuper erat communis Massa distributionum. Servi-

vitium Chori ab omnibus praestandum erat diebus Festis, et per alternas Hebdomadas diebus ferialibus. Onere gravabantur insimul celebrandi annuatim Mille tercentum Missas pro bonis olim ad Confraternitates spectantibus, et eidem Capitulo addictis in erectione trium Canonicatuum, nec non unus Archipresbyter solvere tenebatur stipendium Sacristiae, et ceram, aliaque ad sacras peragendas functiones necessaria praestare.

Res ita se habuit usque dum in praeterita Pontificiae Ditionis hostili occupatione suppressa est Collegiata; Bona omnia a Demanio usurpata, et constituta pensio singulis Canonicis Scut. 84., Beneficiatis Scut. 42., et Archipresbytero Scut. 32. tantum. Nulla facta est alienatio Bonorum, quae modo sub publica administratione retinetur. Durante invasionis tempore, Canonici, licet Canonicalibus insigniis spoliati, servitium diebus festivis praestare, et Missas lectas pro Conventualibus applicare diebus ferialibus non omiserunt. At vix restituto Pontificio Regimine integrum Chorale Servitium ad formam Constitutionum iterum obierunt. Neglecta tamen ab iis fuit annualis Celebratio Missarum 1300., de quibus supra facta est mentio. Interea ob secutas vacationes cum tres Canonici instituti fuerint, quin unquam solutionem Pensionis obtinuerint, nec Choro interesse, nec Missarum celebrandarum oneri sese obnoxios esse putant.

Supplex Capitulum ac singuli Praebendati postularunt reductionem Servitii Choralis, et Missae Conventualis ad dies tantum festivos.

Rogatus de sua Sententia Archiepiscopus Capituli votis adhaeret confirmans, quae superius exposui, ac praesertim omissionem celebrationis 1300. Missarum in singulos annos, a die, quo Capitulum Bonis Confraternitatum fuit expoliatum.

Quousque Capitulum suis potiebatur bonis, quilibet ex Canonicis praeter peculiarem Praebendam annua circiter scuta centum percipiebat ex

Massa Distributionum. Nunc veteres Canonici, qui Pensione fruuntur scut. 84., minus quidem percipiunt, quam antea ex Praebenda, et distributionibus. Idem ducto proportionali calculo dicendum est de Beneficiatis.

Videndum itaque erit *in primo Dubio* num Chori Servitium, et onus Missae Conventualis sit reducendum. Diminutis sane Praebendis S. Congregatio hanc reductionem concessit, ut *in Placentina Missae Conventualis* 30. *Julii* 1796. Sed observandum est, quod licet Canonici antea perciperent fructus Praebendarum, et Scuta centum distributionum, ac modo scuta tantum *Octuaginta quatuor* percipiant; satis tamen emolumenti esse videtur pro Chori servitio singulis diebus festis, et diebus ferialibus per alternas hebdomadas. S. Congregatio reductionem Chori, et Missae Conventualis ad dies festos reduxit in casu, quo Praebenda tenuis adeo facta esset, ut impar oneribus sufferendis videretur, ut in *Ariminen*: 18. *Septembris* 1751., *et in Cassanen*: *Missae Conventualis*, *et pro Populo* 20. *Septembris* 1794.

Nec praetereundum, quod in praeterita Congregatione definitum fuit, Canonicos, qui Pensiones exigunt, loco bonorum, quae a Demanio alienata fuere, tener ad Servitium Chori, in *Brictinorien*: *Collegiatae* 12. *Julii nuper elapsi ad I. Dubinm*. Verum enim vero in hac Causa Brictinorien vix ulla, aut certe exigua intercedebat differentia interi reditum Bonorum, et pensionem iis subrogatam. E contra in praesenti Causa, si fructus praebendarum jungantur Distributionibus non leve certe occurrit discrimen.

Quamvis Canonici Oratores perceperint singuli Pensionem *Scutorum* 84. neglexerunt tamen, a die, quo Demanium bona usurpavit, celebrare Missas, quae infixae erant Fundis Sodalitatum Massae capitulari applicatis, ea lege, ut a Capitulo onera implerentur. Utrum his oneribus satisfacere nunc teneantur statuendum erit in *Secundo Dubio*. Si pensio subrogata est fun-

dis

dis occupatis, inter quos erant illi Confraternitatum pro Missis obligati, profecto Canonici habent unde Missas implere possint, et nisi oneri impar sit emolumentum, reductio concedi non potest ut in *Casalen. Reductionis Missarum* 17. *Decembris* 1796. Missae celebrandae quotannis sunt in numero 1300., ad manualem requiruntur annua *Scuta* 195. ita ut facta aequali distributione inter Dignitates, et Canonicos, unusquisque gravaretur onere 137. Missarum, quae respondent Scutis 20. 55. Tres vero Mansionarii sexaginta octo Missas celebrare tenerentur, quae ad manualem scuta decem, et obolos 20. constituunt.

At iterum redit difficultas quod Capitulares minorem summam ex Pensione percipiunt quam ex Praebendis, et Distributionibus, et diminutus est eorum numerus. Nam noviter provisi cum Pensione careant, minime sese oneribus obligatos putant, pro quibus nullum consequuntur emolumentum. Quare cum gravius onus in Capitulares exercentes redundet, si EE. PP. reductionem concedendam censeant, deliberandum erit, num potius onus Servitii Chori, et Missae Conventualis reducendum sit. Nam bona Sodalitatum Capitulo applicata nhil commune habent cum Servitio Chori, et ex jure est, ut potius alia onera quam Missarum reducantur in *Civitatis Castellanae Reductionis Servitii Chori* 30. *Maii* 1707.

De absolutione quoad praeteritum agitur in *tertio Dubio*. Non poterant sane Canonici proprio arbitratu negligere celebrationem Missarum statim ac Pensionem exigebant, quae subrogata dici poterat fundis obligatis pro celebratione Missarum. Ex hoc haud facile suasu erit, eos in bona fide fuisse versatos, qua quidem deficiente, absolutio quoad praeteritum concedi non solet in *Ferentina Reductionis, et Absolutionis* 26. *Junii* 1790. Videant EE. PP. num aliquid dandum sit conditioni temporum, in qua omissio sequuta est, et impotentiae supplendi, quae cau-

sa quoque esse solet ad indulgendam absolutionem in *Narnien. Reductionis 18. Februarii 1783.*

Tria proponuntur Dubia

I An et quomodo sit locus reductioni Servitii Chori, et Missae Conventualis in Casu ec.

II An onera Missarum infixa bonis Sodalitatum Capitulo applicatis sint adimplenda, seu potius sit concedenda reductio in casu ec.

III An sit consulendum Sanctissimo, pro absolutione quoad praeteritum in casu ec.

Die

Die Sabathi 30. Augusti 1817. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua præter alia proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

NARNIEN CAPPELLANIAE. Ultimo, cum quo decessit, elogio anno 1665. Sacerdos Dominicus Ficarelli, relicto usufructu *Felicitae Stefanoni* jussit, ut gemina erigeretur Cappellania, quarum nominationem Exequtori testamentario tribuit, et deinde Capitulo, et Canonicis Ecclesiae Collegiatae S. Mariae Majoris Oppidi Colliscipionis, vetans ne eligeretur *per Cappellano Sacerdote, che sia Canonico, acciocchè non venga il Coro ad esser diminuito*, atque praelationem dedit iis de Familia Ficarelli a Bernardino, et Josepho Ficarelli descendentibus, qui Subdiaconi, et Diaconi, vel Sacerdotes essent. Haec autem onera Cappellanis imposuit; nimirum duas Missas annuas in diebus festivis Nativitatis, et Resurrectionis *D. N. Jesu Christi* pro anima *Rosae Marinetti*, per alios etiam celebrandas; Missam hebdomadalem alternative a duobus Cappellanis celebrandam ad Altare Santissimi Rosarii in Ecclesia S. Mariae Majoris, et praeterea voluit, *che essi Cappellani siano obligati di pararsi, ed assistere per Diaconi, e Suddiaconi a tutte le Messe parate, che si celebreranno ordinarie, quanto straordinarie nella sudetta Chiesa di S. Maria Maggiore, tanto nelle feste Mobili, quanto nelle altre solennità, ed altre occasioni nelle quali alli Signori Canonici di S. Maria occorrerà di celebrare Messe cantate ec. e mancando uno, o tuttidue i detti Cappellani di non pararsi nelle sudette funzioni caschino in pena di due Giulj per volta per ciascheduno da applicarsi a chi si parerà in luogo suo, dando però facoltà in caso di necessità che non potessero pararsi di far*

Sess. 7. Cap. 4. Sess. 24. Cap. 17. De Reform.

far parare un altro in loro cambio, essendo la mente del Testatore, che vi siano Diacono, e Suddiacono parati in tutte le Messe per servizio del Signore Iddio.

Alias quaestio facta est, num Cappellani hujusmodi praeter necessitatis casum possent per alios servitium Diaconi, et Subdiaconi praestare, atque ex Decreto in Actu S. Visitationis *anno* 1780. ab Episcopo Narniensi lato jussum fuit Carolo Perelli, qui tunc unam ex Cappellaniis retinebat, ut per se munus Diaconi obiret. Anno 1799. alteram ex hisce Cappellaniis consequtus est Sacerdos Bartholomaeus Ricci ex contemplata familia Ficarelli descendens, qui volvente anno 1803. Canonicatum cum adnexa cura animarum in alia Ecclesia Collegiata S. Nicolai ejusdem Oppidi *Collis scipionis* obtinuit. Parochiali officio impeditus, cum per se non posset Diaconi servitium praestare, cumque in eo Oppido non ita facile reperiretur, qui Subdiaconi, vel Diaconi ordine esset insignitus, postulavit ab Episcopo, ut liceret sibi Clericum Ostiarium Antonium Luzzi substituere, atque id obtinuit ab Episcopo, dummodo hac venia uteretur in casu necessitatis, et accedente consensu Capituli.

Nedum vero Capitulum repugnavit, sed etiam recursum habuit ad hanc S. Congregationem, ut prohiberetur Cappellano Ricci, quominus per alium suppleret, et poenae a testatore impositae si secus faceret, subjiceretur. Rogatus est Episcopus de sua Sententia, atque in remissa *Informatione* affert hinc inde rationes tum Capituli, tum Cappellani Ricci, cui diem dixit, ut sua jura in hac S. Congregatione deduceret. Quoad vero praeteritam consuetudinem refert numquam evenisse, ut Cappellanus simul Canonicatum obtinuerit, et Cappellanum Ricci antequam Cappellaniam hanc possideret absentem a patrio Oppido, assentiente Capitulo per alium munus Diaconi implevisse. Addit alterum Cappellanum Perelli, postquam adeptus fuit Canonicatum in Cathedrali Ecclesia, ex conventione cum Capitulo alium subrogasse ad munus Diaconi obeundum.

Proponitur causa in contradictione partium distribu-

tis hinc inde impressis *allegationibus* sub Dubiis a me concordatis, quae Vos EE. PP. licet reclamante Cappellano Ricci, disputanda jussistis.

In I. *Dubio* quaeritur de incompatibilitate Cappellaniae Ficarelli cum Canonicatu posterius obtento a Cappellano Ricci in Collegiata S. Nicolai, cui adnexa est cura animarum. Negat hic hujusmodi incompatibilitatem intercedere. Fundator siquidem nequaquam expresse vetuit, ne per alios impositum munus Diaconi, et Subdiaconi impleri posset. Nam si eisdem Cappellanis facultatem dedit Missas celebrandi per alios, atque etiam in casu necessitatis alium substituendi in Officio Diaconi, et Subdiaconi, hinc sequi contendit, mentem fundatoris alienam non fuisse, ut per alios officium Diaconi suppleri posset. Quod si Fundator permisit in aliquibus casibus, ut per alium suppleretur oneribus fundationis; si poenam tantum inflixit *juliorum duorum* in casu, quo quis impositum munus non praestaret, inducta tantum censendum est residentia non absoluta, sed causativa, quae haud secumfert privationem Beneficii, ut docent *Gonzalez ad Reg.* 8. *Cancellariae Gloss.* 15. *num.* 20. *Vanespen. in Jus Eccles. univers. tit. de pluralitat. benefic.* §. 15.

Nec sibi obesse putat, quod testator prohibuerit, ne in Cappellanum eligeretur Canonicus. Nam censendum est testatorem id prohibuisse respectu Canonicorum S. Mariae Majoris, non respectu aliorum Canonicorum Collegiatae S. Nicolai. Urget etiam, hanc prohibitionem non repexisse descendentes ex familia Ficarelli; Cum enim Fundator hosce descendentes nominationis compendio donavit eosdem praeferendos esse jussit, quin prohibuerit, posse ab eis Cappellaniam una cum Canonicatu retineri. Tandem contendit Cappellanus Ricci, omnem controversiam dirimi ex decennali possessione, qua Canonicatum unaque simul Cappellaniam retinet. Solemne est enim in beneficialibus, ut ex possessione decem annorum praesumendus sit quilibet idoneus titulus etiam Dispensationis Apostolicae ad effectum retinendi duo incompatibilia Beneficia, quin pos-

possessor turbari possit, ut tradit *Rigant. ad Reg. Cancell. 30. num.* 156. Potissimum quia et ipse Riccius, dum erat absens et alter Cappellanus Perelli, cum Canonicatum in Ecclesia S. Nicolai obtinuit, munus Diaconi, et Subdiaconi assentiente Capitulo per alium praestiterunt.

Contra haec, Capitulum in sua *allegatione* mordicus defendit *incompatibilitatem*, tum ex lege fundationis, tum ex qualitate oneris Cappellanis impositi, quod cum Canonicatu conciliari nequit. Hinc si pluralitas Beneficiorum a jure reprobata est *in Cap. De multa 28. de Praeben. Extravagan. Execrabilis §. qui tamen de Praeben. Concil. Trid. Sess. 7. cap. 4. Sess. 24. cap. 17. De Reform.* Multo sane magis privandus erit Cappellanus Ricci, qui nedum plura, sed etiam incompatibilia Beneficia retinet, ad tradita per S. Congregationem in *Senogallien. Cappellaniae 6. Junii* 1739., *et in Firmana Cappellaniae* 15. *Septembris* 1770.

Certum est, ait Capitulum, Fundatorem prohibuisse - *di poter eleggere per Cappellano Sacerdote che sia Canonico*. Quod cum generatim expressum sit, non potest cohiberi ad solos Canonicos Collegiatae S. Mariae, sed quoscumque Canonicos naturali verborum significatione complectitur. Causa vero hujusce litteralis prohibitionis fuit - *acciocché non venghi a restare il Coro diminuito*, quae aeque in Canonicis S. Mariae, quam in aliis concurrit. Si vero respiciatur onus impositum obeundi munus Diaconi, et Subdiaconi, hoc sane compatibile non est cum Canonicis, qui eadem hora choro interesse debent. Quare attenta incompatibilitate oneris nequit a Riccio retineri Cappellania una cum Canonicatu, sed ei praefiniendus est terminus ad deliberandum, utrum Cappellaniam, vel Canonicatum dimittere velit; ut statuit S. Congregatio *in Neapolitana Cappellaniarum* 15. *Septembris* 1770.

Quin onus a Fundatore impositum obeundi munus Diaconi, et Subdiaconi per alium impleri possit. Nam contendit Capitulum, hoc onus personaliter injunctum fuisse Cappellanis - *Essi Cappellani siano obbligati di pararsi*. Facultatem vero eis tribuit

ut

ut alios in sui locum subrogarent *in casu tantum necessitatis*; ita ut si nulla interveniente necessitatis causa in obeundo personaliter munere deficerent, poenam iisdem imposuerit. Nec praetereundum est aliud argumentum *a discretiva* petitum. Duo siquidem onera testator Cappellanis injunxit, *alterum* celebrationis Missarum, *alterum* servitii in Missis solemnibus in qualitate Diaconi, et Subdiaconi. In primo expresse facultatem dedit supplendi per alium - *dovranno celebrare, o far celebrare* - Verum in *altero* personale servitium praescripsit, nulla data substituendi facultate - *vuole che essi Cappellani siano obbligati di pararsi* - Porro notum satis est, argumentum a discretivo loquendi modo ductum plurimum valere ad interpretandas defunctorum voluntates. *Text. in leg.* 1. *de Cad. toll. Rota coram Tanar. decis.* 199. *num.* 7.

In *II. Dubio* quaeritur num per substitutos Cappellanus implere possit onera Cappellaniae, atque uterque ex contradictoribus ex his, quae superius dicta sunt, affirmat, vel negat id fieri posse. Quoad poenam, Capitulum contendit non esse locum applicationi, quia Riccius non multandus, sed removendus sit. Riccius vero putat locum esse applicationi poene *in juliis duobus* a fundatore impositae in casu tantum, quo ipse nec per se, nec per alium munus adimpleat.

Gemina proponuntur dubia.

I. *An constet de incompatibilitate Cappellaniae Ficarelli cum Canonicatu a Cappellano Ricci in alia Ecclesia cum adnexà Animarum Cura posterius obtento: ita ut eadem Cappellania, sit privandus in casu etc.*

Et quatenus negative.

II. *An liceat eidem Cappellano per substitutos adimplere oneribus ejusdem Cappellaniae Ficarelli, et in quibus casibus solvere poenam ad formam fundationis in casu etc.*

Ad I. Negative in omnibus.

Ad II. Affirmative in casibus necessitatis ad formam fundationis, sed in casu voluntariae permanentis necessitatis teneri ad poenam, et suppleri non posse per Canonicos S. Mariae.

Sess. 14. Cap. 2. Sess. 24. Cap. 13. De Reform.

TYBURTINA PAROCHIARUM. Ab immemorabili tempore ad annum usque 1757. unica fuit in Castro Madamae Paroecia, cujus cura a duobus Parochis portionariis per alternas hebdomadas administrabatur. Cum id haud bene cederet, Episcopus Tyburtinus *Pezzangheri* egit apud S. Pontificem, ut altero, cum primum vacaret, suppresso Portionario, unicus constitueretur Parochus cum onere assumendi Coadjutorem Cappellanum. Sed repugnante Communitate *Castri Madamae* delegata fuit rei cognitio ad Sacram hanc Congregationem, quae proposito Dubio - *An sit locus reductioni duorum Parochorum unius ejusdemque Parochialis Castri Madamae ad unum solum Parochum, qui onus habeat retinendi Cappellanum coadjutorem in cura Animarum ab Episcopo approbandum*. Respondit *die 9. Julii* illius anni *Negative, et Episcopus incumbat, exerceri dietim curam Animarum per utrumque, sublata alternativa; et ad mentem. Et mens est ut fiat massa communis ex incertis emolumentis aequaliter dividendis*. Huic definitioni Episcopus *Pezzangheri* acquievit, et ad vacantem portionem Sacerdoti *Ceccarelli* nominavit.

Episcopo *Pezzangheri* successit Antistes Natali, qui anno 1767. in *Relatione status Ecclesiae* huic S. Congregationi transmissa retulit plurima mala, quae in tribus ejus Dioecesis Oppidis ex duplici ejusdem Ecclesiae Parocho oriebantur; obtinuitque a S. Congregatione, *ut quum alter Parochus vita functus fuerit, unus constituatur superstes Parochus, nulla ipsi accessione emolumentorum facta, sed datis eidem duobus Cappellanis vel, Vicariis perpetuis, qui eum adjuvent in cura Animarum, ab Ordinario pro tempore approbandis; reditus vero tam certi, quam incerti vacaturae Portionis iisdem, aequaliter inter eos dividendi, assignentur*. Hac igitur facultate utens, cum primum altera e duabus Portionibus vacavit in respectivis Paroeciis *Cantalupi*, et *Vallis frigidae*, eam Antistes ille suppressit, binosque in qualibet instituit Cappellanos Coadjutores.

Secus vero se gessit cum anno 1769. in Oppido *Castri*

stri Madamae vacua facta est altera Portio Curata. Non enim eam suppressit (obstante supradicto decreto S. Congregationis anni 1757.) neque duos Vicarios deputavit, sed Sacerdotem *Gabrielem Onofri* Parochum Portionarium constituit. Ejus exemplum sequutus est Successor Episcopus Manni. Nam anno 1787. consensit, ut alter ex Parochis Portionariis *Castri Madamae* sibi Coadjutorem assumeret Sacerdotem *Antonium Giustini*, qui Mortuo Coadjuto portionem Curatam in *titulum* retinuit. Attamen *Anno* 1789. defuncto altero Parocho Portionario *Anselmo Caponetti* idem Episcopus - *vigore facultatum S. Congregationis Concilii Nobis benigne tributarum* - vacantem portionem suppressit, duos Vicarios perpetuos crexit, et praevio Concursu instituit Sacerdotes *Andream Panardo*, *et Bernardum Delmirani* qui Litteras Apostolicas confirmationis obtinuerunt.

Hinc plures, et acerrimae lites. Ne Apostolicae litterae exequutioni committerentur primum postulavit Communitas, utque dividerentur Paroeciae, qua tamen instantia rejecta, monitorium cor. A. C. expedivit adversus Promotorem Fiscalem Curiae Ecclesiasticae Tyburtinae, et Vicarios super manutentione in quasi possessione retinendi duos Parochos. Sed avocata causa ad S. Congregationem Concilii, expeditisque Litteris Apostolicis, Vicarii possessionem nacti sunt. Horum alter *Andreas Panardo*, statim egit coram A. C. adversus Parochum Antonium Giustini pro manutentione *in possessione exercendi functiones, et jura Parochialia iisdem modo, et forma, quibus exercebantur a Suo Antecessore*. At haec etiam causa delegata fuit Sacrae Congregationi, et propositis duobus Dubiis *I. An sustineatur suppressio unius ex duabus Parochis Ecclesiae Parochialis Castri Madamae, et respective erectio duorum Vicariorum Curatorum in casu etc.* Et quatenus *Affirmative II. An, et quorum jurium exercitium competat iisdem Vicariis in casu etc.* S. Congregatio respondit - Ad I. *Affirmative et amplius* - Ad II. *Negative, nisi de licentia, et consensu Archipresbyteri, et amplius*.

Post haec silentium consequutum est ad annum proxime praeteritum, quo vacante per obitum Andreae Panardo altera ex Vicariis, Communitas enixis precibus Sanctissimo oblatis iterum, iterumque postulavit, ut ad tollenda jurgia, et ne ulterius Animarum Cura detrimentum patiatur ex administratione unius Parochi cum duobus Vicariis juxta praedictam Resolutionem S. Congregationis unus, et alter Parochus constituatur, diviso tamen per assignandos limites Populo Castri madamae, ac duae erigantur Paroeciae in duabus separatis Ecclesiis.

Vicarius Capitularis in *Informatione* remittit jura utrinque deducta, et refert - *Animarum Cura Castri Madamae commode divisibilis est per confinia, et reditus sufficit ad congruam Parochi, et ad alias expensas necessarias. Ecclesia (scilicet S. Laurentii) quam Communitas assignandam postulat novo Parocho, ad ipsam Communitatem spectat, et ad exercendas Functiones Parochiales, et Parochianos recipiendos capax est. Quoad necessitatem pro meliori exercitio Curae Animarum me humiliter submitto judicio EE. VV. Necessitas autem aliqua est ad vitanda jurgia inter Archipresbyterum, et Curatos Vicarios, non autem vera necessitas.*

Cum huic instantiae obstarent ea quae ab hac S.Congregatione decisa fuere *die* 16. *Junii* 1792. cum clausula *et amplius* nova audientia cum Sanctissimi oraculo ab Eminentissimo Praefecto concessa est.

Sub I. *Dubio* postulat Communitas, ut recedatur a decisis sub die 16. *Junii* 1792. non *anni* 1793. ut per errorem excidit in formula *dubii* impressi in fronte *Allegationis* nomine Communitatis distribuenda. In hac siquidem *Resolutione* probata fuit suppressio alterius portionis Curatae Ecclesiae Parochialis *Castri Madamae* facta anno 1789. ab Episcopo Manni, ut duae erigerentur Vicariae sub jurisdictione unius Parochi. Contendit enim id fecisse Praesulem Manni contra ea, quae jam definierat S. Congregatio, nulla facultate auctum, et contra expressam juris dispositionem.

Nam *die* 9. *Julii* 1757. instante Episcopo *Pezzangheri* et contradicente Communitate S. Congregatio nega-

gavit faciendam esse reductionem alterius Parochi portionarii. Cui resolutioni acquievit Antistes, et vacantem portionem Curatam *Sacerdoti Ceccarelli* contulit. Quare non poterat Episcopus Manni anno 1789. alteram portionem Curatam supprimere contra ea, quae ab hac S. Congregatione definita fuere. Cum itaque posterior Resolutio Anni 1792. pugnet cum praecedenti ab hac posteriore recedendum esse Communitas concludit.

Nulla vero facultate Episcopum Manni auctum esse sustinet Allegatio Communitatis. Tributa siquidem a S. Congregatione fuit facultas antecessori Episcopo Natali in Responsione *Relationi Status Ecclesiae anni* 1767. ut altera vacante portione constitueretur unus Parochus datis eidem duobus Cappellanis, qui eum adjuvarent in Cura Animarum. Sed haec facultas limitata fuit ad tria Oppida, nec *Castrum Madamae* expresse nominatum fuit, ut proinde inverisimile sit, S. Congregationem implicite revocasse, quae antea anno 1757. in acerrima partium contradictione definierat. Eoque magis quia ipse Episcopus Natali, qui hanc facultatem obtinuerat, ea usus est decedentibus Parochis portionariis *Cantalupi*, *et Vallis Frigidae*, non tamen in Paroecia *Castri Madamae*, in qua ad vacantem portionem Sacerdotem *Gabrielem Onofri* instituit.

Tandem in suppressione hujus portionis defuit *necessitas*, et *utilitas*. Quae enim mala oriebantur ex administratione curae gesta a duobus Parochis Portionariis per alternas hebdomadas, et cum lege, ut quisque incerta in sua hebdomada perciperet, his consuluit S. Congregatio, dum jussit, ut dietim uterque Parochus Curam exerceret, utque incertorum communis Massa fieret. Ex deputatione vero duorum Vicariorum nulla accessit utilitas, cum lites, et jurgia frequenter exarserint inter Parochum, et Vicarios, et persaepe neglecta fuerit Animarum Cura. Sublata vero necessitate, et utilitate Episcopus unionem (cujus species est suppressio) beneficiorum, praecipue quae curata sunt, facere non potest, ut ex Tridentino *Sess.* 6. *Cap.* 7. *Sess.* 25. *Cap.* 16. ***De Reform.*** tradit *Ventrigl. Prax. Eccles.*

part.

part.2. Annot.3. §.1. num.12. Garz. de Benef. part.1. Cap.2. num.88.

In II. Dubio postulat Communitas, ut quatenus a decisis *diei* 16. *Junii* 1792. recedendum censeant EE. Patres, non iterum duo restituantur Parochi portionarii, sed potius duae constituantur Paroeciae per limites divisae, altera in Ecclesia S. *Michaelis*, in qua nunc residet, et altera in Ecclesia S. *Laurentii Martyris*. Nam Tridentinum *Sess.24. Cap.13. de Reform.* jubet, ut distincto Populo in certas Paroecias, cuilibet proprius assignetur Parochus, si id commode fieri poterit. Vicarius Capitularis affirmat hanc Paroeciarum divisionem commode fieri posse. Probat vero Communitas Ecclesiam S. Laurentii esse aptam, ut in ea nova Paroecia constituatur. Nam habet adnexas aedes parochiales, atque in ea olim resedit cura parochialis, dum Ecclesia S. Michaelis instaurabatur. Videant EE.PP., num expedire videatur, ut duae constituantur Paroeciae; siquidem ait Vicarius Capitularis - *Necessitas aliqua est ad vitanda jurgia inter Archipresbyterum, et Curatos Vicarios, non autem vera necessitas* -

In III. Dubio quaeritur, num alter Vicarius Sacerdos *Paulus Borilli* (nam alter Sacerdos *Panardo* translatus fuit ad Paroeciam in Oppido S. Gregorii) sit instituendus ad novam Paroeciam (quatenus EE.PP. Sententia probetur) in Ecclesia S. Laurentii erigendam. Hic praevio examine coram Pro-Synodalibus Examinatoribus Vicariam obtinuit ex Collatione Apostolica, cumque a Vicaria removeri non possit, in nova Paroecia institui postulat.

Haec habet Communitas. Parochus Giustini, cui a Communitate oblatum fuit vadimonium, nihil mihi exhibuit. *In Informatione* Vicarii Capitularis inserta sunt *Folia* ab ipso Parocho Giustini exhibita. In his contradicit tum reintegrationi alterius Parochi Portionarii, tum divisioni Paroeciae duabus ex rationibus. *Primum* quia nulla subeunte necessitate privari non potest sua jurisdictione, quam servavit S. Congregatio in Resolutione *diei* 16. *Julii* 1792. Melius enim universi Populi cura administratur per ipsum, et duos Vicarios, quam per duos Parochos tan-

tantum; praesertim cum nullae nunc sint contentiones cum Vicariis, vel si quae sunt, respiciunt privatum interesse, ex quo Curae administratio nullum detrimentum capit. *Secundo* quia divisis Paraeciis ipse careret Vicariorum in cura Animarum auxilio, et gravaretur majoribus expensis pro Sacris Supellectilibus, Sacrista, et lampade; ita ut deficeret congrua, cum ex reditibus Parochialibus percipiat annum *Scuta* 128. quae oneribus in Scutis 103. sunt obnoxia.

Communitas tamen respondit in Ecclesia *S. Michaelis* erectam esse Cappellaniam S. Antonii cum onere coadjuvandi Parochum in administratione Sacramentorum. Ecclesiam praedictam S. Michaelis Sacris abundare Suppellectilibus, et congruam Parochi ad Summam Scutorum *biscentum* et ultra ascendere, cumulatis in id documentis in impresso Summario relatis. Haec prae oculis habeant EE. PP. et dignentur deliberare tria infrascripta dubia.

I. *An et quomodo sit standum, vel recedendum a decisis sub die* 16. *Junii* 1792. *in casu ec.*

Et quatenus *recedendum*.

II. *An et quomodo sit locus divisioni Animarum, ita ut sit erigenda Ecclesia* S. *Laurentii Martyris Castri Madamae in novam Parochiam, et ad eamdem sit transferendus alter ex duobus* Parochis *in casu ec.*

Et quatenus *affirmative*.

III. *An et quomodo Novae Paroeciae, et jurium Parochialium Exercitium sit tribuendum Actuali Vicario Curato superstiti in casu ec.*

Ad I. Recedendum ac Decisis, ut in sequenti.

Ad *II*. Affirmative in omnibus facta divisione populi per confinia assignatis novo Parocho pro congrua redditibus Vicariorum; et incertis Stolae, et Episcopus curet ante erectionem compleri omnia necessaria quoad domum Parochialem, et turrim Campanariam, reservato favore Ecclesiae matricis aliquo Signo honoris ab eodem Episcopo praefiniendo.

Ad III. Affirmative pel Bullas facto verbo cum SSmo.

FE-

Sess. 23. cap. 1. de Refor.

FERETRANA RESIDENTIAE, ET DISMEMBRATIONIS. Duo Feretranae Dioecesis Oppida *Talamellum*, et *Mercatinum*, illud in Vertice Montis, hoc ad radices positum inter se passuum fere Millibus per asperas vias torrentibus interruptas distantia, uni subjiciuntur Parochiali Ecclesiae *S. Petri in cultu*, quae prope *Mercatinum* sita est. In vetustissimo hoc Templo olim residebant Archipresbyteri, sed postea (quo auctorante ignoratur) residentiam transtulerunt ad Ecclesiam *S. Antonii Talamelli*, in qua Sacramenta utrique oppido administrare consueverunt. Nihilominus constat Archipresbyteros accessisse diebus festis ad Ecclesiam *S. Petri in Cultu*, ut ipsi sacrum in ea celebrarent, et aliqua anni parte in ea mansisse, ut Populum Mercatini instruerent. Semper vero Litterae Apostolicae collationis pro Ecclesia S. *Petri in Cultu* expeditae fuere, atque Archipresbyteri in ea possessionem ceperut

Superiore tempore Archipresbyteri penitus dereliquerunt Ecclesiam S. *Petri in Cultu*, et semel iterumque in anno ad eam accesserunt, scilicet in Festo *S. Petri*, et die secunda *Rogationum*. Quare Mercatinenses, qui destituti erant spiritualibus subsidiis, hyemis praesertim tempore reclamarunt, ut eis consultum foret. Episcopus Antecessor Terzi *anno* 1804. rem composuit cum Archipresbytero Nicolao Gambetti, qui die prima Augusti anni 1804. spopondit retinere Cappellanum Curatum in Oppido *Mercatini*.

Verum haec conventio exequtioni commissa non fuit; hinc factum est, ut praeterito anno Mercatinenses preces obtulerint huic S. Congregationi postulantes dismembrationem oppidi Mercatini una cum Villis adnexis *Sabbioni*, *Raggio*, *Poggiale*, *Molino Gambetti*, utque in ea Novus Parochus constitueretur. Rogatus Episcopus de sua Sententia refert haec quae ad controversiam dirimendam sunt opportuna: *Ecclesiam S. Petri in Cultu veram Parochialem fuisse, et pro ea Bullas semper expeditas fuisse, ac in ea Plebanos possessionem cepisse*: In hac Plebali Ecclesia Missas ab Archipresbytero fuisse celebratas, et Sa-

Sacramenta administrata: duplicem viam, quae inter *Talamellum*, et *Mercatinum* intercedit, esse unius fere Milliarii asperam, montuosam, intersectam a torrentibus, qui ponte carent, ita ut hyemis, et aestus tempore, absque gravi incommodo accedi ad Ecclesiam nequeat; Populum Mercatini, et adnexarum villarum constare ex capitibus biscentum quadraginta; praeterea multos alienigenas transire per *Mercatinum*, et ibi manere tempore praesertim nundinarum, quae ibi mensibus Augusti, et Septembris habentur: attenta vero distantia a Talamello, in quo Archipresbyter diebus festis functiones peragit, Populus Mercatini indulget desidiae, tabernis, et ludis, et hinc vitia, et jurgia: cessionem Ecclesiae *S. Petri in Cultu*, ut in ea novus Parochus deputetur nullum praejudicium inferre Archipresbytero, cum Ecclesia S. Petri in Cultu *prorsus relicta jaceat*, et erectio Novae Paroeciae exoneret Archipresbyterum. Ex his concludit *spiritualibus necessitatibus Populi Mercatini per Cappellani Curati deputationem suppleri non posse. Cum igitur Oratores novam Paroeciam expostulent, ac pro ea erigenda se liberales fore polliceantur, ideo competenti dote assignata, petita erectio, una cum Ecclesia S. Petri in Cultu pro nova Parochiali concedenda videtur, reservato alternative jurepatronatu Archipresbytero Castri Talamelli, et dotantibus eorumque successoribus ea lege insuper adjecta, ut Paroecia dicti Castri pro Matrice etiam respectu novae Paroeciae Mercatini in perpetuum habenda sit omnino.*

Remisit porro *in informatione* jura in scriptis deducta ab Archipresbytero Nicolao Gambetti, et Syndaco Talamelli, qui acriter petitae dismembrationi repugnant. Archipresbyter interposito *nihil transeat* sese opposuit instantiae Mercatinensium, quorum defensor cum *ex Informatione* Episcopi novisset pro Ecclesia *S. Petri in Cultu* semper expeditas fuisse Bullas, atque in ea Archipresbyteros nactos fuisse possessionem dubium disputandum obtulit super residentia ipsius Archipresbyteri, num scilicet teneretur

retur in eadem Ecclesia S. Petri residere. Tria itaque deliberanda erunt dubia. *Primum* super residentia, *alterum* super dismembratione, *tertium* super modo constituendi congruam novo Parocho.

In I. dubio contendunt Mercatinenses Parochum teneri ad Residentiam in Ecclesia in qua titulus *Parochialitatis* inest ex decreto Tridentini *Sess.* 23. *Cap.* 1. *de Reform.* Ex *Informatione* vero Episcopi constat Ecclesiam *S. Petri in Cultu* esse veram Parochialem, et in ea semper Archipresbyteros Bullarum Collationis exequtionem nactos fuisse. Hinc concludunt Archipresbyterum Gambetti ad residentiam in eadem Ecclesia cogendum esse. Cum vero Archipresbyter opponat Parochialem ab immemorabili translatam fuisse ad *Talamellum*, et Ecclesiam S. Petri in Cultu carere aedibus, ita ut satis sit si intra limites Paroeciae resideat: hisce omnibus Communitas Mercatini ita respondit.

Negat praesumi posse translationem Paroeciae, nisi actus ipse ostendatur; maxime cum praesumptioni obstet factum quod semper pro Ecclesia S. Petri in Cultu expeditae fuerint Litterae Apostolicae, et possessionem in ea Archibresbyteris data sit. Quare translatio facta non est auctorante Sede Apostolica, nec per tacitum consensum Episcopi probari potest, cum Episcopus nequeat residentiam immutare, ut statuit Rota in *Tarraconen Juris residendi* 15. *Martii* 1734. §. *Praeterea coram Harrach*. Neque etiam ab immemorabili ullum jus Archipresbytero quaesitum fuisse sustinent Mercatinenses. Nam negant in facto immemorabilem, cum ex actis Sacrarum Visitationum, atque ex testibus probare student ad annum usque 1763. Archipresbyteros, vel aliqua anni parte in dicta Ecclesia *S. Petri in Cultu* residentiam habuisse, vel Sacras functiones in ea peregisse. In jure porro nihil valere dicunt observantiam, quae a solo Parochi arbitratu procedit contra juris censuram, et repugnante legislatoris voluntate, statim ac a Sede Apostolica relaxatae fuere Bullae pro Collatione in Ecclesia S. Petri in Cultu. Quibus concurrentibus, observantiam nihil omnino prodesse docet *Benedict. XIV. de Synod. Dioeces. lib.* 13. *cap.* 5. *n.* 5.

Ex

Ex *Informatione* vero Episcopi demonstrant aedes Parochiales apud Ecclesiam adesse. Quod si angustiores sunt, vel eas Archipresbyter tenetur reficere, et ampliare, vel aliam domum conducere, sed haec idonea excusatio non est, quominus intra limites Paroeciae habitare possit, ut tradit Rota in *citat. Tarraconen.* §. *In Hipothesi*, et Sac. Congregatio in *Tyburtina Residentiae 29. Julii* 1786.

In II. Dubio (quatenus EE. VV. negent cogendum esse Parochum Gambetti ad residentiam in Ecclesia *S. Petri in Cultu*) postulant Mercatinenses, ut dismembretur eorum Oppidum una cum villis adnexis, et in eadem Ecclesia deputetur novus Parochus. Ex Tridentino *Sess. 21. cap. 4. de Reform.* permittitur dismembratio ob locorum distantiam, sive difficultatem, si Parochiani ad recipienda Sacramenta accedere non possunt. Ex *informatione* Episcopi atque ex testibus Mercatinenses probare student hanc difficultatem, et incomoda. Archipresbyter Gambetti nullam contra affert probationem. Videant EE. PP. num ex deductis a Mercatinensibus constet de hac difficultate viarum; Simulque statuant num Ecclesiae Talamelli reservanda sint jura matricitatis, et nominatio novi Parochi alternative inter Archipresbyterum, et Communitatem Mercatini. Haec vero repugnat ex eo, quod Ecclesia *S. Petri in Cultu* sit antiqua matrix plurium Paroeciarum, et Ecclesia *Talamelli* numquam in Paroeciam erecta sit, nec unquam ad eam legitima auctoritate translata cura animarum, quae residet in Ecclesia *Sancti Petri in Cultu*.

Agitur in III. *Dubio* de constituenda congrua novo Parocho. Episcopus negat hanc congruam subministrari posse ab Archipresbytero, cum ipse exiguos habeat reditus, et ex rationibus status *activi*, *et passivi* ab hoc exhibitis, vix annua scuta *viginti* supersint. Mercatinenses postulant, ut novo Parocho assignetur fundus *Pantano*, et frustulum Terreni pro horto. Et ne hoc grave sit Archipresbytero, Sanctes Gambetti municeps *Mercatini* spondet, se recipere in Emphytheusim bona Archipresbyteratus pro canone scutorum *triginta*, et relinquere fundum *Pantano*, et tabulas pro horto favore novi Parochi.

Postulant praeterea, ut novo Parocho assignentur *Decimae* percipiendae ex portione populi dismembranda, et praeterea *Quartesimum* sive decimae, quas percipit Ecclesia Matrix ex Paroeciis filialibus, nec non applicentur reditus Oratorii S. Martinae quod erectum est in Oppido *Talamelli*, ac tandem multi ex Mercatinensibus scripta obligatione obtulerunt capitale *scutorum* 1129. in tot censibus ad rationem scutorum sex in singula centum pro complemento congruae.

Tria proponuntur Dubia

I. An Archipresbyter Gambetti cogendus sit ad residentiam in Ecclesia S. Petri in Cultu in casu etc.

Et quatenus *Negative*.

II. An, et quomodo sit locus Dismembrationi Oppidi Mercatini, ejusque agri a Paroecia di Talamello in casu etc.

Et quatenus *Affirmative*;

III. An et quomodo constituenda sit congrua novo Parocho deputando in Ecclesia S. Petri in Cultu Oppidi Mercatini in casu etc.

Ad I. Affirmative

Ad II. et III. Provisum in primo

PISANA

Ses. 24, Cap. 12, de Reform.

An Parochi, in quorum Ecclesiis tempore adventus, et quadragesimae habentur Sacrae Conciones per Praecones ab Ordinario approbatos, teneantur diebus Festis in Missa Parochiali explicare Evangelium in casu etc.

In casu de quo agitur Arvandum esse Decretum Archiepiscopi

AESINA COMMUTATIONIS VOLUNTATIS

I. An sit consulendum SSmo pro Commutatione voluntatis Elisabeth Ucellini in casu etc.

II. An sit consulendum SSmo pro derogatione Rescripti diei 22. Junii 1794. in casu etc.

III. An et quomodo sit locus applicationi haereditatum Ucellini, et Marchirelli in casu etc.

Sess.22.Cap.6. de Reform.

Ad I. et II. Negative

Ad III. Provisum in praecedentibus

SANCTI SEVERINI DIVISIONIS ONERIS

An et quomodo sit consulendum SSmo pro approbatione repartitionis oneris in casu etc.

Sess.5.Cap.1. de Reform.

Affirmative juxta Votum Episcopi

CALLIEN., SEU URBINATEN. JURIS TUMULANDI

I. An et de cujus bono jure constet ad effectum tumulandi Cadaver Sacerdotis *Bernardini Contini in casu etc.*

Et quatenus *Affirmative favore Parochi* S.*Mariae*.

II. An sit locus exhumationi, et restitutioni Cadaveris, atque emolumentorum ad Ecclesiam tumulantem spectantium in casu etc.

Sess.25. C. 13. de Reform.

Ad I. Affirmative favore Parochi S. Mariae

Ad II. Affirmative in omnibus

Ses.24.Cap.13. de Refor.

BURGI SANCTI DONNINI UNIONIS

An et quomodo sit locus unioni in casu etc.

Non proposita cum sequenti .

Sess.14.Cap.12. de Reform.

FIRMANA SERVITII CHORI , ET REDUCTIONIS MISSARUM

I. An et quomodo sit locus reductioni Servitii Chori , et Missae Conventualis in casu etc.

II. An onera Missarum infixa bonis sodalitatum Capitulo applicatis sint adimplenda seu potius sit coneedenda reductio in casu etc.

III. An sit consulendum SSmo pro absolutione quoad praeteritum in casu etc.

Die Sabathi 20. Septembris 1817. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua præter alia proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

BURGI SANCTI DONNINI UNIONIS.

Sess. 24. cap. 13. de Reform.

An, et quomodo sit locus unioni in casu et.

Affirmative favore Parochi cum onere deputandi ex pauperioribus Praesbyteris Custodem Oratorii, qui inhabitet, et omnia onera adimpleat ad formam fundationis, et in reliquis juxta Votum Ordinarii facto verbo cum Sanctissimo.

FIRMANA SERVITII, CHORI, ET REDUCTIONIS MISSARUM.

Sess. 14. cap. 22. de Reform.

I. *An, et quomodo sit locus reductioni servitii chori, et Missae Conventualis in casu etc.*

II. *An onera Missarum infixa bonis Sodalitatum Capitulo applicatis sint adimplenda, seu potius sit concedenda reductio in casu etc.*

III. *An sit consulendum SS̃mo pro absolutione, quoad praeteritum in casu etc.*

Ad I. Affirmative donec redditus augeantur, ad omnes dies festos etiam reductos, tempore Adventus, Quadragesimae, Octavarum privilegiatarum; nec non die festo S. Titularis, in quibus omnes choro inservire teneantur.

Ad II. Affirmative pro nunc ad primam partem; negative ad secundam, et Oratores instent coram Congregatione Deputata pro restitutione bonorum, de quibus agitur.

Ad III. Affirmative celebratis intra sex menses Missis tercentum collective pro omnibus fundatoribus.

FO-

Sess. 24. Cap. 1. De Reform. Matrim.

FOROLIVIEN NULLITATIS MATRIMONII: Post initum in faciem Ecclesiae Matrimonium *die* 15. *Octobris* 1808. Comitissa Livia Colombani, et Comes Antonius Albicini domesticam conjunctissimamque vitae consuetudinem retinuerunt simul cohabitantes, et condormientes usque *ad diem* 12. *Julii* 1813., quo die stipulato instrumento separationi thori invicem consenserunt *per motivi, e cause urgentissime risultanti da dichiarazione fatta sotto questo stesso giorno.* In hac vero privata Syngrapha eadem die signata aperte declararunt - *la verità si è, che la causa dipende, e si è un impedimento dirimente di relativa impotenza delli medesimi Signori Conjugj, stante la quale quantunque il matrimonio sia rato, giammai è stato consumato*, sibique jura reservarunt pro obtinenda ab Auctoritate Ecclesiastica *la dichiarazione di nullità di Matrimonio.*

Reintegrato per eas regiones Pontificio regimine juncto faedere Conjuges praedicti Sanctissimo preces dederunt, in quibus jurantes se Matrimonium non consumasse orarunt, ut vel nullitas Matrimonii declararetur, vel eisdem impertiretur dispensatio super matrimonio rato, et non consumato. Ex Rescripto *diei* 25. *Februarii* 1815. Sanctissimus *remisit causam de qua in precibus quoad praetensam nullitatem tantum Ordinario Foroliviensi, qui procedat servata saltem in substantialibus forma Constitutionis S. M. Benedicti XIV. Dei miseratione.* Confectus fuit processus, in quo sub interrogatoriis adstante defensore Matrimonii rogati fuere Conjuges, quorum uterque sequutam consumationem negavit. Conjugum juramento adstipulata est *septima propinquorum manus*. Facta tandem fuit utriusque Conjugis corporis recognitio. Obstetrices, et Periti Comitissam Liviam Virginem judicarunt, Medici, et Chirurgi potentem dixerunt Comitem Antonium, sed non adeo, ut penetrare posset Mulierem, quae arctitudinis vitio laborabat, quod non sine gravi incomodo censuerunt posse removeri. Episcopus Foroliviensis *die* 3. *Julii* 1816. Sententiam protulit su-

per

per nullitate Matrimonii ex capite *perpetuae*, *relativae*, et *reciprocae* impotentiae. Provocante Defensore Matrimonii Causa delata est ad S. Congregationem. Instante Comitissa Colombani a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO ex Rescripto *diei 8. Februarii* 1817. impertita facultas est disputandi Dubium *super dispensatione*. Causa igitur proponitur in triplici certamine. Nam Livia confirmationem Sententiae Curiae Ecclesiasticae Forolivii urget. Comes Albicini moderari eam Sententiam postulat in ea tantum parte, quae reciprocam statuit impotentiam. Sin minus Comitissa in impressis distribuendis *Allegationibus* dispensationem implorat. Defensor Matrimonii impugnat in *Animadversionibus* nullitatem, ac dispensationem.

In I. *Dubio* DE NULLITATE. Haec in *allegatione* Liviae deducitur ex respectiva impotentia, ex qua mulier ob arctitudinem apta non est illo viro, qui si non impos per se est, attamen tanti non valet, ut cum ea matrimonii consumationem assequatur. Quae impotentiae respectivae species nullitatem Matrimonii inducit, ut tradunt, *Filiuc. Oper. moral. tom.* 1. *Tract. de Consumat. Matrim. part.* 2. *cap.* 3. *de impot. natur. num.* 66. *Pontius de Matrim. lib* 7. *cap.* 61. *num.* 6. *Sanchez de Matrim. lib.* 7. *disput.* 95; *num.* 5. Hanc vero impotentiam probare studet ex unisona confessione Conjugum, qui jurati affirmant per quadriennium inutili conatu rei uxoriae operam dedisse: Ex Relatione Obstetricum, et Peritorum, qui Virginem invenisse affirmant Comitissam Colombani, et eam ita arctam, ut impediente quadam prominentia carnea in osculo vaginae penetrari non possit. Ex relatione Chirurgi, et Medicorum, qui virum potentem quidem renuntiant, sed non ita validum, ut superare possit mulieris arctitudinem.

Ex his vero, quae Periti referunt, Defensor Colombaniae deducit, quod cum foemina arcta quidem sit, sed quae a validiori viro superari possit, impotentia habenda sit non absoluta, sed respectiva ex parte mulieris; ita ut subjici ea non debeat incisioni, vel triennali experimento. Nam ut Mu-

 lier

lier compellatur ad incisionem ad censuram *Text. in Cap. Litteris*, *et in Cap. Fraternitatis de Frigid.* tria requiri contendit scilicet, *ut* manifesta sit viri potentia, *ut* nullum subsit, vel timeatur vitae periculum in peragenda incisione, *ut* foeminae arctitudo ex sua natura in morbum, vitiumque deflectat, quod naturaliter vinci non possit. Haec tria excludere satagit *Allegatio* Comitissae Liviae. Nam ex Peritorum relationibus non constat, virum esse *bene valentem*, ut allegati *Textus* requirunt ad subjiciendam mulierem remedio incisionis. Licet enim visibili vitio Comes Albicinius non laboret; attamen Periti judicarunt eumdem haud ita esse idoneum, ut vincere possit impedimentum Mulieris, quod tamen a robustiori vinci posse affirmarunt. Cum ergo arctitudo naturaliter superari possit a validiori viro, hoc vitium non deflectit in morbum, nec cogi mulier potest ad incisionem, quod non sine gravi incomodo Periti *judiciales*; non sine vitae discrimine *extrajudiciales* fieri posse profitentur. Concurrente vero periculo non tenetur Mulier pati incisionem, ut tradunt *Guttierez de Matrim. Part. 3. cap. 112. num. 27. Zacchias quaest. medic. legal. Cons. 72. num. 2.* Sacra Congregatio *in Cystaltein 28. Julii* 1724.

Aeque contendunt Defensores Liviae locum non esse experimento triennali, *sive quia* hoc *ex Cap. Laudabilem de frigid.* decernitur, ubi *per prius* probari non possit impotentia, *Pirrhing. in decret. Lib. 4. tit. 15. num. 15. Sanchez de Matrim. Lib. 7. disput. 127. num. 3.* S. Congregatio *in Sancti Severini Matrimonii 14. Decembris* 1737., *et Mediolanen. Matrimonii* 1782. *sive quia* non esset profuturum, postquam Conjuges jam per quadriennium rei maritali inutili successu operam dederunt *Narbon. de aetat. annor.* 50. *quaest.* 5. *per tot.*, *et Not. ad Ornat. Card. de Luc. Decis.* 11. *num.* 18. *sive quia* periculum incontinentiae secumferret *Tamburrin. Oper. Moral. lib. 8. de Matr. Tract. 2. Cap.* 13. §. 2. *num.* 5. *Ursaya part. 1. discept. 12. num. 27.*

Haec ipsa argumenta, quae ad probandam nullitatem affert Livia, Defensor Comitis Albicini in sua *Al-*

le-

legatione in medium adducit. Sed ipse excludere studet mutuam impotentiam, eamque totam vitio Mulieris vertit, et ex iis quae Periti referunt validissimum eumdem Comitem demostrare conatur.

Defensor vero Matrimonii refutat Argumenta deducta ad demostrandam respectivam impotentiam. Juramentum siquidem utriusque Conjugis suspectum dicit. Signa vero deducta ex inspectione Corporis utriusque Conjugis potius viri potentiam quam impotentiam, vel saltem dubiam probationem praeseferre contendit.

Suspectam quidem in jure utriusque Conjugis confessionem rejiciunt S. Canones *in Cap. Litterae Vestrae de frigid.* et ideo rigidiores requiruntur probationes ut docet *Argenvillieres in voto de Matrim. apud Constantin. Tom. 5. Vol. ultim. num.* 33. Augetur suspicio *tum* ex longo silentio, a Conjugibus servato per quadriennium, quin in processu ullus reperiatur Testis, qui de Mulieris conquestionibus deponat, praeter ejus parentem Comitem Colombani, quem tanquam apprime suspectum traducit; *tum* ex summa animi conjunctione, qua Conjuges insimul vixerunt; *tum* tandem ex tam sero deducta Nullitatis querela, cui Sacri Canones omnem adimunt fidem *in Cap. I. De Frigid.*

Plura postmodum affert argumenta Matrimonii Defensor, ut excludat impotentiam *tum* ex parte viri, *tum* ex parte Mulieris, quae summatim sumpta huc redeunt; nimirum Peritos vidisse in viro potentiae signa, et ipsam Conjugem fassam fuisse seminis effusionem: prominentiam, ex qua mulier arcta est, repertam fuisse *cedente, distraibile*, facto a Peritis experimento; in Muliere repertam fuisse viam non imperviam, sed usque ad certum terminum patefactam. Ex his concludit, quod cum vir habeat potentiae signa, et mulier aliquo modo penetrata appareat, omnino excludatur impotentia respectiva.

Quod si dubia tantum videatur haec impotentia, tunc in Dubio vel incisioni Mulieris, vel experimento triennali locus esse debeat. Nam *Periti* judiciales in hac incisione nullum periculum mortis denun-

 tiant,

tiant, sed solum *extrajudiciales*, qui attendendi non sunt. Secluso autem periculo mortis, incisioni mulier se subjici debet ad removendum impedimentum, ut *D. Thomas in 4. Senten. distin. 34. quaest. 1. Artic. 2. ad 5. Gonzalez. in decret. Lib. 4. tit. 15. in Cap. Laudabilem num. 8. et num.* 16. Experimento vero triennali locus est, cum signa impotentiae sunt dubia, tradit *Pichler Juris Can. Summ. Lib. 4. tit. 15. num.* 5. S. Congregatio in *S. Severini Matrimonii* 11. *Januarii* 1738. *Januen. Matrimonii* 1791. *in Senen. Matrimonii* 28. *Februarii* 1807. Atque hoc experimentum incipere debere a decreto Judicis, non a die inceptae copulae late discusso Articulo firmat *Sperell. decis. For. Eccles.* 141. *num.* 39. *Ursaya discept. Eccles.* 13. *tom.* 4. *part.* 1. *num.* 29.

II. *Dubium* DE DISPENSATIONE. Ex his quae sub *primo dubio* deduxit Comitissa Livia, probare contendit non sequutam fuisse Matrimonii consumationem, scilicet ex juramento utriusque Conjugis, et septimae manus, atque ex recognitione Virginitatis facta ab Obstetricibus, et Peritis. Causam vero ad dispensandum petit, ab impotentia respectiva a Peritis approbata, quae sufficiens est, ut Matrimonium dispensetur ut S. Congregatio in *Melevitana Dispensationis Anni* 1790. Defensor vero Matrimonii ex longa habitatione Conjugum, ex serotina querela ad judicem Ecclesiasticum delata, in suspicionem iterum adducit juramentum Conjugum. Refellit vero quae Obstetrices, et Periti referunt de Virginitate Liviae, atque ex signis viripotentiae Comitis Albicini, quae vidit et ipsa Uxor, et ex effectibus, qui aliquando sequuti sunt, ut eadem Uxor fatetur, possibilem dicit consumationem, quae etiam non aperto Muliebri Claustro per attractionem fieri posse tradunt *Henriquez. in Summ. theolog. moral. lib. 2. de Matrim. Cap. 15. num. 3. Sanchez de Matrim. lib. 2. disput. 2. num. 2. Zaul. ad statut. Favent. lib. 4. Rubric 23. num.* 127. Hinc concludit, quod in quolibet dubio decernendum sit triennale experimentum, ut alias S. Congregatio decrevit, etiam in casu, quo de dispensatione disputabatur, ut in

Ja-

Januen. Matrim. 16. Aprilis 1791., et Senen. Matrim. 28. Februarii 1803. et 18. Junii 1808.

Duo proponuntur Dubia

I. *An constet de Nullitate Matrimonii in casu etc.* Et quatenus *negative*.

II. *An sit consulendum SSmo pro dispensatione super Matrimonio rato, et non consumato in casu etc.*

Ad I. et II: Dilata, et esse locum triennali experimento.

CASALEN PRAEMINENTIAE. Ex officio proposita fuit haec causa de Praecedentia in Processionibus inter Oeconomum Paroeciae S. Stephani *Joannem Baptistam Gianoglio*, et caeteros Parochos Civitatis Casalis, et quamquam Vicarius Capitularis decrevisset ut Parochus, vel Oeconomus S Stephani praecederet, attamen in Congregatione *diei 25. Maji* 1816. rogati EE. PP. *An et quomodo decretum Vicarii Capitularis diei 22. Maji 1815. quoad Precedentiam Parochorum sit servandum*. Responderunt *Negative*. *Sess. 22. Cap. 7. de Reform.*

Interea illa Ecclesia Parochialis in titulum consequutus est *Presbyter Stephanus Gianoglio*, qui ut Parochus titularis, et Praepositus illius Ecclesiae, impetrato *novae audientiae* beneficio, postulat tum *Recessum a decisis* quoad se, ut verum Parochum, tum etiam, ut declaretur sibi competere praecedentiam in Processionibus supra caeteros Parochos Civitatis. Utrumque ut obtineat impressam distribuit *Allegationem*. Caeteri Parochi licet ad vadimonium venerint super *concordatione dubiorum*; attamen nunc nihil mihi exhibuerunt.

Prae-

Praepositus itaque Stephanus Gianoglio, ut sub I. *Dubio* recessum a decisis obtineat, contendit Vestrum EE. PP. judicium redditum fuisse in casu, quo Paroccia ab Oeconomo administrabatur, eoque tantum contra caeteros Parocos contradicente. Ratio vero decidendi in eo posita fuit, quia ex *Articulo 24. tit. 31.* Synodi Caravadossi aperte cautum erat, ut quoties quaestio de praecedentia esset inter veros Parochos, et substitutos isti illis cedere deberent. Cum vero nunc ipse in judicium veniat, tamquam Parochus titularis, viribus amplius non substitit ratio illa decidendi, ac propterea recedendum sit a decisis, quae inter diversas personas, atque diverso in casu prodierunt.

Hinc in II. *Dubio* defendit sibi debitam esse supra caeteros Parochos Civitatis praecedentiam. Nam ex eodem Synodo Caravadossi *Artic.* 25. praescribitur, ut in Civitate Casalis *consuetus retineatur ordo*, quod idem est, ac servandam esse consuetudinem. Hanc vero consuetudinem deducit ex Testium fide ac potissimum ex *Rejudicata*, quae constat ex duobus sententiis tum *Vicarii Generalis Casalis*, tum *Judicis Metropolitani Mediolanensis* anno 1721. quibus Praepositus S. Stephani praecedentiam obtinuit super alterum Parochum S. Mariae. De hac ipsa longoeva observantia, et ante, et post Synodum Caravadossi, Vicarius Capitularis tum in Decreto, tum in Informatione testatum facit.

Nec sibi obesse putat, quod in *Artic.* 24. Synodi Caravadossi statuitur, *ut si plures Parochos convenire in processione contingat, eumdem servabunt ordinem antianitatis, nimirum suae cujusque promotionis* -. Nam cum in sequenti artic. 25. decernatur - *in hac Civitate Casalis consuetus retineatur ordo* - hinc infert anteriorem articulum respicere praecedentiam inter Parochos Diaecesis, non vero Civitatis. Quod si etiam aliqua dubitatio superesset ex observantia, quae Synodum *Caravadossi* subsecuta est, interpretatio exurgeret utriusque articuli, cum in definiendis hujusce quaestionibus observantia omne tulit punctum etiam si juris dispositioni adversetur, ut docet *Rot. decis. 26. num.* 71.

71. *cor. Cerro*. Maxime cum haec observantia fere centenaria sit, quae praesumptionem inducit cujuscumque melioris tituli etiam adversus legem Synodalem ut statuit Rota *in Tudertina immissionis 13. Martii 1798. §. 6. cor. Emo Cesarei*.

Reassumpto itaque Folio Congregationis *diei 25. Maji* 1816. EE. PP. deliberare dignabuntur duo, quae proponuntur dubia,

I. *An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc,*

Et quatenus *recedendum*,

II. *An Praeposito S. Stephani competat praecedentia in Processionibus supra ceteros Parochos Civitatis Casalis in casu etc.*

Ad I, et II. Dilata, et scribatur Ordinario Casalem juxta mentem.

ARIMINEN CAPPELLANIAE. Ut Archipresbyter Hieronymus Vangelisti lites omnes componeret cum Nepte sua Laura, quae nupta erat Antonio Maria Ugolini transactionem cum ea inivit die 27. Februarii anni 1741. Quoniam vero animo volutabat simplex Beneficium mere laicale in Ecclesia *S. Mariae della Veronica della Predosa* instituere; idcirco in ea Transactione spopondit - *che il Cappellano sia un figlio della Laura sua Nipote, o alcun altro de di lei Eredi da nominarsi da Lei, o da essi suoi Eredi legittimi, e naturali finchè dureranno*. In correspectivitatem vero hujus constitutionis activi, et passivi jurispatronatus favore suorum descendentium Laura Patruo omnia jura sua remisit. Verumtamen in Testamento scripto *die 26. Augusti Anni* 1749. Archipresbyter Hieronymus jurispatronatus passivum tantum haeredibus, et descendentibus Laurae reliquit. Jus vero nominandi at-

Sess. 14. Cap. 12. de Reform.

attribuit Moderatoribus Sodalitii Ssmi Sacramenti, Hospitalis, et Communitatis, quibus jussit, ut in defectu descendentium Laurae nominarent *un Sacerdote povero*, eisque etiam facultatem dedit *di eleggere anche un Chierico in minoribus, che volesse esser promosso al Sacerdotio, anzi che per mera carità venghi anteposto agli altri*. Et tandem prohibuit, ne hoc beneficium *puramente laicale sia soggetto in alcun tempo mai a Monsignor Vescovo di Rimino, ne ad altri Superiori Ecclesiastici*.

Fundatore defuncto Beneficium consequutus est Marcus Antonius Ugolini unicus ex Laura filius Masculus, qui illud retinuit usque ad obitum, nimirum ad *Annum* 1804. Tunc *Iacobus Ugolini filius* quidem Antonii Mariae Ugolini, non tamen ex Laura, sed ex secunda Uxore natus, Beneficium sibi addicere tentavit, sed obstitit *Sacerdos Dominicus Giovannetti* Laurae Nepos, qui, inita conventione cum altero Laurae Nepote *Sacerdote* Aloysio Graziosi de dividendis beneficii fructibus, sententiam obtinuit a Praetore Arimini, confirmata a Tribunali Appellationis Bononiae, qua eidem *Sacerdoti Giovannetti* beneficium tributum fuit. Hinc licet non praesentatus ab iis, qui jus nominandi habebant, attamen Presbyter Giovannetti institutionem Canonicam ab Episcopo Ariminensi obtinuit ex Bullis datis *die* 5. *Junii* 1809., quae praecipue nitebantur sententiis ejus favore latis. Et auctorante *il Delegato del Culto* possessionem apprehendit.

Ab eo tempore pacifice beneficio potitus est usque ad *annum* 1815., quo restituto Pontificio Regimine, Patroni omnes *die* 27. *Septembris* ejusdem anni actum praesentationis expleverunt favore Clerici *Ludovici Balzani Laurae Vangelisti Ugolini* Pronepotis. In vim hujus nominationis *Balzanius* possessionem nactus est laicalis beneficii, sed *Presbyter Giovanetti* expedito Monitorio coram A. C. mandatum de manutenendo per contradictas contra *Balzanium* obtinuit. Tunc vero idem Presbyter Giovanetti, et Aloysius Graziosi (quos inter alia conventio de dividendis fructibus Beneficii intercessit, et hic illi jura sua renunciavit) junctis studiis pre-

preces obtulerunt S. Pontifici, in quibus fatentes illicitas conventiones, et nullitatem praecedentium actorum, postularunt Praesbyter Giovanetti novam Beneficii, quod asseruit tanquam adhuc vacans, provisionem, et Presbyter Graziosi reservationem pensionis. Uterque exauditus fuit expeditis Litteris Apostolicis *die 21. Februarii* 1816. in quibus tamen S. Pontifex expresse cavit - *dummodo tempore datae praesentium non sit in eo alicui specialiter jus quaesitum - et quatenus lis praefata inter alios, praeter quam Dominicum, et Aloysium, adhuc pendeat indecisa respective illius pendentiae, et juribus aliorum litigantium in aliquo non intendimus praejudicare.*

Post haec postulante Clerico *Ludovico Balzani* SS:mus quaestionem inter eum, et Giovanetti huic S.Congregationi delegavit. Rogata de more est, sententia Episcopi, qui praefixo litigantibus termino ad deducendum sua jura in S. Congregatione, remisit tum relationem Vicarii Foranei, qui Clerico Balzani favet, tum jura deducta a Sacerdote Giovannetti, atque a suo proferendo judicio tamquam de re dubia sese abstinuit. Causa nunc proponitur concordatis *Dubiis* in contradictione partium. Nihil mihi exhibuit *Presbyter Giovanetti*, et Clericus Balzani impressam distribuet *allegationem.*

Sub I. Dubio quaeritur, utrum servanda sit institutio Presbyteri *Dominici Giovannetti*; an vero sit danda reintegratio *Clerico Balzani*. Ex juribus a Presbytero Giovannetti coram Episcopo exhibitis deducitur, quod ipse nititur Bullis institutionis obtentis *anno* 1809 ab Episcopo Ariminensi, quas servandas esse contendit, licet ipse a patronis nominatus non fuerit. Nam ea erat temporum conditio, ut jura patronorum vi legis tunc imperantis essent abrogata, et nisi Episcopus beneficium contulisset, illus bona a Demanio usurpata fuissent. Addit vero se sanationem, et novam provisionem obtinuisse ex Litteris Apostolieis, ut proinde a beneficio depelli non possit. Tandem vitiosam esse, ait; Nominationem factam a patronis favore Clerici Balzani, quia extortae fuerunt nominationes a

nonnullis patronis, et qui actui nominationis non interfuerunt, mandata procurae dederunt rogata ab actuario ob falsi crimen officio privato.

Contra haec *Clericus Balzani* contendit servandam non esse institutionem Presbyteri Giovannetti, neque ex nova *Provisione* S. Pontificis, neque ex prima *Collatione* facta ab Episcopo. Nam S. Pontifex in nova *Provisione* praeservavit pendentiam litis, et jus alteri quaesitum, ut sanatio obtenta nihil prodesse possit *Presbytero Giovannetti* contra *Balzanium* qui a legitimis Patronis jam fuerat nominatus, et cum quo ante obtentas Litteras Apostolicas jam institutum erat judicium. Episcopus vero non poterat conferre Beneficium nec *ordinaria Potestate*, quia agebatur de simplici beneficio laicali; nec jure *praesentationis* qua prorsus carebat Presbyter Giovannetti, nec demum *jure devoluto*, quia Fundator prohibuit, ne Episcopus, et alii Superiores Ecclesiastici manus in eo apponerent. Quin *Presbytero Giovannetti* prodesse possint Sententiae obtentae *a Praetore Arimini, et Tribunalis Appellationis Bononiae*; siquidem eae late fuerunt inter diversas personas, nempe *Presbyterum Giovannetti, et Jacobum Ugolini*, qui non erat ex descendentibus Laurae Preterea in illis sententiis actum fuit de pertinentia patronali; numquam vero de jure passivae Vocationis, de quo nunc est controversia,

Pergit porro allegatio Clerici Balzani ad probandam suam nominationem, cujus vi, cum possessionem Beneficii nactus sit, ad eam redintegrari postulat, a qua fuit injuria depulsus. Ex Transactione anni 1741, inter *Archipresbyterum Vangelisti* Fundatorem, et Lauram neptem inita probat jus nominandi pertinere ad haeredes, et descendentes Laurae. Quod quidem jus, cum tributum fuerit per actum *inter Vivos*, non poterat ab Archipresbytero Fundatore abrogari in posteriori Testamento anni 1741. Documentis vero exhibitis, probat suam a *Laura Vangelisti* descendentiam, tum etiam eorum qui nominationem emiserunt. Addit Fundatorem Clericos pauperes praetulisse Sacerdotibus, idque, licet constitutum quoad extraneos, attamen ex praesumpta Fundatoris voluntate transferendum etiam

esse ad descendentes Laurae, inter quos Fundator nullam praescripsit qualitatem ad effectum obtinendi nominationem.

Postremo loco *Balzanius* refutat ea, quae a Presbytero Giovannetti opposita sunt ad invalidandum actum nominationis.

Affert enim Testes, qui negant nominationes fuisse extortas, aut Mandata procurae rogata a Tabellione falsario, sed asserunt omnia rite, recteque gesta fuisse et omnes nominantes vocatos a Vicario Foraneo ab Episcopo ad explorandam Patronorum voluntatem Delegato ratam habuisse factam nominationem:

II. *Dubium* super restitutione fructuum pendet a *Primo*. Si enim EE. PP; censeant reintegrandum esse Clericum Balzani, fructus restituendi videntur a *die* 25. *Septembris* anni 1815., quo ipse Clericus possessionem caepit, a qua statim dejectus est, ut tradit Rota *in Spoletana manutentionis*, *seu reintegrationis super fructibus* 29. *Aprilis* 1803. §. *Coram R. P. D. Tassoni*.

Dubia proponuntur.

I. *An sit servanda institutio Presbyteri Dominici Giovannetti, seu potius sit danda reintegratio Clerico Ludovico Balzani in Casu ec.*

Et quatenus *Affirmative ad secundam partem*.

II. *An et a quo tempore sint restituendi fructus in Casu ec.*

Ad I. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Ad II. Affirmative a die mortae litis.

PLACENTINA JURIUM PAROCHIALIUM. Causa haec proposita fuit in Congregatione *diei* 25. *Maji* 1816. cujus folium EE. PP. reassumere dignentur, ut historiam hujus Causae prae oculis habeant. Tunc duo proposita fuere dubia. I. An *sustineatur decretum* *Epi-*

Sess. 24. *Cap.* 18. *De Reform*

Episcopi diei 21. Julii 1813. in Casu ec. II. An *sustineatur decretum Episcopi diei 21. Decembris anno* 1808. *in Casu ec.* Quibus rescriptum fuit ad I. *Quoad Primum Caput, quoad associtationem negative, et quoad spolium cerae servetur consuetudo. Quoad secundum Negative et quoad curam animarum competere Praeposito, et Capitulo, et in his terminis inscriptionem esse restituendam; Quoad* Tertium *Negative exceptis functionibus Parochialibus, quatenus Praepositus eas per se exerceat. Quoad quartum servetur omnino forma Constitutionis Benedicti XIII. Maxima vigilantia. Ad 2. Affirmative juxta modum, nempe ad formam praecedentium concessionum.*

Defensor Praepositi Galli Dordoni licet *novae Audientiae* beneficium impetraverit; attamen in nova propositione *diei* 25. *Januarii* 1817. nonnullas super editis Rescriptis imploravit declarationes, et EE. PP. imperarunt ut darentur dubia, quae hodie proponuntur.

Sub I. quaeritur *an sit standum vel recedendum a decisis sub die* 25. *Maii* 1816. Nam cum hoc dubium propositum fuisset in Congregatione diei 25. *Januarii* 1817. in qua EE. PP. jusserunt, ut darentur dubia super declarationibus a Praeposito Galli Dordoni petitis et nullum Responsum datum fuerit, id nunc agendum est, ut exequtioni committi possit resolutio S. Congregationis. Defensor Praepositi Galli Dordoni non conqueritur de praecedenti resolutione, sed tantum *declarationes postulat*. Defensor vero Capituli distribuit memorialem reassumatur.

II. et III. Dubium respicit declarationem quoad *primum* Caput I. Dubii in Congregatione *diei* 25. *Maji* 1816. propositi. Etenim cum illud Dubium ageret de executione Decreti Episcopi in cujus *primo Capite* definitum fuit; nullum jus competere Capitulo associandi funera Canonicorum, S. Congregatio rescripsit *quoad associationem, Negative*, ita ut contra id, quod Episcopus decreverat, definitum fuit competere Capitulo jus associandi funera Canonicorum. Postulatur vero nunc declaratio, utrum scilicet Capitulum debeat Collegialiter incedere ad associanda haec funera, et in casu, quo Collegialiter non incedat,

sive

sive nolit, sive nequeat non possit per Cappellanos id exercere, sed jus sit Parocho Cadavera Canonicorum associare. Praepositus Galli Dordoni, qui has declarationes urget nititur regula, qua statuitur, ut Parochus cedere debeat Capitulo, quoties Collegialiter ad funus accedat, quia tunc repraesentat universam Collegiatam Ecclesiam, secus vero quando non incedit collegialiter, sed per Cappellanos repraesentatur Capitulum, quia tunc Parochus vincit dignitate repraesentantes, et debet illis praecedere, ut late *Card. de Luca disc.* 21. *de Praeminentiis per tot.*

IV. *Dubium* continet declarationem, si vobis placet, addendam responso dato ad II. *Dubium* in Congregatione *diei* 25. *Maji* 1816. in quo quaerebatur de executione decreti Episcopi Placentini *diei* 21. *Decembris* 1808. Concedentis Praeposito jus aperiendi januam ut ab aedibus transitum haberet ad Sacrarium, et Ecclesiam, prout reperiebatur tempore Praepositi Ponti. S. Congregatio hoc decretum exequendum jussit juxta modum nempe *ad formam praecedentium concessionum*. Hunc modum delendum postulat Praepositus Galli Dordoni simulque declarari, ut Praeposito dandus sit transitus, sive exerceat, sive non exerceat curam animarum.

Etenim contendit tum uti Parochus, sibi jus esse aperiendi januam, ut ab aedibus transeat ad Ecclesiam, tum uti Praepositus, quia ex conditionibus conventis, cum translatio Ecclesiae S. Joannis facta est ad Ecclesiam S. Michaelis anno 1562. aedes, et Ecclesia ad ipsum Praepositum, non ad Capitulum pertinent. Quin ei obesse possit transactio anni 1732. facta a Praeposito Montegatio cum Capitulo. Etenim vel illa transactio observanda non est, quia caruit Beneplacito Apostolico, vel nihil detrahit juribus Praepositi super transitu de aedibus ad Ecclesiam, cum conventum fuerit, ne induceretur *la menoma servitù del rimanente della Canonica*, Cum vero concessiones factae Praepositis *Ralli*, *et Ponti* videantur sapere precarium jus; idcirco modernus Praepositus Galli Dordoni cum jure proprio hunc transitum sibi vindicet, postulat, ut deleatur modus in praedicta Resolutione appositus *ad normam praecedentium resolutionum*.

Reas-

Reassumpto itaque folio *diei* 25. *Maji* 1816. , *et* 25. *Januarii* 1817. EE. PP. dignentur deliberare dubia

I. An sit standum , vel recedendum a decisis sub die 25. Maji 1816. in casu etc.

Et quatenus *in decisis*

II. An Capitulum debeat Collegialiter incedere ad Associationem Canonicorum in casu etc.

III. An jus sit Parocho cadavera Canonicorum associare ubi Capitulum vel nolit, vel non possit Collegialiter incedere in casu etc.

IV. An dandus sit transitus Praeposito ab aedibus, ad Ecclesiam sive exerceat, sive non exerceat curam Animarum in casu etc.

Ad I. In Decisis prout in sequentibus

Ad II. Affirmative

Ad III. Affirmative

Ad IV. Affirmative in omnibus

Sess. 21. Cap. 4. De Reform.

REATINA DISMEMBRATIONIS. Alabri , quod Oppidum est in Reatino , extat Ecclesia Collegiata , et Parochialis , cui subjiciuntur octingenta fere animarum Capita , quorum biscentum intra maenia ejusdem Oppidi habitant , reliqua per agrum dispersa sunt . Collegiata Ecclesia constat Archipresbytero , et duobus Canonicis Massae communis de jure patronatus Familiarum Vitelleschi , Crispoldi , et Communitatis Alabris . Tertius est adjunctus Canonicatus , qui peculiares habet reditus , quique pertinet ad Patronatum Sodalitii SS. Virginis Lucis , et omnes Chori servitio sunt adstricti .

Curam Animarum geritur ab Archipresbytero adjuvantibus duobus Canonicis *de Massa* . Remotiores ruricolae Villam costituunt nuncupatam *Calli di Labro* , quae per plura millia passuum distat ab Ecclesia Parochiali , ad quam utpote in Monte positam , difficilis patet accessus ob viarum asperitatem hyemis praesertim tempore , ob interjectas Torrentium aquas .

Hinc

Hinc vetus Incolarum, querela ob deficientiam spiritualium subsidiorum, cum diebus tantum festis Sacerdos ad Villam accedat, ut in Ecclesia S. Mariae Magdalenae Sacrum faciat. Narrant enim se Cathechesi deficere, non solum pueros, sed etiam adultos rudimenta fidei ignorare; perrarum esse, et vix semel in anno ut ad Sacram Synaxim accessum habeant: Infirmos sine Sacramentis decedere; mortuos sine Sacerdote ad Ecclesiam tumulandos deferri.

Ut spiritualibus illius Populi necessitatibus occurreret Episcopus Marini anno 1795. unum ex Canonicis ad Villam *Collium* 1795. et rursus anno 1800. misit, ut in ea Villa resideret, et sub dependentia Archipresbyteri Alabris Sacramenta administraret, sed ob tenuitatem stipendii una alteraque vice recessit.

Nunc tandem Populus ille ab hac S. Congregatione imploravit dismembrationem Paroeciae, ejusque preces remissae fuerunt Episcopo pro *Informatione*, ex qua ea quae hactenus narravi, desumpsi. Testatur Episcopus in Sacra Visitatione habita proxime praeterito *Mense Maji*, novisse ea incomoda, ex quibus Populus Villae *Collis* dismembrationem postulat. Multos praeterea in *Informatione* allegat Testes etiam ex vicinioribus locis, qui asperitatem, difficultatem viarum, et exposita mala confirmant. Affert relationem Peritorum, qui distantiam ab Ecclesia Parochiali metiti sunt, eamque constituunt a tribus, ad quinque passuum millia, prout propius, aut longius ab Ecclesia positae sunt Incolarum domus. Parochum, sive Archipresbyterum rogare non potuit, quia vacans est Ecclesia Parochialis. Oeconomus Curatus, Patroni, et Canonici dismembrationi repugnant ex rationibus inferius recensendis, atque contendunt per deputationem Capellani Curati hisce incomodis subveniri posse.

Secus censet Episcopus, et dismembrationem necessariam ducit; maxime cum nunc illius Villae animarum numerus excreverit ad capita *tercentum sexaginta*. Populus pro congrua spopondit solvere decimam veluti familiarem pro conditione redituum subministrandam. Familia porro Laurentii cedit pro augmento congruae Capellaniam sui jurispatronatus, ex qua re-

deunt

deunt annua scuta 25. Haec sunt media ad congruam novi Parochi constituendi in Ecclesia S. Mariae Magdalenae sita in Villa Collis.

Quaeritur igitur sub *I. Dubio* de dismembratione, et cum constet ex *Informatione* Episcopi, atque ex testibus de asperitate viarum, de difficili accessu ad Ecclesiam Parochialem, de distantia (quam ii ipsi, qui dismembrationi contradicunt fatentur tamen esse in tribus passuum millibus) atque de incomodis inde sequutis, ita ut Populus Collis careat Spiritualibus subsidiis, et Infirmi sine Sacramentis decedant; concedenda profecto videtur petita dismembratio. Nam Tridentinum *Sess. 21. Cap. 4. De Reform.* Dismembrationem permittit -*In iis Ecclesiis Parrochialibus, in quibas ob locorum distantiam, sive difficultatem Parochiani, nisi magno incomodo ad percipienda Sacramenta, et divina officia audienda accedere non possunt*,

At Oeconomus Parochialis, Canonici, et Patroni dismembrationi repugnant, et satis provisum putant administrationi Paroeciae, quae constant animabus *octingentis*, per Archipresbyterum cum tribus Canonicis, quorum duo sunt coadjutores in Animarum Cura. Nimium decurtari ajunt jurisdictionem Parochialis, et Collegiatae, si haec dismembratio fiat, ob diminutionem quam ferret animarum, et incertorum Stolae: eamque dismembrationem secumferre divini Cultus detrimentum, cum dies festi Sanctorum celebrentur ex collata symbola ab omnibus Parochianis, ita ut facta dismembratione Populus *Collis* nihil contribueret pro Festis celebrandis in Ecclesia Collegiatae Alabris: Tandem contendunt satis Animarum necessitati opitulari posse per deputationem Capellani Curati, qui sub dependentia Archipresbyteri, et Capituli inter Incolas Collium, eorumque sumptibus viveret, quin ad extremum dismembrationis remedium confugere necesse, sit.

Haec tamen omnia in pretio minime habenda esse putat Episcopus in sua Informatione „. Si, ait distan-
„ tia locorum, asperitas itineris, difficultas cum
„ magno incomodo accedendi ad Paroeciam, et Sa-
„ cramenta administrandi Populo, causae sunt pro dis-

„ dismembratione Paroecie uti EE. VV. nimis no„ tum pervulgatumque est certe Collium incolis „ concedenda Paroecia in ipsorum regione, cum „ omnes supradictae causae concurrant in praesenti „ casu, ut superius innui, testibus probatur, ipse„ met vidi. Hinc hodie erectio ab EE. VV. petitur, „ tanta majori necessitate, quantus major est nu„ merus Animarum cum ad tercentum sexaginta „ quinque creverint, et proinde major assistentia „ Parochi est necessaria. Injuste vero Patroni se op„ ponunt, utpote nihil detrahitur ipsorum Juris„ patronatui, neque bona dividuntur Paroeciae, uti „ pariter Capitulum non laeditur, cui omnia bona „ illaesa remanent. Nec dismembratio Parochialita„ tis dici potest laesio jurium Parochialium, quae „ servanda forent cum damno Spirituali Populi, sed „ potius provisio pro Collium fidelibus; Archipres„ byter enim, qui tenetur administrare Sacramenta „ Alabri, et Collibus cum sit impeditus hoc ultimo „ loco, difficultate viarum, asperitate loci, Parochia„ le ministerium exercere, jus non habet amplius „ exercibile, vacuumque ad summum retinet, et „ puri nominis. Sed quaenam ratio patitur, ut Col„ lium habitatores careant Sacramentis, caeterisque „ Spiritualibus bonis causa tantum tum Alabri Ar„ chipresbitero servandis jus, quod exercere non po„ test, licet sine culpa Collium incolarum, et Ar„ chipresbyteri? Jus igitur dici non potest amissum, „ quod actu non existit.

Posita vero necessitate providendi Animarum Curae, et Sacramentorum Administrationi, inquirendum erit num Populo Collium satis subveniri possit per deputationem Capellani Curati vel unius ex Canonicis, aut etiam ex novo Canonico nunc instituendo, sumptibus tamen Oppidanorum *Collium*. Nam cum dismembratio tendat semper in praejudiciumParoeciae, facienda non est nisi in casu, quo aliter saluti animarum consuli non possit, ut tradit *Pignattel. consult.* 230 *num.* 3. et alias statuit S. Congregatio in *Lunen. dismembrationis* 27. *Aprilis* 1738. Hinc dissentientes huic dismembrationi contendunt quod alias Capellanus ab Episcopo *Marini* missus fuerit

 in

in Villa Collis, a qua recessit ob denegatum ab Oppidanis congruum stipendium.

Sed huic Capellani deputationi non adhaeret Episcopus. Ait enim *dum autem Capitulum et Patroni proponunt constitui Collibus Capellanum Curatum amovibilem, atque dependentem ab Archipresbytero, provisum tamen de congrua a fidelibus Collium, extra ordinem rem petere mihi videntur. St enim ab iisdem Capellanus provideretur de necessariis ad vitam, nulla esset difficultas, vel actus irregularitas: ast congrua, quae a Collium incolis pacta est, Parocho assignatur, unde pro Capellani Curati deputatione converti minime potes, paciscentium deficiente consensu, et voluntate, imo absolute animis repugnantibus, quae responsio datur illis, qui novum Canonicatum vellent erigere, cum onere residendi Collibus; congrua enim non assignatur ab iisdem, unde per deputationem Capellani Curati suppleri non potest cum non sit, qui de congrua provideat. Nec unus ex Canonicis deputari poterit, nam tunc servitio Chorali perpetuo vale dictum erit, eo quod a quatuor, Archipresbytero numerato, Capitulum constituitur, et insuper onus Paroeciae redditibus Canonicatus substineri non potest, cum reditus sit circa scutorum triginta uti in S. Visitatione comperui. Quod si necessitas ex una parte urgeat de Parocho constituendo Collibus, ex altera per Capellanum provideri non possit, videtur deveniendum ad confirmationem Erectionis novae Paroeciae*.

In II. Dubio deliberandum erit quomodo providendum sit congruae novi Parochi, sive stipendio Capellani Curati, prout EE. PP. censeant providendum esse curae Animarum Villae, sive per erectionem novae Paroecie, sive per deputationem Capellani Curati. In primo casu Populus *Collium* spondet se decimam familiarem repraesentaturum tum tritici, tum frumenti indici. Haec autem decima ita inter se diviserunt, ut omnes familiae in *quinque Classes* divisae pro modo facultatum hanc decimam pensitarent, atque etiam Parocho concedunt, ut conquirere possit symbolam musti voluntarie tamen a Populanis retribuendam. Episcopus tamen haec ob-

observat - *sed putarem novo Instrumento conficiendo, Vestra Suprema Auctoritate delegata, ita firmari jus decimandi, ut jus ipsum inhaereat per S. Sedis confirmationem in rebus, et omnibus bonis obligatorum, sicuti est jus decimandi aliis Parochis. Haec congrua ex supradictis frugibus resultans, dat reditum Scutorum circiter quinquaginta; sed additus est reditus Capellaniae de jure patronatus olim Laurentii, et nunc cessae* Parocho, *qui ascendit ad Scuta 25. circiter, quae omnia simul sumpta dant scuta circiter septuaginta quinque pro* Parocho *sufficientia, dummodo* Parochus *nec ad manutentionem lampadis, nec ad alia onera teneatur, de quo in Instrumento cavendum mihi videtur. Ast ut magis magisque congrua* Parochi *assecurationem habeat EE. VV. expono, Dominicum* Marcucci *de Collibus ipsis Alabri defunctum sua bona Ecclesiae reliquisse pro Erectione Capellaniae cujus* Rector *missam celebrare debet in Oratorio ipsius domi construendo; quae omnia locum habere voluit si non esset filius de Uxore, quam putabat praegnantem, et si non esset filius reliquit usumfructum* Matri, *et Uxori in statu Viduitatis permanenti: Filius nullus natus est ex Uxore Dominici* Marcucci *haereditatem post cessationem ususfructus mihi asseritur ascendere ad bis mille scutata, cum nunc tota haereditas sit usufructui* Matris, *et Uxoris* Marcucci *subjecta, de quo post Inventarium completum in hac mea Cancellaria actus efformantur pro liquidatione Creditorum.* Possent *igitur EE. VV.* Parocho *assignare medietatem haereditatis, et reliquam Capellano.*

Quatenus vero EE. PP. censerent deputandum esse Capellanum Curatum, tum sane statuendum erit, cujus sumptibus id faciendum sit. Nam Populus *Collis* congruam spondet pro novo Parocho non vero pro Capellano Curato. Si igitur Patroni, et Canonici urgent hanc deputationem ab ipsis stipendium retribuendum videtur.

Gemina proponuntur dubia.

I. *An, et quomodo sit locus dismembrationi Villae Collis a Paroecia Ecclesiae Alabri, et Erectioni*

novae Paroeciae in Ecclesia S. Mariae Magdalenae Collis, seu potius deputationi Capellani Curati in casu etc.

II. *An, et quomodo sit providendum congruae novi Parochi in Ecclesia Collis, seu potius, et a quo sit solvendum stipendium Cappellano Curato in casu etc.*

Ad I. Affirmative ad primam partem juxta votum Episcopi reservato favore Matricis aliquo honoris signo arbitrio ejusdem Episcopi, Negative ad secundam.

Ad II. Affirmative ad primam partem per unionem Cappellaniae Laurenti, et assignationem Decimarum, facta tamen prius per Populum Collis obligatione in forma juris valida de solvendis decimis in perpetuum, et constituto fundo pro manutentione Lampadis. Negative ad secundam.

Sess. 23. Cap. 9. de Reform.

MATURANEN. REDUCTIONIS, ET TRANSLATIONIS. In Congregatione *diei 8. Februarii hujus anni* duo in hac causa proposita fuere Dubia. *I. An et quomodo sit locus Reductioni in casu etc. II. An sit consulendum SSmo pro absolutione quoad praeteritum in casu etc.* Rescriptumque prodiit ad I. *Dilata, et scribatur Vicario Capitulari juxta instructionem, et interim ad Triennium celebretur unica Missa omnibus diebus festis etiam reductis collective applicanda pro omnibus Legatis.* Ad II. *Affirmative celebrata infra octavam defunctorum Missa cum Cantu collective pro omnibus Fundatoribus ad triennium.* Cujus secundi dubii Resolutionem Sanctissimus ex Audientia *diei 8. Martii* 1817. in omnibus probavit.

Nunc de primo *Dubio* agendum. Nam scriptum fuit Vicario Capitulari juxta istructionem, scilicet - *ut perquisitis Libris, et Tabellis Ecclesiarum, in quibus Missae fuerunt celebratae, et SS. Visitationum decretis referat de Fundis Legatis ad implementum onerum, de quibus agitur, eorumque annuo reditu transmissis particulis respectivarum fundationum, quatenus iis adhibitis diligentiis fuerint inventae.* Quibus Vicarius Capitularis haec respondit.

„ Maximis, nec ulterius sperabilibus adhibitis diligentiis; supra notulam in domesticis Adversariis repertam,

tam, et transmissam, haec reperire licuit, praetereaque nihil „.

„ Pro Legato *Mauritii Pallone* in publico Oratorio de supplicantium jurepatronatus a Fundatore in Testamento relictum invenitur Capitale ducatorum *biscentum* cum onere tot Missarum annuarum, quot erunt annui ejus reditus ad rationem *caroleni* unius pro qualibet Missa. Particula Testamenti ut infra „.

„ Pro Legato Theresiae Gualtieri *semel in hebdomada de fer. IV*, ex schedulis a Testatrice in Testamento relictum dicitur Capitale ducatorum *septuaginta duorum*. Et pro altero ejusdem Legato *semel in mense cum Cantu*, aliud Capitale ducatorum *quinquaginta*. Et tria Capitalia haec Fundis haereditariis adfixa. Testamentum prae manibus non habetur; ubinamque reperiri ignoratur „.

„ Unici Testamenti, quod reperire datum, Mauritii Pallone *diei* 5. *Februarii* 1689. Particula haec est - *Item vuole, ordina, ed espressamente comanda esso Testatore, che detti suoi Eredi facciano, edificano, e costituiscano una Chiesa vicino la Casa nel luogo dove meglio piacerà a detti suoi Figli, ed Eredi; Ed in quella fondare una Cappella, seu Oratorio sotto il titolo di S. Domenico, e S. Maurizio. Per dote della quale vuole, che detti suoi eredi debbano assegnarli sopra li Beni Ereditari un annuo Canone, seu Censo di ducati* 20. *l'anno per Capitale di ducati duecento cum potestate affrancandi quandocumque in una, o più volte ... E dopo, che sarà eretta detta Chiesa, in essa si debbano celebrare tante Messe, quante capiranno a detti annui ducati venti in quelli giorni della Eddommada, che vorranno detti suoi figli ed Eredi alla ragione di un Carlino l' una da uno, o due Cappellani eligendi da detti suoi Eredi, ed amovibili ad nutum de quinquennio, ad quinquennium, e detta somma di ducati duecento loro sia lecito questa poterla affrancare quando loro piacerà in una o più volte. Della quale somma seguitone il deposito per applicarsi in nuova compra a beneficio di detta Cappella non siano tenuti essi suoi Figli ad altro.* - Item in Tabella onerum Missarum in Sacristia Parochialis Ecclesiae exposita haec leguntur - *In Ecclesia S. Mauritii*

ritii omnibus Dominicis, et Festis (et fer. IV. vel Sabbato, quando infra Hebdomadam non occurrat Festum) per haeredes quondam D. Mauritii Pallone Missae centum, et duodecim?

„ Caetera Missarum onera omnia utpote antiquiora prorsus incognita, et incerta „.

„ Pro praedictorum intelligentia notandum I. Antiquitus exigi solitos annos *ducatos decem* pro quolibet centenario: nunc vero non amplius quatuor cum dimidio juxta actuales Regni leges - II. Missarum manualium eleemosinam juxta taxam Dioecesanam fuisse *Caroleni unius* pro qualibet Missa: nunc esse *Caroleni unius cum dimidio*: Missarum perpetuarum juxta taxam Innocentianam esse *Assium viginti duorum cum dimidio*: Missarum cum Cantu manualium eleemosinam fuisse *Carolenorum duorum* nunc vero esse *Carolenorum quinque* - III. Adesse quoque annuum onus Reparationis, et manutentionis Ecclesiae Sacrorum Vasorum Supellectilium, Olei, Cerae ec. quibus inspectis unicum etiam onus Missae privatae singulis Anni Dominicis, festivisque de praecepto diebus ad Familiae, populique commoditatem, mihi grave videri.

Haec pre oculis habeant EE. PP. et dignentur deliberare Dubium.

An, et quomodo sit locus reductioni in casu ec.

Non proposita cum sequenti.

Sess. 24. Cap. 12. de Ref.

RECANATEN. JUBILATIONIS. Pertinet haec causa ad Folium Congregationis *diei 29. Martii* 1817. in qua proposito dubio - *An sit concedendum novum Indultum Jubilationis in casu ec.* - EE. PP. rescripsere - *dilata, et scribatur Episcopo juxta men-*

mentem - meus autem fuit - *Audiatur Capitulum inscriptis, et Episcopus referat de oneribus quoad servitium Chori adnexis dignitati Archidiaconatus, et utrum Orator possessionem ceperit dicti Archidiaconatus.*

Habitis Comitiis Capitularibus *die* 12. *Julii* 1817. rogata est sententia Capituli, atque - *Avendo affacciato il Signor Preposto Grimaldi alcuni riflessi sulla risoluzione presa nell'ultimo Capitolo del giorno* 12. *Giugno prossimo passato intorno alla Giubilazione domandata dal Signor Arcidiacono Rossi, i quali hanno persuaso il Capitolo medesimo a dover tenere nuovo discorso in questo affare si propone perciò se si debba condescendere alle istanze del prelodato Signor Arcidiacono non ostante, che abbia egli accettata la Bolla, che lo privava del Beneficio della sudetta Giubilazione in quanto all' Arcidiaconato, che l' obliga al solo servizio Corale delle Feste, giacchè in quanto alla provista Canonicale che l'obligava al servizio quotidiano seguita ad essere giubilato come prima*, atque cunctis suffragiis petitio rejecta fuit.

Episcopus vero in nova *Informatione* quam integram transcribo haec habet. ,, Mihi videntur potissimum duo prae oculis habenda fore veluti cardines rei, de qua agitur, ni fallor, praecipui: nimirum Archidiaconum praefatum id genus gratiae nedum ob rite, diligenterque amplius quadraginta annis praestitum in statu Canonicali chorale servitium quemadmodum bis anno 1811. Canonicorum Collegium testatum est, verum etiam magis ob adversae valetudinis incommoda, testantibus id Physicis, impetrasse. Deinceps Literarum Apostolicarum, quibus ei Archidiaconatus collatus est, formulam illam, qua cessasse dicitur Jubilationis Indultum, nedum usitato more adhiberi, sed etiam fere nunquam usque modo damni quidpiam indulto eodem potientibus intulisse: id sane, missis externis, domesticis vel ipsis comprobatur exemplis; Nam Nicolaus de Prosperis in Cathedrali Recanatensi prius Altarista, deinde Canonicus, et Antonius de Flamminiis, ut alias notaveram, olim Canonicus in eadem Cathedrali modo Archipresbyter, ru-

rude quidem ambo donati fuere. His adductus, quippe quae haud mihi spernenda viderentur, Canonicos Recanatenses, quo jussa praeficerem Eminentissimorum Patrum, rursus efflagitaveram, ut denuo conventum agerent, sperans fore, ut diligentiam suam excutientes viderent, haud plane iniqua ab Archidiacono neque insolentia postulari. Verum cum non tam facile, quae praecogitarunt, homines soleant accidere, mea quidem, velut Apographum hisce Litteris adnexum ostendit, me fefellit opinio. His tamen de sententia, ne quid per injuriam loquar, moveri non possum; iterum ergo, prout ipsi me Eminentissimi Patres jubent, animi mei sensum aperiam. Praemisso itaque praefatum Joannem Andream possessionem Archidiaconatus jam cepisse, cujus onera ad servitium diebus festis Choro praestandum reducuntur, ingenue proferam, Indultum jubilationis, quod Rossius exposcit, nemini damno esse: non Ecclesiae, quia, cum Archidiaconus aegritudinibus suis, inter quas est difficultas urinae, levatur interesse Choro, tametsi honesta missione donatus, non desineret; non item Dignitatibus reliquis quandoquidem in Cathedrali Recanatensi, si forte Dignitates omnes simul abesse contigerit supplere Canonici, probata consuetudine solent, quemadmodum Oratorem ipsum solemnioribus diebus, quibus Dignitates addictae sunt, dum Canonicus esset, non semel praestitisse comprobatur. Quae cum ita sint, et praecipue ob adversam valetudinem, quae adhuc perseverat, Oratori, ut praemonui Jubilationis fuerit concessum Indultum, neque usitata Litterarum Apostolicarum formula obstiterit, ne caeteri Indultum idem prorsus aequalibus in circumstantiis consequerentur, etiam si Canonici secus sentire maluerint, novo tamen Indulto locum non esse, sed vetus posse in suo robore permanere censerem. "

Hisce perpensis deliberandum proponitur dubium

An sit concedendum novum Indultum Jubilationis in casu etc.

Die

Die Sabathi 29. Novembris 1817. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua præter alia proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

MATURANEN. REDUCTIONIS, ET TRANSLATIONIS. *Sess. 23. Cap. 9. de Reform.*

An, et quomodo sit locus reductionis in casu etc.

Firma remanente celebratione Missae omnibus diebus Festis ad formam praecedentis Rescripti, et celebratis pro Legatis Galtieri tot Missis ad Manualem currentem, quot reditus, ex Capitali assignato, in Reliquis affirmative.

RECANATEN. JUBILATIONIS. *Sess. 24. Cap. 12. de Reform.*

An sit concedendum novum Indultum jubilationis in casu etc.

Attentis peculiaribus circumstantiis consulendum SSmo pro gratia exclusis tamen functionibus, si quae sunt, peculiariter Archidiaconatui addictis.

Sess. 22. Cap. 6. et Sess. 25. Cap. 4. de Reform.

CASALEN. In praeterita rerum Ecclesiasticarum perturbatione, multa in Capitulo Cathedralis Casalis immutata fuere, quae nunc ad antiquam disciplinam reformanda idem Capitulum postulat. Rem multis innodatam controversiis accuratissime explanavit Eminentissimus, et Reverendissimus Albani in suo elucubratissimo voto, quod ad litteram hic trascribo, ut quae facti, et juris sunt EE. PP. cognoscere possint.

,, Casalense Capitulum in Subalpina Gallia sub simplicis Collegiatae titulo, jam ab aevo vetustissimo fundatum et a Summo deinde Pontifice Sixto IV. ad honorem Cathedralis Ecclesiae S. Evasio Sacrae evectum duobus, et viginti Canonicis constabat, quorum primi sex totidem Dignitates exhibebant distinctas nominibus *Praepositi*, *Archidiaconi*, *Archipresbyteri*, *Cantoris*, *Decani*, *ac Primicerii*; Reliqui vero sexdecim simplices erant Canonici, atque inter hos *Theologus*, *et Paenitentiarius* numerabantur. Penes ipsum Capitulum *habitualis* quoque animarum cura manebat, quam tamen Vice-Parochus ad nutum amovibilis actu exercebat. ,,

,, Tres ex iis Dignitatibus, *Praepositus*, *Archidiaconus Primicerius* peculiari praebenda fruebantur: harumque collatio, ad Praeposituram quod attinet Celsissimo Sardiniae Regi, quoad alias duas Apostolicae Sedi reservata erat. Reliquae tres optioni suberant inter Canonicos Seniores. Canonicatuum vacantium nominatio alternatim binis quibuslibet Mensibus ad praedictam Apostolicam Sedem, tertio successivo, ad Capitulum pertinebat. Theologi, et Poenitentiarii munus per concursum conferebatur, atque huic postremo parvula quaedam praebenda a reliquis distincta accedebat. Tandem Capitulum ipsum peculiaribus regebatur Statutis peculiaribusque etiam oneribus gravabatur.

,, Haec erat Casalensis Capituli conditio, cum infanda accidit rerum omnium publicarum conversio, quam omnes maerentes vidimus, et recordamur. Malesana tunc dominandi libido non laicam dumtaxat potestatem usurpare, sed ecclesiasticam quoque disciplinam ne-

nefario ausu invadere visa fuit. Hinc et Casalense Capitulum suis agitatum fluctibus, suisque procellis conturbatum est. Anno primum 1803. vim sibi fieri, suaque jura, et auctoritatem laedi intellexit, cum scilicet ad vacatum ordinario Mense Canonicatum emeritum D. Thomam *Cavatore* Hospitii Pauperum Rectorem designare prohibitum fuit. Ast id levissimum erat graviorum, quae mox imminebant, malorum indicium. ,,

,, Etenim die 7. Martii 1806. Neapoleonis tunc Imperatoris decretum prodiit, quo singularium in universum Canonicatuum collatio uni Episcopo attributa fuit; atque hoc alterum illico excepit die 8. insequentis Maii, quo sancitum, *ut* quorumcumque Capitulorum Canonici ad numerum sexdecim redigerentur; *ut* singuli reditus, ac praebendae coacervarentur, duasque in partes deinde secernerentur, quarum altera fructuum loco staret viritim inter Canonicos partiendorum, altera vero quotidianis *distributionibus* addiceretur. *Ut* tandem onera etiam confunderentur, ac minuerentur. ,,

,, Praeerat interea Casalensi Ecclesiae Joannes Crysostomus Villaret, alias Ambialensis Episcopus, qui cum decreta illa executioni committenda putaverit, Canonicatus reduxit, reditus, et praebendas univit, onera coacervata diminuit, et chori etiam functiones reduxit: Neque hoc solum. Nam veteribus praeterea statutis penitus abrogatis, nova ipsemet proposuit, atque suffecit, quorum adprobationem a profano Ministro, quem ajebant *de' Culti* sollicitaverat.

,, Novae hae Constitutiones Capituli Dignitates ad tres dumtaxat redigerunt sub nomine *Archidiaconi*, *Cantoris*, et *Thesaurarii*. Officiales nuncupaverunt Canonicos, *Theologum Poenitentiarium*, *Archipraesbyterum*, cui insuper postremo animarum Curam libere, et absolute crediderunt: Vicario Generali facultates quamplures extraordinarias, et jus peragendi solemnia; Episcopi absentis loco tribuerunt; ac tandem Capitularia Comitia cogi, sine interventu ejusdem Vicarii prohibuerunt. ,,

,, Hisce in genere constitutis ad specialia, etiam Episcopus Villaret quam cito devenit. Et primo quidem Vi-

ce-Parochus amovibilis, (quod munus ab altero ex Canonicis Aloysio Novarese tunc exercebatur,) in absolutum, et perpetuum Parochum convertit talique pacto idem Novarese ultimus Officialis evasit, sub nomine Archipraesbyteri. Deinde Canonicus Poenitentiarius Carolus Luparia qui jam a decennio munus illud per concursum adeptum Bullisque Apostolicis confirmatum gerebat, per modum facti destituit, et in ejus locum Vincentium De Conti subrogavit. Tandem cum Mense Octobris anni 1809. Canonicus Mandilia obiisset, qui ex novis Statutis Dignitatem Archipraesbyteri cum alia Thesaurarii commutaverat, neque optandam hanc, neque conferendam Episcopus censuit, sed cum ex Mandilii obitu Senideni Canonici superfuissent, cunctandum existimavit, donec et Canonicum simul, et Dignitatem nominare posset.,,

" Factum hoc tandem Mense Majo 1812. per obitum Canonici Roselli. Tunc quippe Vicario Suo Generali Francisco Mariae Salina Canonicatum simul, et Thesauraii Dignitatem Episcopus contulit, ipsique praeterea facultatem fecit percipiendi fructus, atque distributiones, etiam si choralibus, caeterisque functionibus abfuisset. Possessionem Salina per delegatum apprehendit, nedum Hebdomada, quae dicitur *probatoria* aliaque ad *turnum* neglecta, sed consueto etiam jurejurando, et professione fidei penitus praetermissa.

" Publicis vix rebus pacatis, et Pontifice Optimo Maximo Pio VII bonorum Omnium desiderio, veterique Suae Sedi, adversus quam portae Inferi non praevalebunt, felicissime restituto, supplices coram ipse Casalenses Canonici subito steterunt Capituli mala exponentes, et praesidium, ac opem postulantes. Questi primum, et potissime sunt de nominatione Vicarii Salina in Canonicum, et Thesaurarium. Hanc vero multiplici ex capite nullam esse contendunt, et primo quidem ex defectu legittimae Auctoritatis in Episcopo nam res eo usque procedit, ut de hujus etiam Canonica institutione, ob neglectam Bullarum praesentationem, legalemque possessionis apprehensionem dubitetur: *Secundo* ex defectu materiae, quia Dignitas Thesaurarii a Capi-

pituli constitutionibus penitus extranea erat; vetitum autem Episcopo sit novas Dignitates sine consensu Apostolicae Sedis, vel saltem Capituli procreare: *Tertio* ex jure optionis, cum ex iisdem Constitutionibus profluat, ut ad vacantes dignitates (excepta Praepositura, cujus nominatio Celsissimo Sardiniae Regi spectabat, et excepto Archidiaconatu, et Primiceriatu a S. Sede conferendo) Seniores Canonici optare queant: *Quarto* ex jure devolutionis, quod hujusce dignitatis collatio per triennium dilata fuerit, ex quo ad *Archiepiscopum Thaurinensem* pertinuissent; *Quinto* ex quodam etiam Secularis potestatis decreto cujus vi Vicarii Generalis Officium cum Canonicali Dignitate incompatibile redditum dicitur; *Sexto* quia Vicarius Salina pluribus tam beneficiis fruebatur, quae aliorum collationem reddebant illicitam: *Septimo* quia Fidei professionem, et servandorum Statutorum jusjujandum emittere, nec non hebdomadam *probatoriam* agere praetermiserat; *Octavo*, quia Choro, aliisque Sacris rarissimo interfuit, et fructus nihilominus, et distributiones usque percepit, ac tandem Augustam Thaurinorum sine venia concessit; *Nono* denique, quia Canonicatus Salinae collatus Mense Majo Sanctae Sedi reservato vacaverat, et ab hac proinde, quasi jure postliminii, iterum hodie conferendus sit, stantibus praesentim vitiis praecedentis Collationis.

Hisce contra Salinam fuse animadversis, orationem Canonici perstringunt enixeque postulant, ut praeterita sanentur, prospiciaturque futuris. Postulant scilicet, quoad praeteritum plenam abosolutionem, quoad fructus ex omnibus indistincte Praebendis coacervatim perceptos, quoad Chorale Servitium, aliasque functioens imminutas, quoad Legata, Missas Anniversaria, caeteraque onera ob reductionem non adimpleta, verbo quoad ea omnia, quae contra formam veterem Statutorum, ingenitasque Capituli leges ex temporum circumstantiis, novisque Constitutionibus vel omittere, vel comittere coacti sunt. Quoad *futurum* vero ea quae dubia proponuntur.

1. An Capitulo jus sit veterum Statutorum observantiam propria Auctoritate redintegrandi,

2. An

2. An item jus ei sit Vice-Parochum amovibilem, prout antea consueverat; nominandi.
3. An, et quomodo Canonicus Luparia, olim Paenitentiarius, ad officium reverti, caeteraeque Dignitates juxta statuta Capituli optari possint, et quid potissimum de tertia Archipraesbyteri Dignitate, quam Episcopus in Thesaurarium convertit, et Salinae contulit.
4. An valida fuerit praedicti Salinae nominatio, et quatenus affirmative, an ultimam in Choro Sedem tenere, neglectasque Statutorum regulas adimplere debebat, et an ommissa hactenus professione Fidei, et habdomada probatoria, licite nihilominus fructus percipere, suosque facere potuerit.
5. An, et quomodo consulendum sit sequutae praebendarum, et legatorum commixtioni, et an numerus Canonicorum ad veterem viginti duorum restitui debeat, considerato tamen, quod cujusque Canonici reditus jam ab origine tenuis, et ex temporum vicibus tenuior factus, ac in parvulis Canonibus difficilis exactionis plerumque consistens, restitutis in pristinum praebendis, redintegratoque antiquo numero Canonicorum tenuissimus esset.
6. An veteribus sex Dignitatibus revocatis indulgendum sit pro hac vice tantum Capitulo, ut ad vacantem jam ab anno 1807. Primicerium per optionem adspiret, et si hujusce nominatio ad S. Sedem pertineat.
7. An reintegrationem antiqui numeri Canonicorum differre expediat donec congrua ipsorum alimoniae prospiciatur.
8. Tandem an interim, et quousque antiquus numerus Canonicorum non restituatur, chorales quoque functiones, quae in vim Statutorum ternae esse in singulos dies deberent ad binas redigere liceat.

Haec habet Casalense Capitulum insupplici suo libello, qui vacante nunc per renunciationem Episcopi Villaret Casalensi Ecclesia pro informatione, et Voto ad Vicarium Capitularem a SSmo deputatum ablegatus fuit, audito Capitulo, et Canonico Salina ad effectum referendi 1. de annuo redditu singularum praebendarum comprehensis distributionibus, et tran smis-

smisso Statu activo, et passivo tam praebendarum, quam legatorum ; 2. de Mediis providendi pro redintegranda observantia veterum Statutorum ; 3. Utrum suppettant redditus ad congruam antiqui numeri Canonicorum, compraehenso Parocho : 4. Demum utrum juribus Capituli, quoad Curam Animarum, praejudicium inferatur per deputationem Vicarii Perpetui ab eo nominandi, et instituendi, praemisso concursu ad formam Sacri Concili Tridentini.

Verum dum haec agebantur ex parte etiam Canonici Salina quem Capituli postulata latere non poterant, geminus distinctus libellus Sacrae Nostrae Congregationi porrectus fuit. In uno de anteacti temporis innovationibus, deque validitate nominationis, institutionisque suae multa disseruntur ; de quo quidem opportunior infra Sermo redibit ; in altero autem veniam implorat Choralis *residentiae* ex quo Augustae Thaurinorum degere compellatur ob novissime Collatum sibi a pientissimo Rege munus Theologicam facultatem in regia illa Accademia profitendi. Hae quoque preces ad Vicarium Capitularem *pro informatione, et voto* audito Capitulo transmissae sunt.

Denique suas etiam preces Sacrea Congregationi obtulit Canonicus Luparia olim Paenitentiarius, qui ad officium illud ita tandem reintegrari efflagitat, ut solum nomen, dignitatemque emeriti Paenitentarii retineat.

De his rebus omnibus agendum nobis, et sedulo prospicendum est ; cumque ex delegatione hujus S. Congregationis commissum mihi fuerit rem perpendere, et quid ego sentirem patefacere, mei muneris partes erunt ea primum referre, quae ex respectivis Informationibus hausta ad rem ulterius cognoscendam, et explanandam conducere videntur, deinde vero, quae mea sit mens, ac consilium Singillatim, et libere patefacere.

Et *primo* quidem Sacra Nostra *Congregatio* Vicario Capitulari commiserat — *Ut audito Capitulo referret super annuo reditu singularum praebendarum, compre-*

prehensis distributionibus , et transmisso Statu activo , et passivo tam praebendarum , quam legatorum . - Huic oneri leviter nimis , tum a Capitulo , tum ab ipso Vicario Capitulari satis factum est . Inquit scilicet Capitulum breviloquis verbis , residentiae choralis fructus ascendisse olim ad annua scuta ♈ 1085. 79. ; nunc vero praebendis, Missis, Anniversariis congestis , universum redditum inter singulos Canonicos quotannis partiendum ad Scuta evehi 3285. 36. Schema praeterea exhibet , ex quo id ipsum emergit , et ex quo insuper colligitur antiqua onera Missarum , et anniversariorum ad medietatem fuisse diminuta , eaque modo consistere in annuis Anniversariis quadraginta octo , et in Missis annuis 3840. ; quarum celebrandarum onus in sexdecim Canonicos distributum , tenentur singuli annuas Missas 240. celebrare . Vicarius vero Capitularis praecisius indigitat veterem uniuscujusque Canonici reditum in annuis scutis 160. stetisse ; et nonnullos insuper , peculiares praebendas , ut initio monitum est , habuisse , videlicet Praepositum , Archidiaconum , Primicerium , atque Poenitentiarium , ex quarum prima redibant quotannis Scut. 157. , ex altera Scut. 243. , ex tertia Scut. 38., demum ex postrema Scut. 16. Hodie autem coacervatis singulis fructibus , unumquemque Canonicum annua Scuta 240. promiscue percipere .

Quaerebatur *Secundo loco* - De Mediis providendi pro reintegranda observantia veterum Statutorum - Respondet Capitulum nihil aliud fieri oportere , nisi praevia eorumdem confirmatione decernere , quod liberum ei sit juxta illorum formam procedere , et omnia in pristinum reducere , excepta solum chorali residentia , quam duplicem dumtaxat in singulos dies , nonnullis adjunctis functionibus , sacrisque exercitiis , prout jam in precibus exposuerat , esse posse suadet . Praeterea legatorum quoque , Missarum , Anniversariorum , et omnium in genere onerum unionem , eo quo nunc stat modo , servari Capitulum optat , cum propemodum impossibile reputet singula hodie pernoscere , et prout antiquitus erant , discriminare iterum , atque secernere . Pau-

ca

ca de hoc, et parum distincte Vicarius Capitularis, qui restitutioni antiquorum Statutorum in genere annuens de eo solum in specie sollicitus videtur, ut Seminarii administrationi; Manutentioni, Fabricae, et cujusdam quartae cerae adversus Filiales Ecclesias repetitioni juxta veterem formam prospiciatur; additque praeterea, Canonico Salina Dignitetem Primicerii, extranea illa Thesaurarii abrogata, conferri posse. Canonicum vero Novarese, qui ex Vice-Parocho, Archipresbyter creatus fuit, nullimode talem conservandum esse.

Sciscitatum *tertio* - Utrum suppetant reditus ad congruam, pro antiquo numero Canonicorum, comprehenso Parocho. - Hoc tuto negat Capitulum, actualesque conglomeratos reditus vix congruos censet decenti sexdecim Canonicorum exhibitioni. Rogat hinc, ut pro nunc, tum *Massa* Communis, tum numerus senidenus conservetur, quem non alias augeri posse arbitratur, nisi aut adjunctis Capitulo piorum locorum bonis, quae anteactis temporibus suppressa sunt aut redditibus in ipsum collatis suppressae itidem Collegiatae Sanctae Mariae Majoris, (in quo et Vicarius Capitularis consentit), pro modo tamen, et tempore, quo vacabunt, cum adhuc a Superstitibus ejusdem Collegiatae Canonicis possideantur. Multa quoad hoc proponuntur ad regularem unionem peragendam, quae sicuti, quod ego sentiam, ineptissima sunt ita, silentio praetermitto.

Quarto demum Sacra Congregatio rogaverat - *an juribus Capituli praejudicium inferretur per deputationem Vicarii perpetui ab eo nominandi, et instituendi praemisso concursu ad formam Tridentini Concilii.* - Huic quoque Sententiae Capitulum, pro viribus obstat, mordicusque tuetur, jus sibi esse Vice-Parochum amovibilem eligendi Bullamque in id recinit Sanctae memoriae Pauli V. Tridentino Concilio posteriorem, qua Casalensis Episcopi Vicario mandatum fuit - *De nihil innovando super statum amovibilem Curae Sancti Evasii.* -

Post haec enucleata, ad ea quae in supplici libello fusius exposuit Capitulum se refert, concluditque exprobando iterum, et accusando Canonici Salinae no-

minationem; cui nihilum posse prodesse tuetur obtenta nuper a Sacra Poenitentiaria, quoad omissam fidei professionem, ac hebdomadam probatoriam absolutio, utpote quae, pendente jam hoc recursu, superaccessit.

Idem praeterea Capitulum super praecibus ejusdem Salinae veniam residentiae postulantis interrogatum plura adversus ipsum denuo conglomerat in separato libello expresse ad id concinnato: Sicuti autem eamet ipsa argumenta generatim regerit, quae jam in primo exposuerat, quaeque nos jam superius retulimus, ita ab iis recolendis consulto hic abstinemus. Id unum tamen animadvertendum putamus veniae a Salina petitae Capitulum obsistere etiam ob Causam, quod is pluribus aliis beneficiis instructus sit, quodque ob tenuem Canonicorum numerum, quorum insuper aliqui vel valetudine, vel alio personali officio detenti sunt, Chori, et Ecclesiae servitio detrimentum accedat. Neque illud in ima cera praetermittitur, veniam ad summum pro solis octo Mensibus, queis Theologica facultas in regia Universitate docetur, non autem pro integro anno locum habere posse, eamdemque fructus duntaxat Canonicalis Praebendae non etiam quotidianas distributiones respicere debere.

Finis hic animadversionum Capituli, quibus mox Canonici Salinae responsio, et pecularis alia, atque distincta Vicarii Capitularis a SS.mo deputati informatio succedit. Utraque porro perfecte collimat in refellendis, vindicandisque nullitatibus, et vitiis, quae adversus nominationem, institutionemque praedicti Salina Capitulum objicit. Hinc operae pretium est, objectiones ipsas recolere, et quae singillatim respondentur per summa capita attingere. *Primo* itaque dubitare Canonici visi fuerunt de legittima Auctoritate Episcopi Villaret ob praetermissam Bullarum suae institutionis praesentationem, legalemlemque possessionis apprehensionem. Objecto huic quantum gravi, tantum acerbissimo, tum Salina, tum Vicarius Capitularis graviter succensent, et arduum esse dicunt id contendi ab iis - *qui non semel Praesuli Pontificalia in Cathedrali Ecclesia exercen-*

ti

li inservierunt, *sive Chrisma fidelibus Ministranti*. — A temporum hinc, disciplinaeque et legum perturbatione repetunt, *quod Episcopus sollicitus*, *aut potius monitus non fuerit de iis adimplendis*, *quae Sacri Canones, et Pontificia decreta praescribebant* — . Addunt omnibus juribus, et facultatibus extraordinariis fuisse Episcopum ratione temporum communitum appellantque praesertim ad Notificationem Emi Cardinalis Gerdil, et ad posteriorem Thaurinensis Archiepiscopi declarationem. Concludunt tandem, quod si de legittima Episcopi Villaret institutione fas esset ambigere, non una Canonici Salina nominatio, sed infinita jam, et poenitus universa acta exprobanda essent, reformanda, delenda, quae in longo Episcopatus exercitio ipse peregit.

Secunda, *Tertia*, *Quarta*, *et Quinta* objectio affines inter se sunt, et possunt idcirco faciiioris studii gratia in unum colligi, et conjunctim tractari. Pertinent autem singulae ad validitatem potius collatae dignitatis Thesaurarii, quam ad Canonicatum. Opponitur siquidem, *quod* dignitas Thesaurarii extranea esset a Capituli legibus, quod dignitates non nisi per optionem acquiri possent, *quod* post lapsum triennii ex quo tertia illa dignitas vacaverat, nominandi jus ad Archiepiscopum devolutum esset, tandem *quod* Laicale etiam Decretum impedimento foret, quominus Salina Vicarius insimul Generalis, et Canonicus Thesaurarius maneret. Sed cuncta haec generali primum responsione convelluntur extraordinariarum facultatum, quibus Episcopus praeditus erat, *quaecumque beneficia*, *et dignitates etiam Apostolicae Sedi reservata conferendi*, *prout Ecclesiae utilitas*, *vel necessitas requireret*: mox vero pressius animadvertitur, Dignitatem, qua de agitur, nomine tenus fuisse novatam, vere tamen, et re ipsa ex illis esse, quae jam antea aderant: optionis jus prout et caeteras omnes regulas generales e conspectu specialis constitutionis novissimae, qua tunc Casalense Capitulum regebatur, penitus conticuisse voluisse Episcopum *Vicario suo generali totum amplissimae dioecesis pondus sustinenti*, *dum ipse Lutheutiae Parisiorum detinebatur*, *non quemcumque*

Canonicatum conferre sed qui dignitate praestaret, ne sederet postremus in Ecclesia, qui primas, maximasque in Diaecesis administratione partes habebat, tandem Canonicos ipsos *nemine reclamante, par in diuturno silentio, partim effusis etiam gratulationibus nominationem Salinae confirmavisse*.

Sexta objectio desumebatur ex eo, quod Salina pluribus beneficiis frueretur, quae aliorum collationi parabat obstaculum: *Atqui* (ait Vicarius Capitularis ejusdem Salinae excusationi plaudens) *atqui tunc temporis Pedemontani Episcopi extraordinariis, amplissimisque facultatibus donabantur. Potuit ergo Canonicus Salina valide dispensari et si nulla lege teneretur de dispensatione ipsa Capitulum certiorem facere. Aliunde accessus ad Apostolicam Sedem erat difficillimus, ne dicam impossibilis.*

Neque hoc solum - Sed est, quod in hac re attentius
- perpendendum sit (Vicarius prosequitur,) scilicet
- Episcopum Villaret in ea incidisse tempora, quibus
- maxime pertimescendum erat (timorem probavit
- eventus) ut beneficiorum collatio a Gubernio quam
- citissime prohiberetur. Nil magis propterea solli-
- citus ipse fuit, quam singularibus praemiis virum
- eximium de de se meritissimum exornare cui nihil
- imposterum quidpiam conferre posse suspicabatur;
- Canonicorum enim numerus talis adhuc erat, quem
- Imperator ipse magno quidem Ecclesiarum detri-
- mento, sed ferrea lege valde imminutum volebat,
- antequam novis nominationibus fuisset locus.
- Neque dicant potuisse Professorem egregium ali-
- qua Beneficia dimittere, cum ad Dignitatem Ca-
- nonicalem promotus fuit. Quibus enim quaeso
- ista renunciare? Episcopus vacantia conferre vi
- prohibitus erat; Renunciationes in favorem Guber-
- nium acriter persequebatur; omnia itaque generalis
- Oeconomus Administrabat; ad quod illorum re-
- ditus pervenirent, dicant, qui noverint, non cer-
- te ad Ecclesiae Ministros: Rem itaque Ecclesiae
- utilissimam gerebat Salina beneficia retinendo, ne
- ad profanos usus converterentur. Nunc vero ex re-
- gestris hujus Curiae evidenter constat unum (il-
- lud sub titulo S. Aloysii) septem ab hinc mensibus

in

- in manu Ordinarii renunciasse, reditus vero alio-
- rum ultra omnem fidem augeri certissime scio ex
- probatissimis testibus, qui illos administrant, qui-
- que ex annuis eorumdem Beneficiorum reditibus
- simul sumptis summam octingentorum francorum
- de nitido seu biscentum scutorum circiter vix per-
- cipiunt. Quod vero asserunt Canonici Beneficium
- sub titulo S. Ambrosii ab Oratore possideri, scio id
- nequaquam verum esse. Ad hoc quidem nomina-
- tus fuerant et Canonice institutus a Reverendissimo
- Episcopo Casalensi nonnullis annis, antequam Ca-
- nonicus fieret sed ejusdem possessionem nunquam
- potuit obtinere ob regulas, seu privatas quasdam
- Institutiones a Gubernio eo precise tempore Aeco-
- nomo Generali datas de cujusvis Beneficii simplicis
- possessione nulli danda. Illud etiam relatum mihi
- est, eam tunc temporis fuisse mentem Oratoris, ut
- si praedicti Beneficii possessionem nancisci potuis-
- set, omnia alia, uno tantum retento, in Ma-
- nu Ordinarii renunciaret, statim atque idem Ordina-
- rius de iis disponere potuisset; quod quidem verum
- fuisse puto, quum certo nunc sciam, eumdem
- Oratorem post Augustissimum Regis reditum in
- Subalpinas Regiones hanc ipsam suam mentem
- Gubernio manifestasse, ut posset tandem dicti Be-
- neficii possessionem adire, quod tamen nondum
- obtinuit. -

Objiciebatur *Septimo* nec fidei professionem, nec praestationem consueti juramenti, nec Hebdomadam probatoriam, verbo nihil illorum, quae Canonice requiruntur, ut quis *in Fratrem* recipiatur Salinam praemisisse. Ast hic quoque non melius expediri res potest, quam informantis Vicarii verba, cum ejusdem Salinae sensibus apprime congruentia recitando -
- Mirum non est, (inquit Vicarius), - haec omnia
- inadvertenter viro excidisse gravissimis totius Dioe-
- cesis amplissimae negotiis perpetuo distento, cui
- de rebus propriis cavere, sed ne cogitare quidem
- tempus dabatur; mirum potius neminem ex Col-
- legis fuisse, qui quum novus provisus Bullas suae
- Institutionis, Capitulo exhibuit, antequam Cano-
- nicatus possessionem adipisceretur, isthaec ipsius

ocn-

- oculis opportune subjecerit: neminem qui duorum fere annorum spatio, id fecerit. Timendi ne erant carcerum squallores, exilia, lectissimi hominis illius irae si quis viro in tanta Dignitate constituto, singulari humanitate omnibus caro, calamitatem illorum temporum, praesertim vero Ecclesiae captivitatem saepissime deflenti, Decreta Concilii Tridentini, statuta Capitularia in mentem revocasset?

- Sedata demum sevissima tempestate, certior factus Franciscus Maria Salina de gravi hoc licet involuntario defectu statim pro remedio ad Sacrum Paenitentiariae Tribunal convolavit, a quo pro duplici foro rescripta venerunt, scilicet pro foro interno, ut fructus perceptos, quousque in pios usus, ut ipse testatus est, fere totos erogaverat, tuta conscientia retineret: pro externo autem, ut coram Episcopo, et duobus Canonicis Fidei professionem emitteret, Juramentum proferret; quae omnia sub die decima quinta Julii proxime fluxi ipse praestitit praesentibus videlicet nomine Epitcopi absentis, Domino Amadeo Fioretti Sacrae Teologiae Doctori, ejusque Pro Vicario Generali (nunc vero Pro-Vicario meo Capitulari) ad id specialiter delegato, meque infrascripto, et Vincentio Fratre amantissimo. - Atque hujus quidem actus authenticum exemplar ad S. Congregationem a Vicario Capitulari transmissum Processui alligatum est.

Ex hisce autem suam ille informationem ita concludit: - Quum vero Sacrosanctum Tridentinum Concilium non aliam paenam inflixerit, praeter amissionem fructuum iis, qui Fidei Professionem; et Juramentum praestare neglexerint; nescio quo jure Doctorem Salina, etiam beneficio ipsi canonice collato pro dicta omissione spoliatum asserunt. -

Levis est *octava* accusatio, quod Salina residentiae legibus non paruerit, nec Chorale servitium praestiterit - Quicumque enim (Vicarius Capitularis est, - qui iterum loquitur): - Quicumque haec a Vicario Generali hujus Casalensis Dioecesis ex quatuor - conflatae repetenda duxerit is magno in errore versatur. Profecto expressa lege a tunc temporis Episco-

- scopo, Vicarius Generalis a Chorali servitio exem-
- ptus fuerat ; Episcopus vero Apostolicis facultati-
- bus ita decernendo utebatur . Quidquod certissi-
- me constat in tanta , qua obruebatur negotiorum
- congerie , nunquam diebus Festis ipsum Choralibus functionibus defuisse , nunquam tempore Adventus , nunquam Quadragesimae ? Quod insuper
- ajunt mensibus praeteritis e Dioecesi ipsummet abfuisse , nemo ignorat Augustae Taurinorum ab Episcopo suo Villaret , ter , quaterque vocatum fuisse , quippe qui consilio tanti viri in rebus maximi momenti utebatur , et quando ab Urbe Casalensi discedendum illi fuit , ut se Augustam Taurinorum conferret ad Theologiam publice docendam , scio eum uniuscujusque Canonici domum convenisse , ibique schedulam manu scriptam sui erga singulos obsequii testem reliquisse .

Nona tandem superest Capituli difficultas in eo reposita , quod collatio Canonicatus , qui mense ad Apostolicam Sedem reservato vacaverat , ad ipsam , quae summo favente numine feliciter nunc libero suorum jurium exercitio restituta est, quasi jure postliminii pertineat . Verum haec fere omnium levissima negligitur penitus tum a Vicario , tum ab ipso Salina; et re quidem vera pura est petitio principii ad restituta Apostolicae Sedis jura confugere , ut nominationis ab Episcopo jam antea factae nullitas arguatur. Nullitas haec in antecessum statuenda , concludenterque probanda fuisse , ut deinde queri posset cuinam hodie jus novae collationis competat . Sed cum non minus ex jam dictis , quam ex inferius dicendis de legittima, et Canonica Institutione ipsius Praesulis Villaret in Episcopum Casalensem nulla quaestio moveri possit , idcirco ineptum etiam est de validitate collationis supradicti Canonicatus , de que jure novae collationis disputare .

Spectant haec ad validitatem nominationis institutionisque Franciscae Mariae Salina in Canonicum, et Thesaurarium Casalensis Ecclesiae . Quod vero ad veniam attinet residentiae , quam ipse postulat ob munus Theologici antecessoris ad quod in Regia Accademia Augustae Taurinorum a pientissimo Rege novissime desi-

designatus fuit, cuique petitioni obstare itidem Capitulum novimus, tum in genere quia fructibus aliorum Beneficiorum satis provisus sit, desitque insuper Ecclesiae conveniens servitium, tum etiam in specie quia pro octo dumtaxat Theologicae lectionis mensibus, et pro unius praeterea Praebendae Canonicalis fructibus, non autem pro integro anno, nec pro quotidianis etiam distributionibus venia tribuenda ad summum esset; Orator Salina, et Vicarius Capitularis replicare non desinunt, in genere item primo, quod clara in id et diserta est Honorii III. constitutio mandantis ut - *docentes in Theologica facultate percipiant proventus praebendarum, et beneficiorum suorum* (*cap. ultimo de Magistris*) in specie autem deinde *quod* fructus aliorum beneficiorum adhuc a Salina possessorum vix annua scuta 150. (Francos 800.) circiter constant, quod congrui servitii defectus plusquam par sit amplificatur, quod Professoris munera, docendaeque facultatis accessoria, non tempora dumtaxat publicae praelectionis sed integrum omnino annum sibi vindicant; praetereaque asperum nimis, et incommodum foret Augusta Taurinorum Casale versus quotannis discedere, et identidem ab hoc ad illam remeare, quod denique de solis reapse Praebendae Canonicalis fructibus percipiendis, non autem de quotidianis etiam distributionibus lucrandis petitio intelligenda est.

Haec tota est, et fida narratio factorum, rerum, controversiarum, quae ad Sacram nostram Congregationem delatae sunt, et de quibus ferre oportet judicium. Quod ipse sentiam id primum, atque potissimum statuendum, firmiterque retinendum est, omnia in pristinum reducenda et quantum licet adveterem formam, et consuetudinem restituenda esse. Huic principio accomodari caetera stricteque famulari debent, atque ex hoc ipso responsa educenda sunt, et decisio sumenda pro singulis questionibus, quae respective proponuntur, et ad quas singillatim evolvendas jam propius accedo.

Casalense Capitulum id *primo* flagitat, ut Apostolica auctoritate omnia sanentur, quae ad praeteritum pertinent, quae scilicet contra formam veterum statutorum nec non etiam contra Canonicas leges verendam

damque Ecclesiae disciplinam ex temporum perturbatione facta sunt. Huc praecipue spectat Praebendarum, et reddituum commixtio, choralis servitii, aliorumque sacrorum reductio Legatorum, Missarum, Anniversariorum, et reliquorum onerum unio, ac diminutio, et si quae tandem sunt ejusmodi alia. Indulgendum quoad hoc supplicantis Capituli votis existimo, *et SSmo consulendum qui quoad praeteritum plenam illi absolutionem, et gratiam ratione temporum tristissimorum impertietur*.

Progreditur *deinde* Capitulum, decisionemque implorat nonnullorum dubiorum, quae pristini ordinis, pristinarumque formarum reintegrationem respiciunt. Hic autem congruentius mihi, et utilius videtur, si a methodo non satis concinna supplicis libelli aliquantulum recedendo, generales primo regulae ponantur, et mox peculiaribus casibus, peculiariter, distincteque prospiciatur. In genere itaque decernerem.

I. Veteres, leges, consuetudines, statuta in pristinum redigenda esse salvis iis, quae sive nunc per modum provisionis aliter propununtur, sive quae S. haec Congregatio suis loco, et tempore, et post novas requisitas prout in sequenti regula informationes, diverso forsan modo statuenda censuerit.

II. Dandam esse diligenter operam intra biennium, ut Praebendae Distributiones, aliique fructus secernantur, nec non etiam Missae, Anniversaria, legata, et caetera quaevis onera ad antiquum statum revocentur.

III. Interim bienno durante, actualem numerum Canonicorum conservandum, itemque provisorie tolerandum esse, ut methodus, quae nunc servatur, tum in distributione reddituum, tum in onerum implemento, Missarum nempe, Anniversariorum, legatorum, et aliorum quorum libet retineatur.

IV. Tolerandum aeque interim currente biennio, ut Chorale servitium duplex sit in singulos dies servata forma, impletisque iis omnibus functionibus, sacrisque exercitiis, quae in supplici Capituli libello perleguntur.

V. Onerum autem, et reddituum divisione intra bien-

nium practa, denuo preces Sacrae Congregationi porrigendas fore, pro decernendo, et opportune providendo, tum quoad numerum Canonicorum, tum quoad Chorale servitium ad formam statutorum.

VI. Sex Capituli Dignitates prout antea erant restitui oportere, ita tamen, ut quae particulari praebenda obsequutam commixtionem modo carent, actuali reditu contentae sint, quosque nova divisio locum habeat.

VII. Dignitates ipsas, vel inter seniores optari, vel a legittima auctoritate conferri debere juxta ingenitas Capitulo leges, et consuetudines.

VIII. Vice-Parochum ad curam animarum actu exercendam a Capitulo nominandum, et ad nutum amovibilem *pro nunc* reintegrandum, salvo jure maturius imposterum providendi; dummodo tamen actualis Parochi Novarese perpetuae nominationi bullarum quoque expeditio non accesserit, quo casu nihil esse ipso vivente innovandum.

Generalibus hisce regulis satis, ni fallor, consultum erit tum propositis a Casalensi Capitulo quaesitis tum reparationi, ac restitutioni priscarum ipsius constitutionum Cunctandum per biennium censui ad praebendas, et onera secernenda, cunctaque in pristinam formam definitive revocanda. Sed haec cunctatio non poterit non videri propemodum necessaria post diuturnam, gravissimamque perturbationem quae Casalensem Ecclesiam afflictavit ejusque ingenitos ritus susdeque pervertit. Scimus utique ex oeconomico statu, quem Capitulum transmisit, et ex iis quae Vicarius Capitularis superadjecit veterem redditum uniuscujusque Canonici fuisse quotannis scutorum 160. praesentem autem ad Scuta 240. conscendere: at latet, num in isto peculiares quoque Praebendae contineantur, et num his iterum segregatis, et avulsis tantum adhuc supersit quantum sufficiat antiquo Canonicorum numero antiquis Dignitatibus antiquis oneribus in Universum restituendis; poterunt autem haec omnia prospici, et novae quae in posterum timeri possunt querelae opportune praecaveri, si facta primum secretione, singulisque, tum oneribus, tum redditibus diligenter liquidatis, res dein-

deinde tota Fidelibus EE. et RR. Patrum oculis maturius expendenda, et aequa lance libranda subjiciatur.

Censui item Vice-Parochum amovibilem reintegrandum esse licet de hoc S. haec Congregatio dubitare visa sit, cum Capituli precibus *pro Informatione* rescribens sciscitata est, an per deputationcm Vicarii perpetui ad formam S. Tridentini Concilii, Capituli juribus praejudicium inferretur. Verum cum de antiquo isto jure Vice-Parochum amovibilem nominandi ad modum sollicitum Capitulum ipsum pervenerim, quod insuper contendit exproposita perpetui Vicarii deputatione plura incommoda enasci, pluraque jurgia excitari posse, cumque praeterea probatum sit hanc ipsam questionem jam alias post proclamationem Tridentini Concilii actam, et ad trutinam revocatam favore Capituli a Summo Pontifice Paulo V. fuisse absolutam; qui per Bullam Casalensis Episcopi Vicario Generali mandavit - *De nihil innovando super Statum Amovibilem Curae S. Evasii* - idcirco in opinionem veni *provisorie* saltem, et pro nunc jus ipsum salvum, et integrum Capitulo praeservandi, donec rebus in Universum pacatis, pleniusque, ac securius restitutis, specialis, et maturior indago suscipi queat. Id tamen ipsum ea conditione attemperandum putavi, dummodo actualis Parochus Novarese consueta Bullarum expeditione ab Episcopo Villaret, (quod non satis constat) prosequtus non fuerit; nam si et haec forte circumstantia in ipso concurrat, conservandum tunc ipsum quousque viveret reputarem, ex generalibus, satisque firmis regulis quaeParochum legitime institutum removere prohibent.

Nunc vero ad particularia descendens, peculiaribusque casibus singillatim prospiciens, de validitate nominationis Canonici Salina, deque eidem collata Dignitate Thesaurarii principe loco agendum occurrit. in qua quidem disputatione ea mihi mens est, et consilium, ut Canonicatum quidem, non autem super additam Dignitatem deceat conservare. Et Canonicatum sane conservandum censeo. Nam quae contra opponuntur, non tanti esse videntur ut vi-

rum ornatissimum, a Vicario Capitulari Summis laudibus commendatum, et in Regia Taurinensi Accademia Theologicae facultatis, jubente Rege, hodie professorem, post triennalem quasi possessionem dimittendum, ejiciendumque persuadeant. Et levissimum porro est, ac nimia fortasse etiam confidentia propositum, Episcopum Villaret illegittimum fuisse Casalensis Ecclesiae detentorem. Ut caetera de hoc praetermittam, quae jam superius enucleata sunt, id unum sufficiat Antistitem Villaret Casalensem Ecclesiam Canonice hodie abdicasse, et in manibus Sacratissimi Principis renuntiasse.

Pluralitas Beneficiorum esset quidem obstaculo Canonicatus retentioni. Ast quemadmodum congrua excusatio est, plura beneficia retinuisse, dum resignandi commoditas deerat, et dum imo certum, ac imminens discrimen aderat, quod laica potestas, et profana administratio ipsorum bona occuparet, fructibusque potiretur, ita nunc qualibet culpa expers, omnique prorsus labe solutus Salina reputandus est, qui rebus vix pacatis incompatibilia beneficia statim dimisit, ceu Vicarius Capitularis disertissime obtestatur.

Omissio professionis Fidei, jurisjurandi, et haedomadae probatoriae, praeterquam quod non intrinsecam beneficii nullitatem, sed unicam fructuum amissionem secum ferret, Sanata praeterea jam fuit solemni rescripto S. Penitentieriae, idque non pro foro solum interno, verum etiam pro legittimanda in externo quoque foro possessione. Nedum enim S. Poenitentiaria absolutionem in praeteritum indulsit, sed praescripsit insuper ut fidei professio, et jusjurandum emitteretur, cunctaque de More coram Episcopo, et duobus Canonicis complerentur, prout jam factum est. Hoc autem ad beneficii possessionem in futurum etiam legittimandam non ad praeteritos solum fructus licite retinendos pertinere facile intelligitur.

Caetera objecta, vel Dignitatem Thesaurarii proprie respiciunt, vel ita inanissima sunt, ut ulteriori refutatione non egeant. Nec praetereundum omnino est singula everti, atque corruere ea vel unica animad-

madversione, quod omnia facta sunt sciente, auctorante, et quandoque etiam mandante Episcopo, cui certe amplissimas, et extraordinarias facultates transactis temporibus praesto fuisse inficiari nullo pacto licet.

Ex his itaque Canonicatus collationem Salinae factam confirmandam putarem. Non item tamen de Dignitate Thesaurarii judico. Ipsa enim *extranea* prorsus est a Casalensi Capitulo, atque hinc juxta jam praestabilitas generales regulas reiicienda penitus, atque delenda. Urget autem praeterea, quod vetustissimum optionis jus cui nec Decreta Imperatoris, nec novae Constitutiones derogaverant, arbitraria illa dignitate ab Episcopo in suum Vicarium collata, violatum fuerit, ac pessumdatum. Hinc, nec alienigena Thesaurarii, nec alia indigena, quae nunc restituetur, Dignitas Salinae competit. Maneat ipse simplex Canonicus, qualem esse nulla lex prohibet, sed Dignitatem abjiciat quam nonnisi invitissimis, funditusque eversis Capituli Sanctionibus retinere posset. Hisce autem consectarium est, neque aliam Sedem ab eodem occupandam esse, nisi eam quam Canoniei simplicis qualitas, et nominationis praerogativa tribuent.

Superest quoad Salinam, ut precibus ab ipso provenia residentiae rescribatur. Sed rescribi non alias potest nisi cum Honorio III. *in Capit. ultim. de Magistr. - Docentes in Theologica facultate percipiant proventus praebendarum, et beneficiorum Suorum. -* Salina igitur; qui ex Decreti Regis in publica Thaurinensi Accademia Theologicam facultatem hodie docet, fructus praebendae et beneficii sui, etiam si non resideat jure merito percipiet. Fructus inquam praebendae et beneficii dumtaxat, nam et ipse cum Capitulo in eo consentit, quod venia haec ad distributiones quotidianas porrigi non debeat. Huic autem manifestissimae Sanctioni illud etiam aperta fronte repugnat, quod suaderi a Capitulo vellet, veniam hanc ad octo solum menses publicae praelectionis non item ad integrum annum pertinere. Quid enim inanius, et dicam etiam injuriosius quam gravissimum virum Theologiae professorem,

in-

incomodo quotannis itineri ab Augusta Thaurinorum Casale, et vicissim exponere, atque subjicere? Qui supersunt otii menses vel recreandi animi, vel novas parandi praelectiones gratia generatim dati sunt. Dedecet qua propter ad levissima haec confugere, quasi ad limitationem *Decretali* inducendam, quam Pontifex nequaquam induxit.

Rectius autem hoc loco quaeri posset, 1.° An ejusmodi indultum indefinitum, et perpetuum esse debeat; 2.° An intelligendum sit de docentibus Theologiam in eodem tantum loco, vel etiam Diaecesi, ubi beneficium obtineant, seu potius generaliter, et indistincte, extra locum quoque, et Diaecesim, et omnino ubicumque. Dubia haec, ni fallor, graviora penitus a Capitulo praetermittuntur. At vero *ad primum* quod attinet litteralis est decretalis Sanctio - *docentes etc. percipiant proventus praebendarum etc. integre PER ANNOS QUINQUE de licentia Sedis Apostolicae* - Aequum igitur, ut huic legi quam Salina invocat in Universum se conformet, ut nimirum indultum ad solos quinque annos porrigatur. *Quoad alterum* vero, fateor limitationem loci, et Diaecesis ex decretalis littera, et contextu educi non posse. At nihilominus scrupulum quod animo meo quoad hoc insurgit Eminentiis Vestris dissimulare non potui idcirco scilicet ut et meditationem, et consilia vestra afferatis. Quod si fortasse res dubia, vel quovis modo ambigua videatur, ita tandem petitam exemptionem postulanti concederem, ut id fieret de Apostolicae Sedis scientia, et consensu.

Rebus tali modo quoad Salinam extricatis, levioris momenti sunt, quae supersunt. Postulat Caqitulum, ut vacans Primicerii Dignitas, cujus conferendae jus ad S. Sedem spectare novimus, per optionem Canonicis hac vice acquiratur. Verum nec postulandae, nec concedendae hujusce gratiae Caussam satis congruam perspicio; nec alioquin a novitate incohandum judicium, dum de omnibus in pristinum reducendis res est.

Canonicus Luparia e munere, et dignitate Paenitentiarii, quam jam a decennio per concursum quaesiverat, Bullisque Apostolicis confirmaverat dejectus, rein-

reintegrationem efflagitat, ita tamen, ut nonnisi emeriti Paenitentiarii nomen retineat. Preces ab ipso porrectae omni carent, sive Vicarii Capitularis, sive cujusque alterius informatione. Nihilominus expediendas illas putarem rescribendo pure, et simpliciter, quod ad munus Paenitentiarii revertatur. Quod enim praeterea habet de solo nomine retinendo, non item de functionibus exercendis haud quaquam concedi posse mihi videtur post decennale dumtaxat servitium Provideri autem in futurum opportunius poterit si forte congruas, gravesque caussas adducat, ex quibus a Sacramentalibus Confessionibus excipiendis eximendus videatur.

Tandem peculiari dispositione opus esse vix arbitror, ut Canonicus Novarese, qui sub titulo Archipresbyteri animarum curam modo exercet ad veterem qualitatem Vice-Parochi amovibilis, qualis jam erat, regrediatur, nisi probetur per Episcopum Villaret Paroeciam eidem Novarese in titulum fuisse collatam. Profluit hoc sponte sua ex iis, quae jam antea constituimus, tum de veteribus quibuslibet Dignitatibus salvo jure optionis, restituendis, tum etiam de Vice-Parocho amovibili conservando. Erit itaque particularibus Decretis declarandum.

I. Franciscum Mariam Salina conservandum esse Canonicum, non autem Thesaurarium.

II. Non aliam Sedem, gradum, dignitatem ipsi competere, nisi quae ex Capituli Constitutionibus, et juxta epocam suae nominationis profluet.

III. Consulendum esse Sanctissimo pro exemptione ejusdem Salina a residentia per quinquennium dummodo duret Officium Theologici Professoris, cum facultate percipiendi fructus Praebendae non autem distributiones quotidianas.

IV. Vacantem Canonicalis Primicerii dignitatem conferendam esse a Sede Apostolica.

V. Canonicum Luparia ad dignitatem, et functiones Paenitentiarii redintegrandum esse, salvo jure, providendi in posterum quoad petitam facultatem retinendi nomen dumtaxat emeriti Paenitentiarii.

VI. Dimittendum esse titulum Archipresbyteri a Canonico Novarese, salva cura animarum sub nomine Vice-

Vice-Parochi amovibilis, prout antea exercenda, nisi probetur eidem legittime in titulum Paroeciam fuisse collatam.

Haec sunt, Emi Patres, quae pro meo consilio, et prudentia subjicienda vobis existimavi ad Casalensis Ecclesiae mala reparanda, et dissidia componenda. Quod si in aliquo defecisse videatur, Sapientia, et Religione vestra, jurisque Ecclesiastici doctrina, tum omnibus, tum mihi potissimum, qui Vobiscum in hac Aula sedeo, perspectissima absolvetur. Dum igitur sapientiori judicio vestro hoc meum qualecumque votum submitto, Sacras manus humillime deosculor.

Ex his accuratissime disputatis in voto Emi Relatoris de prompsi infrascripta Quindecim Dubia.

I. *An servanda sit Collatio Canonicatus facta ab Episcopo Casalensi Vicario Francisco Maria Salina in casu etc.*

II. *An servanda sit Erectio novae Dignitatis Thesaurarii in Capitulo Cathedralis, et successiva Collatio facta eidem Vicario Salina in casu etc.*

Et quatenus *Affirmative*

III. *An et in quo Stallo in Choro sedere debeat, et quo loco in Processionibus incedere in casu etc.*

IV. *An et quomodo Vicario Salina sit concedendum Indultum absentiae causa studiorum in casu etc.*

V. *An et quomodo Canonicus Luparia reintegrandus sit ad Praebendam Paenitentiarii in casu etc.*

VI. *An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro Sanatione, et absolutione quoad fructus a Capitulo perceptos indistincte ex Praebendis in Massam communem coacervatis, quoad diminutionem Choralis servitii aliarumque functionum, et quoad Reductionem Missarum, et Anniversariorum, aliorumque onerum ex legatis in casu etc.*

VII. *An et quomodo reintegrari debeat observantia veterum Statutorum Capituli Casalensis in casu etc.*

VIII. *An restituendus sit vetus numerus viginti duo Canonicorum in casu etc.*

Et quatenus *Affirmative*

IX. *An*

IX. *An differri expediat reintegrationem viginti duo Canonicorum usque dum eorum congruae substentationi erit provisum in casu etc.*

X. *An usque dum restitutus erit numerus viginti duo Canonicorum, et quomodo sit locus Reductioni Servitii Chori in casu etc.*

XI. *An ad vacantem Primicerii dignitatem pro hac vice servandum sit Capitulo jus optionis in casu etc.*

XII. *An et a quo sit conferenda Praebenda Primicerii in casu etc.*

XIII. *An Canonicus Novarese retinere possit titulum Archipresbyteri in casu etc.*

Et quatenus *Negative*

XIV. *An ad eam optari possint Canonici in casu etc.*

XV. *An Capitulo jus sit Vicarium Amovibilem nominandi in casu etc.*

Ad I. Affirmative praevia Sanatione facto verbo cum SSmo.

Ad II. Negative.

Ad III. Affirmative, qua Canonicus ad formam veterum Constitutionum Capitularium.

Ad IV. Consulendum SSmo pro Indulto ad quinquennium a die suscepti muneris dummodo redeat tempore vacationum generalium, amissis.

Ad V. Esse redintegrandum ad Dignitatem, et functiones.

Ad VI. Affirmative in omnibus celebratis intra tres menses tribus Anniversariis cum Cantu, et interventu totius Capituli, et Missis bis centum Lectis ratatim per singulos Canonicos pro omnibus omissionibus Collective.

Ad VII, VIII, IX, et X. Dilata, et scribatur Episcopo juxta mentem.

Ad XI. Negative.

Ad XII. Affirmative per Sedem Apostolicam.

Ad XIII. Negative.

Ad XIV. Affirmative ad formam veterum Constitutionum.

Ad XV. Provisum in VII.

Sess.22.Cap.6. De Reform.

SPOLETANA COMMUTATIONIS VOLUNTATIS

Sacerdos Andreas Piceni Canonicus Collegiatae S. Bartholomaei Oppidi *Montis Falci* testamento *anni* 1791. legavit duo annua subsidia pro maritandis, aut monachandis puellis pauperibus ejusdem Oppidi in scutis 12. 50. pro singulo subsidio. Hic ex ejus hereditate detracta Summa Scutorum *vigintiquinque* et honorario pro duobus perpetuis exequutoribus testamentariis (quos voluit esse Priorem, et Praepositum pro tempore ejusdem Collegiatae) in annuis scutis sex singulis subministrandis, ex reliquo asse haeredem scripsit *l'anima sua* ita scilicet, ut – *del fruttato che rimarrà dopo tali detrazzioni, voglio ed ordino, che si divida in due parti una delle quali serva per far celebrare tante Messe ai Signori Canonici coll' elemosina di baj. dodici, e mezzo, per ciascheduna messa in Suffragio dell'anima mia, e de' miei parenti della Casa Piceni. L'altra voglio che s' impieghi in bonificare i terreni, riattare le case spettanti alla mia Eredità, e cessando il bisogno di tali buonificamenti per esser tutto completo fino a nuovo bisogno, voglio che questa seconda parte si spenda in tante Messe come sopra.*

Quominus voluntas pii testatoris hactenus impleretur multa obstiterunt. Nam vix Testatore defuncto Benedictus Beni asserens se Testatori Sanguine cujunctum ex Rescripto S. M. Pii VI. impetravit, ut suspenis legatis ex fructibus haereditariis seponerentur *scuta mille* eroganda in causam dotium ejusdem filiorum, et filio Masculo quoad viveret annua pensio *scutorum triginta* solveretur. Auctum quoque fuisse dicitur ex ejusdem Pontificis voluntate honorarium Exequtorum testamentariorum, ita ut quisque perciperet annua *scuta duodecim*; id quod oretenus a *Sanctissimo Domino Nostro* confirmatum asseritur. Postea supervenit publica rerum calamitas, cum exterae copiae occuparunt AEmiliam, unde reditus haereditarii, qui praesertim ex bonis in agro Ariminensi positis redibant, amplius percipi non potuerint. Restituta tranquillitate Execqutores testamentarii toti fuere, ut bona Arimini recuperarent, et tandem praeterito mense *Majo* redditus illos perceperunt.

Confecto itaque dotium cumulo pro filiabus Benedicti Be-

Beni, et cessata annua pensione *Scutorum triginta* per obitum hujus filii masculi, liberi prorsus sunt redditus haereditarii in annua Summa Scutorum duorum supra *biscentum* erogandi juxta Testatoris voluntatem: scilicet demptis scutis *viginti quinque* pro duobus annuis subsidiis dotalibus, et honorario exequutorum in annuis scutis *duodecim*, et vectigalibus, quae pensitantur in annuis scutis *octo* in totum scutis *quadraginta* quinque, ex annuis scutis *biscentum duobus* superessent annua scuta *centum quinquaginta septem*. Bipartita hac Summa eaquis portionibus juxta testatoris voluntatem, annua scuta *septuaginta octo*, et oboli quinquaginta eroganda essent in totMissas ad eleemosinam praescriptam obolorum *duodecim cum dimidio*, unde celebrare possent annuae Misse 628. Alia vero portio Scutorum pariter 78. 50. impendenda esset in reparationibus bonorum, et quod superest in celebratione Missarum.

Nunc vero Exequutores Testamentarii aliquam fieri commutationem voluntatis postulant, scilicet: UT eleemosina Missarum a testatore in obolos *duodecim cum dimidio* praefinita ad obolos *quindecim* augeatur, et Missae tantum *biscentum* celebrentur: UT duo annua subsidia dotalia quae Testator in annuis *Scutis* 12. 50. unicuiquepuellae dare jussit, augeantur singula ad scuta viginti: UT Exequtoribus testamentariis detur singulis honorarium scutorum *duodecim*, quemadmodum statuisse dicitur (nullo enim documento comprobatur) Summos Pontifices Pium VI., et VII. UT annua *Scuta triginta* subministrentur Sacrario Collegiatae S. Bartholomaei pro comparandis Sacris Supellectilibus: UT alia scuta *triginta* in eleemosinas pauperum erogentur: UT *Scuta* 48. quae superessent, vectigalibus, et reparationibus bonorum addicantur.

Episcopus in sua *Informatione* exposita confirmans censet *probanda, quae ab Oratoribus proponuntur sive quoad dotium, sive quoad elemosinae Missarum augumentum. Hoc quippe pacto Missarum elemosinae statuerentur juxta stilum loci, et dotes assignandae proficerent. Caeterum neque despicienda censerem, quae respicerent annuam aliquam subministrationem Sacristiae Ecclesiae, ac pauperibus loci. Urget enim ex parte crassans undique vulgi inopia et census*

Ecclesiae remissus. Tandem circa pensionis incrementum, quod requirunt ipsi Oratores aliud non dicam nisi hoc, quod praestitutum a Testatore non videtur labori, et fastidio respondere.

Judicium EE. PP. redire debet ad factum, num scilicet concurrat necessaria causa ad commutandam voluntatem; hac siquidem deficiente sancte custodiendas esse defunctorum voluntates monet S. Gregorius Pontifex in Can. *ultimae voluntates Caus* 13. *Quest.2.* et in *Clem Quae contigit de Relig. Dom.* Postulant vero Exequutores Testamentarii commutationem voluntatis ex Sex *Capitibus* in quibus expendendis ea regula retinenda videtur, ut causa ad commutandam voluntatem ita necessaria sit, ut nullo alio modo nisi commutata voluntate publico bono consuli possit, ut tradit *Francisc. Top. de Potestat. Princip.* §. 5. *numer.* 13. *et* 14. *Valent.* de ultim. Volunt. et S. Congregatio *in Asculana Commutationis Voluntatis* 8. *Augusti* 1801.

Primo postulant Exequutores Testamentarii, ut augeatur elemosina missarum ad currentem manualem in obolis *quindecim*. Nam Testator anno 1791. eleemosinam praescripsit in *obulis duodecim* cum *dimidio* cum manuali eleemosina daretur *julium unum*. Quare si nunc aucta est manualis, justam concurrere autumant causam, ut augeatur elemosina. Postulant praeterea ut celebrentur Missae annuae *biscentum*. At hoc adversatur voluntati testatoris, qui ex dimidia quot fructuum Suae hereditatis, detractis prius oneribus, aliisque legatis jussit, ut tot Missae celebrarentur, quot ad praescriptam elemosinam celebrari possent. Si itaque pro praesenti redituum Statu libera superest dimidia quota fructuum haereditariorum in scutis 78. *et* 50. *non biscentum* tantum Missae celebrandae videntur ad currentem manualem, sed *quingentum vigtnti tres*, quot respondent fructibus haereditariis ad celebrationem destinatis; et praeterea ex alia quota Missae celebrandae erunt, si quid supersit post factas reparationes bonorum. Causa vero cui haec commutatio voluntatis innititur quoad numerum Missarum posita est in aliis piis operibus praefiniendis, de quibus deliberabunt EE. PP. num tanti sint, quae necessariam Commutationi causam praebeant.

Se-

Secundo postulant Exequutores Testamentarii, ut duo subsidia dotalia in totum Scutorum *viginti quinque* ex voluntate Testatoris pauperibus puellis praestanda augeantur singula ad scuta *viginti* in totum ad scuta *quadraginta*. Utilior sane esset haec commutatio ipsis puellis, sed inquirendum num ex privata utilitate justa oriatur causa ad commutationem faciendam.

Tertio poscitur augumentum honorarii Exequutorum testamentariorum. Fertur auctum fuisse ex oraculo Pii VI. confirmato oretenus a regnante Pontifice. At nullum documentum affertur. Episcopus affirmat proemium hoc non respondere labori.

Quarto et *Quinto* postulatur ut ex fructibus haereditariis dentur Scuta triginta Sacrario Colleggiatae eroganda in S. Supellectiles, et praeterea Scuta *triginta* in eleemosinas pauperum. Pium sane utrumque opus; at Testator voluit celebrationem Missarum, nec de Supellectilibus, aut eleemosinis quidquam disposuit.

Sexto tandem postulant, ut Scuta 48. erogentur in pensitandis vectigalibus, et restaurandis fundis. Sed testator jam praescripsit modum quo his expensis fieret satis: nempe destinatis fructibus ex dimidia quota haereditaria, ita ut factis hisce expensis, quod esset reliquum in Missarum celebrationem impenderetur.

Hisce perpensis dignentur EE. PP. dirimere dubium.

An sit servanda voluntas Canonici Andreae Piceni, seu potius, et quomodo sit consulendum SSmo pro commutatione voluntatis in casu etc.

Affirmative ad primam partem, celebratis Missis ad manualem, negative ad secundam.

NEAPOLITANA CAPPELLANIAE

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

Dominicus di Lillo testamento anni 1746. jussit, ut

ut post obitum fratris sui Josephi, quem haeredem usufructuarium fecerat, tres instituerentur perpetuae Cappellaniae cum onere Missae quotidianae exceptis quatuor singulis mensibus diebus, quos Cappellanis liberos reliquit. Fraternae voluntati morem gessit Josephus, qui sine mora tres fundavit Cappellanias assignatis pro earum fundis Ducatorum quinque millibus, quae foenore collocata ducatos biscentum quadraginta duos quotannis reddebant, ut videre est in fundationis instrumento.

Multa cavit Fundator pro sortis, fructuumque securitate, ac prospiciens augmentum, vel decrementum reditus si alia ratione restituta pecunia collocaretur, voluit, ut duo ex tribus Cappellanis haberent praecipuam - *la somma di annui ducati settantadue per cadauno da percepirsi il frutto franco e libero da qualsisia deduzione; rispetto poi alla terza Cappellania, questa non debba esser fissa, ma di tutto il di piu che sopravanzerà, il Cappellano ne debba celebrare tante Messe più, o meno* ALLA MEDESIMA RAGIONE DI CARLINI DUE PER CIASCUNA MESSA. - Illud etiam Cappellanis concessum, ut pro patrimonio sacro Cappellanias assignare possent.

Unam ex duabus, quarum certus reditus ducatorum septuaginta duorum anno 1776. ab iis, quibus collationis jus erat obtinuit Antonius Izzo facta ipsi facultate eam sibi constituendi in sacrum patrimonium - *per poter ascendere al Sacerdozio, al qual' effetto ha data e conceduta tutta la facoltà di comparire in giudizio ed intestarsi sua vita durante l'usofrutto delli Capitali a detta Cappellania addetti.* In possessione Capellaniae positus Antonius Izzo, ejusdemque titulo Presbyter factus ejus onera religiose adimplevit usque ad annum 1790., quo ei reditus denegati fuerunt; vindicata enim fuerant ab anterioribus creditoribus bona, a quibus reditus ipsi pendebant. Ab hoc tempore usque ad praesens Missas celebrare destitit omnino, quamvis ducatos triginta sex a bonorum possessoribus intentata lite recuperasse, ac singulis annis percipisse fateatur. Putavit enim hanc summam sibi praecipue haben-

dam

dam esse pro patrimonio sacro; quod juxta constitutiones Synodales Neapolis in ducatis triginta sex ab omni onere immune esse debet. Theologos se consuluisse, sibique assentiri affirmat; pro majori tamen conscientiae suae tranquillitate Summi Pontificis veniam implorat, qua ab onere praeterito et futuro Missarum absolvatur.

Ab hac S. Congregatione rogatus Eminentissimus Archiepiscopus Neapolis narrata ab Oratore confirmat; justa cum causa omissam fuisse contendit Missarum celebrationem ob cessatam solutionem fructuum, quam inutiliter reiteratis judiciis postulavit Cappellanus Izzo. Annuos reditus periisse autumat fundatoris culpa, qui suos nummos non satis caute credidit; Nullam actionem, quae utilis sit intentari posse nec adversus debitores singulorum *investimentorum*, qui decocti penitus sunt, nec adversus Cappellaniarum patronos, qui etiamsi tenerentur, paupertate excusantur. Illud ingenue fatetur - *il ricorrente Izzo per equità del Tribunale, e generosità del proprietario percepisce soli annui ducati trentasei lordi di decima, quali ancora teme di perderli* - Concludit autem Eminentissimus Archiepiscopus, sacrum patrimonium, quod in dictis ducatis triginta sex vix ac ne vix quidem habet Sacerdos Izzo, immune esse debere ab omni Missarum onere, ideoque ad eas celebrandas, nec antea ab anno scilicet 1790. obstrictum fuisse, nec in posterum teneri.

Pressius rogatus idem Eminentissimus Archiepiscopus, ut de viribus haereditariis Fundatoris, ac de rebus pro Cappellaniarum fundo hypothecae subjectis investigaret, eadem reponit; nullum inventarium nec Dominici nec Josephi di Lillo confectum fuisse, et nihil prorsusque nihil praeter summam triginta duorum vel triginta sex ducatorum sperari posse confirmat, ideoque absolutionem postulat Sacerdotis nomine ab omni Missarum onere.

Horum tamen e conspectu non satis aequum videtur facultatem a testatore datam assignandi Cappellaniam in sacrum patrimonium, ejus, suorumque con-

consanguineorum animabus esse damno. Ipse quidem qui hanc facultatem dedit, celebrationem Missarum voluit, expresseque mandavit - *ad oggetto che l'anima sua e di suoi congiunti non restino prive di suffraggj* - deficientibus siquidem fundis cessat onus super impositae celebrationis ceu tradit S. Congregatio *in Lunen. Sarzanen Reductionis Missarum* 14. *Decembris* 1795., *et alibi passim*. At si qui reliqui sunt fundi, horum ratione Missas celebrandas esse saepius definivit S. haec Congregatio *in nullius Guastallae* 21. *Junii* 1788. Cum igitur adhuc ducatos triginta sex percipiat Sacerdos Izzo, aequum videtur horum ratione ei onus incumbere Missas celebrandi detractis antea oneribus, quae dictam summam fortasse decurtare possunt.

At enim Cappellani Izzo paupertatem ante oculos Eminentissimorum Patrum ponit Eminentissimus Archiepiscopus. Exponit etiam Tribunalis sententia debitorem quemdam Dominici di Lilllo damnatum fuisse ad solvendam summam ducatorum triginta, atque - *all' equità del Tribunale si aggiunse la generosità del proprietario, il quale considerando che il ricorrente Izzo sarebbe stato irregolare per mancanza di Patrimonio, volle aggiuugervi altri ducati sei per integrità del medesimo* -

Non itaque stricte dici posse videretur Cappellaniae titulo Sacerdotem Oratorem annuam summam Ducatorum Triginta sex percipere, sed potius (ex nescio qua Judicis aequitate) juncta quoad Ducata sex debitoris liberalitate, ut ita illius Sacro Patrimonio consultum esset. Videant ergo EE.PP. an in themate attentis peculiaribus circumstantiis aequum sit sacrum patrimonium sarctum tectumque servari Presbytero Antonio Izzo, eumque nedum a praeterito, sed etiam a futuro Missarum onere absolvendi, vel potius aliquo in pretio Dominici de Lillo voluntas tenenda sit, qui certe voluit ut Missarum onera meliori, qua fieri posset ratione adimplerentur a Cappellanis, ut ut ipsis imper-

impertitus fuerit facultatem Cappellanias in sacrum patrimonium erigendi.

Hinc Dubium proponitur.

An, et quomodo sit locus reductioni Missarum in casu etc.

Non proposita cum sequen.

BENEVENTANA IRREGULARITATIS. Secus ripam fluminis *Sabati* quod Beneventanam regionem interfluit *die 24. Maji anni* 1805. repertum fuit cadaver Francisci Santangelo incolae *Casali*, *Maccabei*, quod pagum est in Beneventano parum a flumine Sabato distans. Inspecto delicti corpore per Peritos deputatos a Tribunali Criminali, cum mortuus esset manibus ligatis, et fune circa collum obducto, judicarunt iidem Periti praedictum Franciscum jugulatum. Instituta Criminali inquisitione, et cumulatis indiciis in suspicionem venit ream criminis fuisse Elisabeth Ferraro interfecti Francisci uxorem, et criminis participem fuisse Sacerdotem Vincentium Zolli, tunc Aeconomum Curatum dicti Pagi *Maccabei*. Constitit enim de mala inter utrumque consuetudine quam aegre ferens Franciscus saepe verberibus coercebat uxorem, quibus haec irritata opitulante Zolli virum jugulaverit. Atque suspicio hujusmodi aucta ex eo est, quod Sacerdos Zolli Elisabeth carceribus mancipatae subsidia vitae suppeditarit. *Sess. 14. cap. 7. de Reform.*

Hinc censuit Tribunal criminale jubere ut Sacerdos caperetur, qui ubi id suboluit noctu aufugit, et exequtores elusit. Facta in ejus domo perquisitione invenerunt mucronem vulgo *Bajonetta a due tagli* praecipue vetitum sed profugus captus est in Regno Neapolitano, et ad Carceres Bene-

venti traductus in iisdem mansit per quatuor annos durante criminali quaestione in eum constituta. Damnatus tandem fuit ad paenam detentionis per *decem* annos, (foemina vero per *quinque*) quae paena in gradu revisionis moderata fuit ad septennium, nempe ad annos quinque pro imputato homicidii crimine, et ad annos duos pro retentione vetiti mucronis.

Solverat poenam annorum quinque cum anno 1816. forte concitata populari seditione e carceribus aufugit. Ex indulto a Duce Austriaco vulgato residuum poene tempus remissum fuit; atque Sacerdos Zolli reintegrato Pontificio Regimine ex Rescripto *diei* 30. *Junii currentis anni* eamdem poenae remissionem obtinuit, ea conditione, ut per mensem spiritualibus exercitiis operam daret, in religiosa domo, ut clericaliter viveret, neque ad patrium oppidum occisi accederet, neque ejusdem conjunctos offenderet. Omnia se impleturum spopondit Sacerdos Zolli, et secessit in domo Cappuccinorum Civitatis Beneventi, in qua per mensem sedulo spiritualibus exercitiis vacavit.

Haec quae Vobis EE. PP. exposui ex *Informatione* deprompsi, quam Eminentissimus Archiepiscopus Beneventanus remisit super precibus, quas Sacerdos Zolli obtulit pro impetranda dispensatione ab irregularitate. Addit vero *Bonitas vitae, et morum honestas dicti Sacerdotis Zolli, talis est, ut anteactae vitae maculas eluisse, videantur; immo Populo edificationi, et exemplo sit prout liquet praesertim ex proprii Parochi attestationibus. Ex quo sequitur eumdem Sacerdotem Zolli nedum costanti emendatione resipuisse, verum etiam ejus habilitatio Populo jam aedificato nullum Scandalum afferre nequiret. Ipsemet Sacerdos Zolli Fisco nullo modo est Debitor. Saepissime etiam a proprio Parrocho rogati occisi Francisci Fratres, ut injuriam, si quae fuerit, Sacerdoti Zolli remitterent, Ast obstinato animo talem remissionem impertiri renuerunt. Longus carcer per Sacerdotem Zolli perpessus, Spiritualia exercitia cum animi devotione jam peracta, ac constans vitae emendatio demonstrant, ipsum ex corde suorum er-*

ro-

rorum poenituisse. Hisce omnibus perpensis et consideratis, opinor, quod S. Congregatio prefato Sacerdoti Vincentio Zolli, etiam ne mendicare cogatur propter suam paupertatem petitam dispensationem super irregularitate, quam incurrerit, concedere possit, firma tamen remanente obligatione alias per ipsum emissa, signanter de non accedendo ad occisi patriam, saltem donec ab ejusdem occisi fratribus remissionem reportaverit.

Cum Sacerdos Zolli damnatus sit ex Sententia famosa certe quidem infamiam juris contraxit et in irregularitatem incidit *ex Text. in Can. Omnes 2. Caus. 6. Quest.* Dubitari tamen de irregularitate ex eo posset, quod Sententia nullitate inficiatur, utpote lata a Tribunali laico contra clericum *Reiffenstuell in jus Can. Lib. I. Tit. 7. num. 37.* Verum observent EE, PP. ab hac sententia saltem *facti* diffamationem oriri unde quis irregularitate irretitur. Maxime cum ab ea Sententia post restitutum Pontificium regimen non reclamaverit Zollius, sed remissionem poenae exoraverit, ita ut implicite fassus sit crimen, de quo damnatus fuerat ut tradit S. Congregatio *in Bracharen. Irregularitatis* 11. *Aprilis* 1807.

Inquirendum igitur restat num ab irregularitate dispensandus sit. Quamquam non agatur de promovendo, ita ut irregularitas perpetua non sit ex Decreto Tridentini *Sess.* 14. *Cap.* 7. *De Reform.*; attamen justa causa subesse debet, ut dispensatio concedatur ad tradita per *Giballin. de Irregularit. Cap. 4. Consectar. 3. numer. 27. de Irregularit.* Nihil Eminentissimus Archipiscopus meminit de necessitate, et utilitate Ecclesiae. Solum concurrit paupertas Sacerdotis Zolli sane paupertatem miserta aliquando S. Congregatio pro dispensatione Sanctissimo consulendum censuit in *Auximana Irregularitatis 27. Augusti* 1789. De resipiscentia testatur Eminentissimus Archiepiscopus, simulque putat passam per annos novem carcerationem poenitentiae loco haberi posse. A commisso crimine anni ultra decem effluxere, quod temporis spatium satis esse ad delendam memoriam criminis statuit S. Congregatio in *Vicentina Irregularitatis* 15. *Decembris* 1790. Spi-

ritualia exercitia Zollium omni animi devotione explevisse testatur Archiepiscopus. Poenae jam satis fecit cum ejusdem remissionem pro residuo tempore a Principe exoraverit. Compositionem a conjunctis occisi impetrare non potuit, qui obstinato animo pacem dare recusarunt. Idcirco censet Emus Archiepiscopus ea conditione concedendam esse dispensationem, ut ad locum commisi homicidi accedere non pssit, nisi veniam a consanguineis defuncti obtinuerit,

Dubium proponitur

An, et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate in casu etc.

Sess. 21. Cap. 2. de Reform.

NARNIEN DIVISIONIS - Capitulo, et Canonicis Collegiatae Ecclesiae S.NicolaiCollis scipionis praeter peculiares praebendas, est quoque *Massa Communis* instituta, partim a Piis Testatoribus, cui nonnulla bona Capitulo legarunt, ut eorum reditus distribuerentur *inter Praesentes* praecibus Mattutinis, partim ex decreto R. P. D. Lunelli Cajetae Episcopi, atque Apostolici Visitatoris. Hic enim anno 1716. expresse mandavit, ut beneficia omnia Ruralibus Ecclesiis addicta Colleggiali Ecclesiae aggregarentur, ut quae redituum, et praebendarum hujusmodi fieret - *Massa Communis, et solum frequentibus, et servientibus distribueretur* - Quod decretum exequutioni mandatum fuit a Praesul Casio tunc temporis Narniensi Episcopo,

Idipsum statuit Apostolicus Visitator quoad bona alia, quae alteri Colleggiatae S. Mariae ejusdem loci fuerunt addicta. Quum tamen nonnullis ab hinc annis alte-

Alterius hujus Colleggiatae Canonici communia ea bona inter sese diviserint, Juniores Canonici S. Nicolai illorum vestigia sequentes satius duxerunt a veteri Communione recedere, ac bona, quae Massam constituunt, aequis partibus dividere.

Preces ea de re dederunt Episcopo; cumque, illo mandante, Capitularis Conventus coactus fuerit, ex octo Canonicis, sex tantummodo interfuerunt Capitulari Congregationi quorum quatuor, qui Juniores sunt, et nondum ad Sacerdotalem dignitatem evecti, pro divisione, votum dederunt. Seniores autem acriter pugnarunt contra divisionem, solemnemque ea de re protestationem exhibuerunt.

Quae cum ita se habuerint ab edita resolutione ad S. Congregationem provocarunt Seniores. Rogatus de sua sententia Episcopus, et assentientes, et dissentientes Canonicos audivit: Fuit autem in voto, ut proposita a Junioribus Canonicis divisio locum haberet, juxta resolutionem Capitularem, rejectis Seniorum querelis; Putavit enim ita rem posse conciliari - UT - *in actu divisionis per peritos liquidetur quantitas fructuum juxta praesentem statum bonorum quotannis percipienda, ac in divisione cuilibet ex Canonicis imponatur onus eam contribuendi in Massa communi ad hoc, ut in fine anni una cum redditu bonorum indivisorum aequaliter inter Canonicos juxta majorem, vel minorem frequentiam in Choro fiat distributio.*

Cum itaque controversia haec ad Eminentissimorum Patrum judicium deferri nunc debeat, mei muneris est ut rationes adducam, quae utrimque fuerunt deductae.

Divisionem a Junioribus petitam pluribus de Causis impugnant seniores.

Ajunt primo non obstare eorum praecibus, quod major Capituli pars divisionem probaverit; quia Canonici assentientes sunt novissimi, et Sacerdotali dignitate non adhuc refulgent, ita ut pluris existimari debeant Seniorum, et Sacerdotum Consilia, ut plurimum longe prudentiora.

Nec satis. Re *intrinsecus* perspecta, clamant injustam esse Capitularem resolutionem, utpote decreto Apo-

sto-

stolici Visitatoris, Capituli constitutionibus, trium penae saeculorum observantiae, et ipsis Concilii Tridentini legibus repugnantem.

Profecto R. P. D. Lunellus Cajetae Episcopus speciali utens Apostolici Visitatoris facultate, statuit bona, de quibus agitur, communiter a Canonicis esse possidenda, eorumque redditus - *Frequentibus*, *et servientibus esse tribuendos* -

Hoc itaque decretum retractari hodie nequit, nisi ex speciali Romani Pontificis auctoritate, praesertim, quia ab Anno 1566., quo latum jam Visitatoris Decretum a tunc temporis Narniensi Episcopo confirmatum fuit, pacifica usque ad praesentem diem observantia superaccessit; atque eamdem Communionem imperarunt quoque Pii Fundatores (quorum fundationes ex Rescripti lege Episcopus debuisset ad S. C. transmittere.) Hi namque, dum bona sua legarunt Capitulo, jusserunt expressis verbis, quod eorum reditus inter praesentes, et assistentes mattutinis officiis distribuerentur. Sane defunctorum voluntates mutare, nisi ex juxta, et necessaria causa improbavit S. Congregatio *in Asculana* (*Commutationis*) *voluntatis* 8. *Augusti* 1801. *et in Firmana Derogationis* 2. *Junii* 1804.

Insuper *statuit Tridentina Synodus in Sess.* 21. *Cap.* 13. *De Reform. - In Ecclesiis, tam Cathedralibus, quam Collegiatis, in quibus nullae sunt distributiones quotidianae, vel ita tenues, ut vero similiter negligantur, tertiam partem fructuum, et quorumcumque proventuum, et obventionum, tam Dignitatum quam Canonicatuum, personatuum, Portionum, et officiorum separari debere, et in distributiones quotidianas converti, quae inter dignitates obtinentes, et caeteros divinis interessentes proportionabiliter juxta divisionem ab Episcopo etiam tamquam Apostolico Delegato in ipsa prima fructuum deductione faciendam dividantur*,

Cum igitur Synodus voluerit Massam Communem institui, vel ampliari, ubi vel deesset illus institutio, vel exiga admodum foret, Canonici Seniores contendunt eo minus posse nunc dividi communem massam jamdiu existentem Apostolica auctoritate ere-

erectam, et Piorum Hominum voluntate apposite adauctam, ut frequentiori assistentiae divinis officiis tamquam proemium esse deberet.

Neque ullo in calculo habendum esse putant Canonici Seniores, quidquid egerunt Canonici alterius Collegiatae Sanctae Mariae; Ac primo quidem in eo Capitulo nulla est obligatio quotidianae assistentiae, nulla forsan personalis frequentia indicta est a Piis Testatoribus: dum e contra Canonici S. Nicolai tenentur quotidiano servitio, atque interessentiae. Quidquid tamen egerint Canonici illi id parum intersit, cum ab exemplis, non sit judicandum.

Juniores autem Canonici multa proferunt, ut ostendant resolutionis Capitularis Justitiam. Ne longius quam par est Eminentissimos Patres detineam, quoniam ea omnia, quae illi proferunt, Episcopus probavit, praestat Informationis verba referre. - *Divisionem hanc haud faciendam esse contendunt praedicti duo, vel tres Canonici (Seniores nimirum) tum ex defectu potestatis, tum ex asserto decremento servitii Ecclesiae ob diminutionem distributionum quotidianarum, necessario, ut asserunt, evenientem .... Verum, re mature perspecta, neutra ex dictis rationibus, seu potius exceptionibus veritati videtur inniti. Non ex defectu potestatis, eo quia Massa Communis in Collegiata Collis Scipionis statuta non fuit per Bullam, seu Pontificiam constitutionem, ut iidem tres Canonici gratis asserunt, verum pedisseque ad decreta Visitatoris Apostolici Auctoritate ordinarii mediante decreto Praesulis Hyeronimi Cesii Narniensis Episcopi. Verum frustra de Potestate fit disceptatio, quoties hujusmodi controversia ad istam Sacram Congregationem deducta, major pars Canonicorum illius Collegiatae EE. VV. judicio divisionem hanc bonorum, ob Capituli et Ecclesiae utilitatem adprobandam et exequndam esse exoptant, ac suppliciter petunt.*

Quo vero ad exceptionem alteram, sic pergit Episcopus - *Diminutionem distributionum quotidianarum ex divisione bonorum Massae Communis non evenire, evidentissime patet, primo, quia mediante bonorum divisione, de qua est quaestio, Massa Communis non penitus evertitur. Etenim ea sequuta, remanent adhuc*

in

in Massa Communi plura bona, quae commodam non patiuntur divisionem (quorum notulam adnectit Episcopus, haud tamen designato illorum valore, aut annuo redditu). *Secundo quia ex dispositione testium fide dignorum, et de facto proprio testantium, fructus bonorum Massae Communis aeque inter Canonicos divisi fuerunt nulla habita ratione de majori, seu minori frequentia in Choro.*

Id tamen vel ipse Episcopus fatetur factum fuisse - *per abusum, contra disposita in Decreto unionis Ecclesiarum ruralium.*

Transit demum Episcopus ad conciliationis modum, quam S. Congregatio ope antedicti rescripti exquisierat, ac rem omnem, ut superius dixi facili negotio componi posse putat - *Si in actu divisionis per Peritos liquidaretur quantitas fructuum juxta praesentem statum bonorum quotanis percipienda, ac in divisione cuilibet ex Canonicis imponeretur onus tam contribuendi in Massa Communi ad hoc, ut in fine anni una cum reditu bonorum indivisorum aequabiliter inter Canonicos juxta majorem vel minorem frequentiam in Choro fieret distributio* - Hinc putat Episcopus - *Quod distributionum quotidianarum quantitas non solum nullam pateretur diminutionem, verum, etiam augeretur.*

Post haec, vestrum erit, Eminentissimi Patres controversiam dirimere.

Proposito Dubio

An et quomodo sit locus divisioni Massae Communis in casu etc.

SPO-

SPOLETANA. Confratres Societatis Sanctissimi Sacramenti Trebiensis ex diversis Legatis tenentur in singulos annos ad Celebrationem Missarum 424. Inspecto statu activo, et passivo juxta ultimum decennium deductis oneribus, quae Domini cultum respiciunt, quoque imminutionem non subeunt, evidens est redituum defectus; Introitus enim hujus Sodalitii est in Summa ₰ 379. 29. et exitus ₰ 537 hinc cum exitus reditibus sit superior in ₰ 158 19. cumque supradicta Societas debeat ex legato *Fideli* solvere scuta viginti quinque Causa dotis quinque Puellis *in* actu earum *M*atrimonii, postulatur Missarum reductio ad ₰ 130. tantum per Decennium. *Sess.*25. *Cap.*4. *de Reform.*

Episcopus usque a prima Informatione petitioni assentitus est Confirmans defectum redituum, qui ad praesens augeri nequeunt.

Attamen sub die 8. Februarii cum Oratorum instantia *per Summaria precum* relata est, censuerunt EE. PP. novam ab Episcopo exquirere Informationem, petendo, an existant, et cujus sint reditus fundi spectantes ad singula Legata, et quae sint in specie expensae reformandae, et onera reducenda Episcopus haec refert in nova Informatione.

Ad primum, quod spectat legatorum specialitatem, nihil in Cancellaria, nihil alibi inveniri potuit, quod singillatim unicuique legato bona tribuat, annualesque designat fructus, agitur enim de re antiquata nimis, nec ideo aliter de ea actum apparet, quam si de uno eodemque ageretur Patrimonio. Omnes enim quotquot extant Codices dati, et accepti licet antiquitate praestantes una confusim, et omnium Legatorum administrationem exhibent. Non ergo in hac parte fas est aliquid ultra desiderare quam quod in altera relatione diei 25. *Augusti* 1816. *exposui.*

Quod vero respicit alteram dubii partem (sic prosequitur Episcopus),, an scilicet sint expensae reformandae, et onera reducenda, expensas reformationem minime subire posse, alacriter substinet; omnes enim, quae alias in transmisso statu recensentur, et moderationem praeseferunt, et necessitatem important. Onera reducenda, si quae forent, de realibus res esset, ut pote non levia, et

 mul-

multis distincta nominibus, ex quibus adamussim Sodalitii oeconomia imminutionem tulit.,, Qua propter, aliud, concludit, non esse in re effugium, nisi favere petitae decennali Missarum reductioni.

Sane probata deficientia redditus ex calculo decennali desumpta denegari nequit reductio, ut saepius hisce in Casibns a S. Congregatione Sancitum fuit. Notissima enim est regula, ut ex inculpata redituum deficientia reducantur onera - *Ut tradit Monacellus formul. legal. 19. Tit. 20. parte prima num. 25.* At iniquirendum nunc erit de modo, seu de quibus oneribus facienda sit reductio. Certum est primum, alia reduci onera, quam Missas, *secundum doctrinam Benedicti XIV. De Synodo Diecaesana lib. 3. Cap. ultimo num. 23. quam semper sequuta est S. Congregatio in Regien Reductionis Servitii Chori, et Missarum 29. Julii 1775., et in Urbanien. Reductionis Missarum 16. Februarii 1788., et in Romana Reductionis* 1803.

Reduci enim posset Summa Dotis quia cum Dos percipiatur ex Fundis Sodalitii, et isti detrimentum passi sint, videtur dotem imminui posse, diminutis fructibus Fundi Legatis adimplendis assignati; *Ut in Ariminen. Reductionis Missarum 18. Juliis 1796., et in Spoletana Reductionis 8. Marti 1806.*

His praemissis vestrum erit EE. PP. judicium reddere sub dubio.

An sit locus Reductioni Missarum in casu etc.

IN-

INTERAMNEN. EMPHITEUSIS Narniense Brephotrophium, quod vigilantissime tuetur Eminentissimus Galeffi exiguos habet agros, quos emphiteusis jure concessit familiae Chiaranti pro annuo canone scutati unius. Canonis tenuitas ex eo repetenda, quod cum anno 1748. fratres Chiaranti ex antiquo quodam fideicommisso praedicta bona sibi vindicarent, ac lis ab eis excitata fuisset, inita conventio fuit inter ipsos et Brephotrophii moderatores, ut huic universa haereditatis jura cederent Chiaranti, eisdem vero bonorum emphiteusis concederetur usque ad tertiam generationem exclusis tamen omnino foeminis. Haec in privatam apocham redacta statim executioni demandata fuerunt, quin solemnis stipulatio accesserit ac Apostolicam Beneplacitum, prout in eadem apocha cautum expresse fuerat, et in Ecclesiasticis rebus necesse erat. Brevi tamen apud se emphiteutica bona mensura senserunt Chiaranti. Coeteris enim fratribus vita functis sine masculina sobole unus supererat anno 1794. Canonicus Franciscus, cui unica neptis Rosa nomine. Honesto haec loco Interamnae genita, honestisque imbuta moribus, sed penitus destituta opibus sollicita fuit, emphiteusim saltem sibi conservandi. Hinc sanctae me. Pium VI. supplex precata est, ut sui favore eadem emphiteusis continuaretur eodem annuo canone, gratiamque votis consonam assequuta fuit, salvis pactis conditionibus et *reservationibus* in Apocha Concordiae contentis. *Sess.* 25. *Cap* 11. *de Reform.*

Nuptias deinde foemina inire cupiens jam ab anno 1806. Summum Pontificem iterum adiit humiliter exorans - *per facilitare il suo accasamento ad investire del sud. Enfiteusi la sua discendenza mascolina.* - Remissae fuerunt preces huic S. Congregationi, quae Eminentissimi Protectoris mentem suffragiumque exquisivit una cum fundorum de quibus agitur aestimatione. Sed res diu infecta mansit nefanda rerum publicarum perturbatione. Nunc apud Eminentissimum Protectorem iterum ursit Rosa; jam nupta Aloysio Amati, duorumque filiorum mater, Emphiteusis renovationem implorans - *nella di-*

discendenza mascolina, non esclusi però in mancanza de' maschj dell' agnazione i maschi delle femmine coll' aumento del canone di Scudi cinque all' anno, CHE PROMETTE FIN DA ORA PAGARE. - Omnia quae ad rem pertinent ante oculos ponit EE. VV. Eminentissimus Protector, ut quid justum equumque sit pro vestra sapientia decernatis.

Illud in primis notandum praefata bona, quae descripta sunt in Catastro pro praetio Sc.624. 50., nuper aestimata fuisse ab agrimensore, quem Eminentissimus Protector ex mandato S. Congregationis elegit, Scutatis 575. 50. in sorte, et scut. 22. 50. annui redditus. Hic certe reditus licet vectigalibus collectisque diminuatur oblatum tamen ab Oratrice canonem tam longe superat, ut laesionem evidenter evincat. Scitum namque in emphiteusi perpetua, qualis illa dicitur, quae linea durante concessa fuit, canonis constituendi modum eum esse, ut infortuniorum intuitu sexta tantummodo detrahatur pars redituum, veluti saepe definivit S. Rota et videre est *in Romana Concursus et Emphiteusis* 13. *Januarii* 1772. §. 11. *coram Origo* - Sed nec illud omittendum, quod Eminentissimo Protectori innuit Brephotrophii administrator, emphiteutica praediola, oliveta precipue copiosiorem fructum redditura, si diligentius colantur. Haec quidem omnia novam emphiteusis concessionem excludunt, utpote quae ulteriori damno futura esset Brephotrophio, cui post Rosae mortem eadem praediola reverti debent. Multa tamen sunt ad calculum revocanda, exactiusque perpendenda, quae novam emphyteusim suadere videntur, quaeque summa qua pollet diligentia in rebus Ecclesiae procurandis ante oculos Vestros ponit Eminentissimus Protector. Illud in primis - *Testimonio Ratiocinatoris ejusdem Hospitalis Domus nullum Investiturae instrumentum inveniri potuisse; viderique minus quam oportuisset actum negotium iis in pactis constitisse, quibus olim familia Chiaranti cum Apostolico Hospitalis Domus Visitatore de haereditate Dominici Imperi transegerat* - Et re quidem vera immissionem ad dicta haereditaria bona postulabant Chiaranti fideicommissi jure

cum

cum informis illa inita est transactio de Imperij haereditate cedenda, ac de emphyteusi bonorum invicem perficienda favore Chiaranti cum exclusione foeminarum. Quid si transactio corruat, restitutionemve in integrum postulet Rosa? Haec caeteroquin transactionem ipsam ratam habuit, cum emphyteusis continuationem imploravit obtinuitque a Summo Pontifice. Quid si post Rosae obitum, matris ejusve auctorum factum improbent filii, ac in scenam iterum prodeant ex fideicommisso, propriamque vocationem praetendant? Profecto si vocationis sedem in Imperi testamento habent etiam foeminarum liberi nescio quo jure ab ejus haereditate exclusi fuerint informi illa concordia anni 1748. nulla ejusdem voluntatis derogatione, nullaque prorsus a Summo Pontifice impetrata venia.

Videant itaque Eminentissimi Patres, ne in litium discrimina ponant Brephotrophium, cui incerta quidem, sed multo major utilitas tollitur in posterum, sed praesens certumque datur aemolumentum proposita emphyteusis renovatione. - *Sarei d'opinione prescindendo da tutte le altre ragioni*, - ita rem considerat exponitque Eminentissimo Protectori Sacerdos Mariani, *si accordasse la richiesta grazia non solo per l'annuo canone di Scudi* 8. *o* 10. *ma anche di Scudi* 6. *o* 7. *da incominciare a decorrere* a die concessionis, *giacchè con ciò verrebbe il Luogo Pio ad assicurarsi una rendita, che anche con mille intrighi non so se ricaverebbe dal fruttato stesso de' beni enfiteutici non esistenti in Narni, ma nella Diocesi di Terni* - Quid vero alii consultores senserint, quid Eminentissimus ipse concludat, audiant EE. VV. ex ejusdem verbis - *Porro sententiam rogati*, ait in sua informatione, *qui superioribus annis ejusdem Hospitalis domus rem procurabant quid ipsi de postulatis Rosae Chiaranti sentirent, Litteris ad me datis declararunt; quarum erat summa, ut concedendam postulationi suaderent, modo si annuus Canon ad octo saltem, aut decem aureos augeretur, ut cernere est in earumdem Litterarum exemplo Littera C.*

No-

Neque tamen his contentus, quum extraordinariam Hospitalis domus procurationem probatissimo, quem eo legaram, viro concredere coactus essem; ex isto item, quid ea de re sentirot, exquisivi. Is porro videri sibi, respondit, commodum, atque utile Hospitalis domui futurum, non modo si ad octo, vel decem, vel etiam si ad sex, vel septem dumtaxat aureos annui Canonis ratio constitueretur: nec aliter visum est iis, qui de rèbus ad Hospitalem domum pertinentibus adhiberi a me Romae in consilium solent; qui hoc praeterea adjicere curandum fore, ac lege instrumento investiturae imposita cogendos emphyteutas, ut fundorum conditio, ex iis, quae peritorum judicio statuendae videbuntur regulis melior ac fructuosior evadat; qua de re si convenerit, quod plus ab ea utilitatis ad Hospitalem domum redundaturum intelligatur; eo minus laborandum fore de aliquo Canonum inter se discrimine.

Dubium proponitur

An, et pro quo canone nova concedenda sit emphyteusis in casu etc.

Affirmative ad tertiam generationem masculinam tantum Rosae Chiaranti pro annuo canone Scutorum decem libero, et immuni cum solitis clausulis.

Die

Die Sabathi 20. Decembris 1817. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua præter alia proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

ARIMINEN. CAPELLANIAE - Proposita fuit haec causa in Comitiis 20. Septembris jam exeuntis anni, duplici Dubio, nempe I. *An servanda sit institutio Presbyteri Dominici Giovanetti, seu potius sit danda reintegratio Clerico Ludovico Balzani in casu etc.* Et quatenus Affirmative ad secundam partem II. *An, et a quo tempore sint restituendi fructus in casu etc.* Sacerdote Giovanetti frustra dilationem implorante, Balzani vero sua jura strenue deducente responsum est. Ad I. - *Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam.* Ad II. *Affirmative a die motae litis* - Novae Audientiae beneficio impetrato judicium vestrum acriter impugnat Sacerdos Giovanetti distributo in id EE. VV. defensionis libello, cujus summam innuere in causa plane cognita mei muneris reliquum est. *Sess. 14. Cap. de Reform.*

Principio, quoniam Bullis inniti ab Episcopo Ariminensi datis debilem naufragii tabulam sensit, et nominationis Patronorum defectu perstringi, illud adstruit in Cappellaniis mere laicalibus patronum aliquando se ipsum nominare ac praesentare posse, spretis etiam aliorum patronorum vocibus atque suffragiis. Quod certe procedit, quando quis privative qualitatem habet a fundatore requisitam. Lex enim fundationis vim praesentationis obtinet. Hinc totus est Presbyter Giovanetti ut evincat in praedilecto genere a Laura descendentium qualitatem insuper sacerdotalem, si non absolute, praelative saltem voluisse Archipresbyterum Vangelisti Cappellaniae fundatorem, quod tum ex transactione, tum

tum ex testamento, tum ex ipsa Cappellaniae institutione deducere posse autumat. Ubique enim leguntur enunciationes - *che il Cappellano debba essere un Sacerdote* - et si potestas aliquando facta fuit nominandi - *anche un chierico* - non aliter facta, quam cum aresceret linea vocatorum Laura descendentiam.

Sacerdotem vero, qui eligi posset, se unice fuisse affirmat Giovanetti, quippe cui omnia jura cessit Aloysius Gratiosi, qui alter erat Sacerdos ex genere vocatorum. His juribus suffultus jus patronatus tum activum, tum passivum sibi asseruit obtinuitquae ex re judicata, cujus vigore Cappellaniae bona ab usurpatorum faucibus vindicavit. Neque ei succensendum putat, quod pactum inierit cum Sacerdote Gratiosi de Capellaniae reditibus cum ipso communicandis, hoc enim fecit - *salva semper l'autorità Apostolica* - atque ab Aposlolica Sede, quatenus illicito pacto innodatus extitisset, plenissimam absolutionem consecutus est.

Auctoritate pariter Apostolica non solum omnia sanata sunt, sed et nova provisio concessa favore Giovanetti, cum reservatione pensionis quoad presbyterum Graziosi. Neque opponenda litterarum Apostolicarum clausula - *dumodo nulli sit jus quaesitum*. Nullum enim jus ex praemissis erat vel esse poterat Balzani, qui cum praesentatus fuit simplici tonsura initiatus erat, neque patronis qui nominationem expleverant ad beneficium jam legittime possessum, ac post lapsum temporis spatium a lege definitum. Constitutum enim est a sacris Canonibus, ut certum temporis sptium conceda tur patronis ad nominandum a die habitae notitiae vacationis, quod quidem tempus Decretalium Commentatorum interpretatione diversimode statutum est pro laicis Ecclesiasticisque patronis, ut illis scilicet ad praesentandum dumtaxat quatuor menses, his vero sex menses suffragarent, quae distinctio a Bonifacio VIII. probata *in cap. unico de jure Patronatus in sexto* jus certum evasit. Neque patronorum, si qua esset, oscitantia excusari potest temporum acerbitate, et Dominantibus Gallorum legibus. Patronorum enim

jura

jura integra semper fuerunt, declaratumque eisdem legibus - *Ritiene il governo che i diritti Padronati di qualunque sorta rimangono illesi, e la nomina resti ai respettivi Patroni* - Adeunda tantum erat politica, et judicialis autoritas, certique ritus servandi, quos adamussim implevit Giovanetti, ut praedam ab usurpatoribus eximeret; suumque Patronatus tam activum quam passivum jus exerceret.

Omnia tunc temporis necessitate ductum bonoque jure innixum se gesisse concludit omniaque legibus tunc vigentibus judicanda, auctorante, ut autumat S. Rota, quae *in Romana* 18. *Martii* 1816. *cor. Odescalchi* definivit quae sub Gallorum imperio sunt gesta Gallorum legibus judicanda. At animadvertere praestat, ne confusio in re tam gravi ingeratur, in specie illius Decisionis, cujus sententia innitiur, de re tatum civili agi, de cambialis scilicet syngrapha, et de uxoris intercessione pro viro. At cum de rebus ac negotiis ad Ecclesiam quomodocumque pertinentibus agitur enerves esse laicorum leges, et sanctissimos Ecclesiae Canones prae oculis in omne tempus habendos definivit saepe saepius eadem S Rota, et praecipue *in Tolentina Manutentionis super bono jure* 10. *Martii* 1817. §. 20. *coram eodem Odescalchi, et in Confirmatoria* 6. *Junii ejusdem anni* 10. *eodem*. Semper enim, ac ubique traditum, ut *laici Ecclesiastica tractare negotia non praesumant*, uti scriptam ptum est in *Cap.2. de Judiciis*

Quibus probe stabilitis vestrum erit judicium PP. EE. necessitatem, qua ductum se fuisse autumat Giovanetti, ut peregrinis legibus se accomodaret, excusare, vel excludere; vestrumque erit causam omnem non extraneis ab Ecclesia legibus, sed perpetua Sacrorum Canonum censura ac aequitate dirimere, Dubium erit.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc.

In Decisis, et amplius

Ses. 24. Cap. 2. et Ses. 25. cap. 14. de Ref.

NUCERINA. Plura inter Validensem Clerum suumque Episcopum Nucerinum, Virum omni laude dignissimum orta sunt jurgia, atque dissidia, quae quoniam meis studiis componere datum non fuit, necesse omnino est, ut auctoritate vestra compescantur.

Dissentionum initium fuit an. 1814. in reditu religiosissimi Antistitis ab exilio. Coacta siquidem in mense Septembris ejusdem anni Dioecesana Synodo quaedam de Clericis statuuntur vel renovantur, quae tanquam severa, et acerba nimis a Validensi Clero accusantur.

Praemisso sententiarum fasciculo de consuetudine, et cohabitatione Clericorum, ac mulierum ex S. Scriptura, Conciliis, Sanctorum PP. Sanctorumque virorum dictis excerptarum, haec sequuntur- *Synodus Nucerina secunda de anno* 1814. *Observentur adamussim in tota nostra Dioecesi circa cohabitationem, et consuetudinem Clericorum, ac mulierum, quae infra disponuntur praeter* Tridentinum. Referuntur inde Canones Concilii Beneventani anni 1695. diversaeque sanctiones Synodorum Nucerinarum, quarum summa est, ut Clerici Mulierum consuetudinem devitent, et cum eis, nisi primo, vel secundo consanguinitatis, ac affinitatis gradu conjunctis, ac annuente Episcopo, multoque magis cum extraneis non cohabitent nisi expresso ejusdem Episcopi accedente consensu. Ultimae vero Nucerinae Synodi anni 1678. dispositio, quae in eamdem Sententiam collimat, ita punctis interpositis exhibetur, ut quarumcumque Mulierum consuetudo Clericis interdici videatur. Sic enim expressum ibi legitur - *A Mulierum . . . . . familiaritate, et consuetudine abstineant sub carceris, et aliis arbitrariis poenis* - . Hinc prima querelarum causa ex parte Cleri Validensis; Non solum namque se infamia affici putavit nova canonum, ac paenarum denunciatione; verum etiam restringi nimis contra naturalem libertatem Ecclesiae Leges, ac omni quoad Mulierum cohabitationem arbitrium sibi Episcopum assumere, qui caeteroquin in id intendere animum videbatur, ut Clerici potiusquam cohabitarent cum Mulieribus a Jure permissis in segregato convictu degerent.

Sed

Sed et illud accessit pro Validensi Clero gravissimum in eadem Synodo novas vestes etiam extra Ecclesiam a Clericis omnibus deferendas Episcopum indixisse, valde sane incomodas, Clericis praecipue Validensibus, qui in montanis regionibus pauperem ducunt vitam, promulgato in id Emi Vicarii Urbis antiquo Edicto anni 1724. de talari etiam extra Ecclesiam induenda veste, quod jam recessit ab usu, et cujus Edicti observantia non modo stricte praescribitur, sed et adjicitur insuper - *Che in quanto ai ferrajuoli, che si usano nell' inverno, permettiamo, che solamente in occasione di viaggio, in Campagna possano usarsi con i bavari più grandi, e colle maniche, sempre però negri, ma fuori di questi casi debbano essere assolutamente alla Pretina* - facta sibi ab eodem Episcopo cujuslibet de hoc interpretationis, et absolutionis potestate.

Haec omnia vero Episcopum statuisse nec approbante, nec audito Capitulo asserit Validensis Clerus contra notissima jura, de quibus ut caetera mittam, testatur *Benedictus XIV. de Synodo Dioecesana lib. 13. Cap. 1. §. 5.* hisce verbis „ Profecto ambigi non po„ test, quin etiam hodie jure Decretalium, Canonici „ sint Consiliarii nati Episcopi adeo ut non liceat Epis„ copo aliquod gravis momenti negotium aggredi, et „ deliberare inconsulto Capitulo. „

Post celebratam hanc Synodum indicta altera fuit pro insequenti anno, quae reapse fuit habita die 14. Septembris anni 1815. atque in ea nullae aliae Leges latae, si illam excipias, qua declaratum fuit, omnes omnino Diaecesis Clericos ad Synodales Conventus cogendos esse. Tertia inde indicta Synodus pro anno 1816., quae solemni ritu praeparata solemniori pompa celebrata fuit mense Julio dicti anni in eaque Nucerinus Episcopus sermonem habuit de obligatione, ac necessitate cogendae quot annis per Episcopum Synodi, aliaque plura pertractantur ad praesentes quaestiones minime spectantia, nempe de Parochis, de Faenoribus, de Monopoliis. Illud non praetereundum post absolutam Synodum quosdam Clericos pecunia fuisse multatos propterea quod nulla legitima adducta excusatione Synodo non interfuere.

Altera etiam superaccessit querela Validensium; quoad Spiritualium Exercitiorum onus aliquando impositum ab Episcopo universis Clericis in Religiosa domo proprio sumptu implendum.

Rem omnem componere iteratis litteris, officiisque inaniter curavi. Ventum hinc est ad acta judicialia et quae dubia Sacrae huic Congrugationi essent propoponenda magna animorum contentione disputatum est. Haec tandem dubia, quae in calce proponimus juxta ordinem designatum, quem Validensis Cleri Defensor in sua allegatione intervertit, concordata sunt, dictaque dies ad utriusque Partis deducenda jura. Verum exhibita ab eodem Clero Validensi allegatione, nihil addendum censuit Episcopus praeter ea, quae in diversis a se editis relationibus declaravit ac se a Pauperum cura distentum in vestra sapientia quiescere. Singulas igitur quaestiones dum enucleandas suscipiam quae Validensis Clerus fuso calamo pertractat vix innuam, quae Episcopus reponit suismet verbis referam, quaeque tum in facto, tum in jure certa sunt indigitabo.

Ad primum dubium quod attinet an scilicet Leges in Synodo Dioecesana latae, Capitulo prorsus inscio, obligent, et num in themate requisitum nec ne fuerit Capitulum negant Validenses Clerici. Quoad jus notissimi sunt textus *in Cap. Novit de his quae fiunt a Praelato*, *et in Cap. Quando ibidem*, ex quibus conclusum definitumque est ab hac Sacra Congregatione, ut caetera mittam Episcopum in Synodo Diaecesana per se constitutiones facere posse, requirendum tamen Consilium Capituli, ut videre est *in Burgen*, 5. *Julii* 1557. *lib.* 13. Decretorum pag. 267. Et sane quamquam penes Episcopos praecipua semper fuerit in Ecclesiae Regimine auctoritas; nihilominus ab ipsis Ecclesiae primordiis fuit et Praesbyterorum et Diaconorum Ordo, et Coetus, quorum consilio, atque opera Episcopi in Ecclesiae Regimine uterentur. His porro juxta hodiernam Ecclesiae disciplinam Canonicos Ecclesiae Cathedralis successisse nemo est, qui ignoret. Verum tametsi haec sit Ecclesiae mens, ut Episcopi in Ecclesiarum Administratione, arduisque negotiis consilio Canonico-

rum

rum utantur, illud tamen sequi non tenentur nisi in casibus a jure expressis, quos refert Barbosa in Tractat. de Canonicis Cap. fin. Haec quoad jus innuisse sufficiat, quum factum potius impugnare autumet Nucerinus Antistes. Etenim ait „. Quoties Dioecesana Synodus fuit congregata, toties praesynodales Congregationes omnium Capitularium fuerunt habitae, in quibus Synodi Officiales fuere constituti, ac etiam quid esset proponendum ut plurimum patefactum. Quod si aliquando non omnia sunt Capitulo ante patefacta in causa fuit, quia nil novi condebatur, sed solummodo Leges a Sacro Concilio Tridentino, et Romano, et Synodis Dioecesanis alias Statutae evulgabantur „. Mei autem muneris est in facto adnotare, praesynodales Congregationes habitas fuisse quoad Synodos annorum 1816. et 1817. ut probat Episcopus binarum harum Congregationum exemplari. Quoad vero Synodos annor. 1814., et 1815. habitas pariter fuisse asserit nullo tamen allato documento.

Ad secundum Dubium quod spectat, an scilicet, et quomodo possit Episcopus prohibere Clericis cohabitationem cum Foeminis, omnibus posthabitis, quae tum in jure, tum in facto ab utraque Parte disputantur, quoniam omnis quaestio in eo reposita est, Synodum Nucerinam Episcopi Amati exasperasse hodiernum Antistitem, ac Mulieres etiam a jure permissas prohibuisse juvat hic referre, quae ad rem declarat Episcopus. „ In Decreto „ ait „ quoad cohabitationem Clericorum, et Mulierum relatis, et pro lege propositis ab Episcopo pluribus Decretis tum Provincialibus, tum Synodalibus adduntur verba Episcopi Amati - A Mulierum . . . . . familiaritate etc., quibus non excluditur permissa in suprallatis Decretis cohabitatio, sed puncta interjecta indicant vel adesse, quae ad rem non faciunt, vel quae brevitatis gratia non sunt repetenda. Ergo calumniosum est dicere Episcopum omnem prorsus prohibere cohabitationem cum Foeminis „. Post declarationem Episcopi Vestrae Sapientiae erit generali Dubii formulae respondere, ea prae oculis habentes, quae notissima disponunt jura, ad Episcopi

copi scilicet monitionem teneri Clericos e domo suae habitationis dimittere Foeminas, quae suspicionem non effugiunt tum extraneas, uti sunt *Ancillae*, tum etiam interdum Consanguineas, exceptis tamen iis, quae conjunctae sunt usque ad secundum gradum. *Can. 29. Distinct. 21. Can. cum omnibus 26. ibidem Cass, 1. de Vit. et Honest. Clericor.*

Ad vestes talares quod attinet etiam extra Ecclesiam deferendas, in quo tertium versatur dubium, et in quo Clerici Validenses quamplurimum obstrepunt, haec habet Episcopus. - *Nihil aliud feci quam evulgare in* Summario *Edictum in calce Concilii Romani appositum juxta ejusdem* Sacri *Concilii Decretum tit.* 16. *cap.* 3. *ubi dicitur* - *ILLUDQUE* (Edictum) EPISCOPI, ALIIQUE RESPECTIVE IN SUIS ETIAM DIOECESIBUS PUBLICANDUM, ET OMNINO OBSERVANDUM CURENT - Vestrum hinc erit definire, num Validinensi Clero conveniat contra propriam, communemque universae Pontificiae Ditionis Consuetudinem hujusmodi Edicto se conformare, fascesque Episcopi pietati, zeloque submittere. Debent quidem Clerici *per decentiam habitus extrinseci, ut ait synodus* Trid. *sess.* 14. *cap.* 6. *de* Reform. *morum honestatem intrinsecam ostendere*. Porro qui sit dicendus amictus, seu vestis Ordini Clericali conveniens difficile est generatim definire: quum pro temporum, locorumque varietate extra Ecclesiam, (in qua semper constans, et firmus manere idem debet vestis talaris usus) varium esse, et immutari posse indubitatum est approbante etiam Piorum Hominum More,cui maxime est deferendum

Verum ad haec ob oculos Emorum. PP. ponit Episcopus, quae notat Bened. XIV. de Syn. Dioeces. lib. 11 cap. 8. Per tot. - *Plures* ait SSmus Pontifex, *Synodales constitutiones sunt in invidiam adductae falsa*
„ criminatione nimiae severitatis; quae tamen ex-
„ pensae ad Sacrorum Canonum normam, depre-
„ hensae sunt eorumdem rigorem potius temperas-
„ se. In nonnullis Synodis, aut Episcoporum Edi-
„ ctis, jussi sunt Clerici sive in Sacris constituti, si-
„ ve Ecclesiasticum Beneficium possidentes, veste uti
„ oblonga nigri coloris, quam talarem appellamus,

ad-

,, adjecta poena in contumaces. Adversum has sanctiones, quas nimio rigore conspersas dictitabant, provocarunt Ecclesiastici ad sacram Congregationem Concilii; sed semper provocantes succubuere ,, : quod videre est in Instit. 71., et in Epistola Pastorali bon. mem. Cardinalis Lanfredini edita in Civitate Aesina anno 1740. *pag.* 287. *et seq.* Nihil quippe visum est corrigendum in decretis, quae fulciebantur auctoritate Tridentini *sess.* 14. *cap.* 6. *de reform.* ubi, oportere, ait, Clericos vestes proprio congruentes Ordini semper deferre.

Quartum quod respicit dubium, an scilicet praeter curam animarum exercentes omnes Presbyteri, et Clerici Beneficio haud gaudentes ad synodum compelli valeant id certe videtur non ex Canonum sanctionibus dumtaxat, sed ex varia locorum consuetudine repetendum. Ejusdem Sac. Congregationis sanctionem referre praestat in causa Tullen. diei 17. Martii 1593. *lib.* 7. Decretor. *pag.* 69. Sacra etc. *censuit Episcopum non posse cogere ad accedendum ad Synodum habentes Beneficia simplicia nisi ex consuetudine aliud observatum fuerit.*

Mordicus tamen reponit Episcopus in suis Synodis de rebus egisse ad Reformationem Morum spectantibus, ideoque ad hosce Synodos omnes omnino Clericos cogi potuisse, et cogi in posterum posse, dum haec pertractanda sunt teste Benedict. XIV. *de Syn. Dioec. cap.* 6. *lib.* 3. in quo refert Sac. Congregationis Decretum diei 15. Decembris 1629. *lib.* 14. Decretor. *Ita siquidem consulta - Episcopus Balneoregien. supplicat per Sacram Congregationem responderi. Primo: An ipse cogere possit simplices Sacerdotes non Beneficiatos, et Clericos sacris Ordinibus initiatos pariter non Beneficiatos suae Dioecesis ad interessendum Synodo Dioecesanae. Secundo: Et quid si concurrat Consuetudo? respondit: Posse cogere quando in Synodo agendum est de Reformatione morum, sive de aliqua re concernente totum Clerum, vel de intimandis Decretis factis in Synodo Provinciali: hoc autem casu in ipsa Synodi convocatione faciendam esse mentionem quod de praedictis erit tractandum. Ad secundum concurrente consuetudine posse.* Hinc plures afferri possent hujusce Sac. Congregationis Definitiones, ac Decreta.

Ad

Ad consuetudinem autem quod attinet in Nucerina Dioecesi, illam evincere studet Nucerinus Antistes ex indictione Synodi ultimae ante se celebratae in qua reapse omnes omnino Clericis ad Synodalem Conventum vocatos fuisse constat: Num vero reapse convenerint, incertum est. In nonnullis proximis Dioecesibus hoc jus viguisse probat, nempe quoad Assisien., et Fulginaten. ex indictionibus: Quoad Perusinam auctoritate Gavanti: Quoad Eugubinam tandem ex Resolutione hujus Sac. Congregationis apud Crispin. *part.* 3. §. 18.

Haec Episcopus, quae vero quoad Clericorum interventum in Synodo usu magis probatum sit, hic cum *De Luca disc.* 30. *ad Conc. Trident* adnotare praestat. ,, super convocatione, ait, sive interventu in Synodo controversiae oriri solent cum Capitulis, et Clericis oppidorum, an scilicet omnes Presbyteri, et Clerici ad synodum convocari possint, ut ab aliquibus Episcopis consuevit; ideoque provisum est, ut sufficiat interventus deputatorum Cleri cujuslibet loci, et Parochorum, seu Vicariorum, aut illorum quibus alias exercitium curae animarum, et administrationis sacramentorum incumberet; Licet enim Capituli Cathedralis interventus requiratur; attamen id incommodum non praebet ex quo in eadem Cathedrali synodus celebranda est.

Sequitur Dubium de spiritualibus exercitiis certo loco, et tempore perficiendis ad quae nec cogi patitur Validendis Clerus Arbitrio Episcopi, nec proprio sumptu, et si maxime vellet se se accomodare valet. Sed ait Episcopus. *Nunquam in Synodis huc usque habitis decretum hujusmodi extare ex Cancellarii synodalis documento* (quod exhibuit) *Insuper in annis decem et sex regiminis moderni Episcopi bis tandem in domo religiosa Clerus Validensis hisce vacavit, ut totus ipse Clerus quit testari*. Hic vero jam non quaeritur num Synodi decreto vel potius edictali Lege fuerint universo Clero praescripta spiritualia exercitia, num semel, vel bis, sed utrum saltem in praedicta forma praescribi possint, proprioque sumptu peragenda sint. Illud etiam quoad spiritualia exercitia addendum censet Nucerinus Antis-

tis-

tistes - *nunquam Episcopum coegisse nequidem Parochos, Beneficiatos et Confessarios, prout jure potuisset, sed tantum lato modo obligavit, quia Pastoris consilium pro jussu a bonis accipitur. Quod vero nunquam coegerit patet ex eo quod nullus eorum hoc nomine sit poena mulctatus.* - Quae quanti facienda sint EE. VV. judicabunt animadvertentes legem etiam sive poenali sanctione ferri posse; obligat enim ipsa per se statim ac fuerit rite recteque proposita, ac ab justo imperio emanata. Neque ex eo quod poena non fuerit exacta, hac legem non fuisse munitam recte concluditur. Omnis itaque quaestio in jure versatur indicendi spiritualia exercitia in religiosa domo proprio sumptu peragenda.

Ad sextam diluendam quaestionem pergit Episcopus de synodo quotannis cogenda, atque hoc sine distinctione, sit nec ne cleris oppidorum propter paupertatem grave, praescripsisse notat Tridentinum *Sess. 24. cap. 2. de reformat. et Concil. Rom. titol. 2 capit. 3. - Imo ait Episcopus, eadem haec S. Congregatio Concilii, dum ad Episcopi Nucerini preces anno 1802. Examinatores Synodales approbavit id fecit ad annum tantum, nisi etiam prius Synodus fuisset celebrata, qua re ostendit suam voluntatem, ut quotannis Synodus Dioecesana habeatur.* - Sane Tridentina Synodus etsi frequentiorem Synodorum celebrationem pro reformatione morum desideraret, nihilominus amplexa moderationem Concilii Lateranensis tantum annuam harum Synodorum celebrationem injunxit. Et maxime dolendum si in aliquibus Dioecesibus Synodorum celebrationes raro fiant, neque iis congregationibus Synodalibus saltem suppleatur, in quibus Episcopi exactam suorum Dioecesium notitiam, praecipue eorum quae ad animarum curam pertinent assequuntur quaeque pro vitiis extirpandis et virtutibus plantandis idonea magis sunt, statuunt atque decernunt Suos autem Conventus, sequitur Nucerinas Antistes *potius quam Synodos esse appellandos, Cleri Congregationes cum uno tantum die vel biduo perdurent. Siquidem excepta I. de anno 1803. et II. 1814. quae per triduum sunt celebratae. III. unico*

 die,

die, duobus IV. ob celebritatem translationis Corporis S. Raynaldi. V. pariter unius diei spatio absolvetur ita ut Validenses Presbyteri, qui trium horarum itinere distant eadem et veniunt et redeunt die cum Conventus eo absolvatur tempore, ut commode proprios lares repetere queant; ideo nulla est paupertas quae unius diei expensas ferre non possit. Praeterea omnes Ecclesiastici qui Synodo III. in Seminario sunt Hospitati totum tempus Episcopi sumptibus transegerunt. Potest etiam diei cum S. Bernardo - Quando volunt possunt, quando nolunt non possunt.

De fructu autem hujusmodi Synodus Deus scit, et a Deo sperandus: est femen in terra positum, quod fructum suum dabit in tempore suo utinam in terra bona et optima ut fructum afferat in patientia.

Vestrum nunc erit Emi PP. abscissis inanibus abstractisque quaestionibus, ea quae recta, justa ac sancta sunt definire.

Dubia proponantur.

I. An Leges Latae in Synodo Dioecesana Capitulo non requisito, vel non approbante obligent in casu etc.

II. An et quomodo Episcopus possit prohibere Clericis, ne cohabitent cum foeminis in casu etc.

III. An Episcopo Liceat prohibere omnibus Clericis quasdam vestes extra Ecclesiam deferendas a piorum usu, et immemorabili Dioecesis consuetudine comprobatas, novasq. inducere etiam incommodas in casu etc.

IV. An Praesbyteri, et Clerici non beneficiati compelli possint per Episcopum ad Synodum consuetudine legitima haud extante in casu etc.

V. An Episcopus possit obligare omnes Clericos, ut certis loco, et tempore ab ipso definiendis spiritualibus Exercitiis vacent eorum quoque sumptu in casu etc.

VI. An Clerus Nucerinae Diaecesis singulis annis sit compellendus ad Synodum Diaecesanam

etiam

etiam non obstante plurimorum gravi paupertate in casu etc.

Ad I. Dubium Affirmative in casu pro Legibus latis in Synodis Nucerinis, de quibus agitur.

Ad II. Affirmative juxta canonum censuram.

Ad III. Affirmative arbitrio, et prudentia Episcopi, servata forma S. Concilii Tridentini, et Concilii Romani.

Ad IV. Affirmative ut in Balneoregien 15. Decembris 1629.

Ad V. Satis ptovisum per Concilium Tridentinum, et Concilium Romanum.

Ad VI. Affirmative.

NEAPOLITANA CAPELLANIAE.

Sess. 22. Cap. 6. de Reform.

An, et quomodo sit locus reductioni Missarum in casu etc.

Affirmative ad tot missas, quot reditus ad rationem Carolenorum duorum, et consulendum Sanctissimo pro absolutione quoad praeteritum, celebratis viginti Missis intra triennium.

BENEVENTANA IRREGULARITATIS.

Sess. 14. Cap. 7. de Reform.

An, et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate in casu etc.

Negative.

NARNIEN. DIVISIONIS.

Sess. 21. Cap. 2. de Reform.

An, et quomodo sit Locus divisioni Massa Communis in casu etc.

Negative.

SPOLETANA.

Sess. 25. Cap. 4. de Reform.

An sit locus reductioni Missarum in casu etc.

Dilata.

Sess. 25. Cap. 11. de Reform.

INTERAMNEN. EMPHYTEUSIS.

An, et pro quo canone nova concedenda sit emphyteusis in casu etc.

Affirmative ad tertiam generationem masculinam tantum Rosae Chiaranti pro annuo Canone scutorum decem libero et immuni cum solitis clausulis.

Sess. 22. Cap. 6. de Reform.

LUCANA. Laurentius Lenzi oppidi - *di Fiano* - Lucensis Dioecesis supremis, quibus decessit, tabulis anno 1630. peculiare fideicommissum instituit, ad quod Andream ex fratre nepotem, suosque liberos ita vocavit ut onus subirent, praeter annuam quatuor Missarum celebrationem, erogandi etiam quotannis quatuor tritici modios (quos dimidium nostri *Rubri* aequat) in panibus pauperibus una, alteraque statuta die suppeditandis. Haec omnia cavit testator sub caduci paena, devolutis scilicet bonis ad Ven. Sodalitatem Santissimae Trinitatis Lucae institutam, atque haec omnia adamussim a subtitutis haeredibus servata sunt prope ad praesentem diem. Imparem autem ad imposita onera substinenda se esse affirmat, qui nunc extat haeres Joannes Andreas Lenzi. Non solum enim gravi morbo, et egestate, quae et ipsa est morbus, misere laborat, sed spoliatus fere est fideicommissariis bonis, quibus pia onera sunt adnexa. Exceptis siquidem quibusdam praediolis, ex quibus scutata sex vix redeunt quotannis alienata caetera fuerunt ab auctoribus suis, quin ulla eadem vindicandi ratio supersit. Narrata haec omnia fuerunt huic S. Congregationi a Joanne, confirmata ab Archiepiscopo, atque uterque ex canonica aequitate onerum remissionem, vel diminutionem, implorant. Subjicienda sunt oculis EE. VV. quae notat Archiepiscopus quoad recuperationem bonorum - *Bona ab Oratoris antecessoribus alienata fuere. Fideicommissa ex tunc vigentibus legibus soluta sunt. Orator heres est eorum, qui bona fideicommissaria alienaverunt, ideoque meo quidem judicio difficillime utilis actio daretur.*

Il-

Illud vero praetereundum silentio non est, dum haec ab religiosissimo Antistite exquirebanur insurexisse alios Lenzios, qui supplici libello a nemine tamen subscripto, vel signato, falsitatis et fallaciae insimulant Joannem, fidei commissaria bona ab eo alienata fuisse ipsumque potius quam inopem, praepotentem, ac divitem in patria praedicant, ideoque Parochi testimonium, quodcumque ei libuerit, facile extorsisse. Haec tamen, quae nullo allato monumento occultus criminator effudit, refutat Episcopus, in haec verba - Absonum, ait omnino a veritate est Oratorem laute vivere, victus - enim ejusdem familiae quae fuit et est vulgo - *di farinata di fave, e di granturco*, - quamvis vi- ta ipsius, cum sanguine pluries evomuerit, ma- xime periclitetur, quam ob causam fidelium cha- ritate aliquando eleemosinas obtinuit. Falluntur - vero, et maxime falluntur descendentes praefati, - dum bona fideicommissi ab Oratore alienata fuis- se censent. Nam eodem inscio a suis majoribus - vendita fuisse constat in dubie . . . Orator tandem - ex testimonio Parochi, qui est omni exceptione - major, summaque prudentia, animarumque zelo - praeditus est christiane vivit simul cum filiis -. Ita Episcopus, qui multa de Oratoris religione ac optimis moribus testatus, ipsum gratia dignum putat, ut a tritici distributione obsolvatur reducto onere ad quatuor Missas quolibet anno celebrandas.

Vestrae sapientiae erit decernere, num potior sit pauperum causa, quibus panis debetur ex testatoris voluntate, an commutari haec debeat ejusdem consanguinei favore, qui et ipse pauperrimus est ac stipem emendicare cogitur. Canonica quidem ei favet aequitas, ex qua converti solent priorum operum reditus in pauperes alendos testatoris consanguineos, ut passim definivit S. Congregatio et praecipue *in Romana* 17. *Ianuarii* 1785. *et in Lucana ejusdem* diei et anni. Fortius autem in themate, in quo pium opus pauperes respicit, pauperumque subsidia. Profecto si testator viveret, haud fortasse pateretur, ut integrum maneret pauperum jus ad panem consequendum ab ejus consan-

sanguineis, ac interim hi fame perirent, ut in specie non absimili statuit S. Congregatio *in Urbinaten. seu Ariminen. 25. Januarii 1784. et in Faventina Commutationis voluntatis 4. Apr. 1789.*

Haec ex aequitate canonica. Ex jure vero Orator partialem onerum suspensionem sibi deberi autumat ex deficientia Fundorum, quae ut testatur Episcopus sine illius culpa distracta fuere, Deperditis siquidem fundis cessat haeredis onus pia legata solvendi ut firmavit S. Congregatio in *Viterbien. Reductionis 10. Maii 1783. et in Spoletana Commutationis voluntatis 21. Maii 1803.*

At enim Orator fatetur, se esse alienantium heredem, qui proinde ex suorum auctorum facto tenetur, licet fundorum alienationes nulla sua interveniente culpa patratae fuerint, ut *in Camerinen. Subsidii Dotalis 17. Junii 1761. add. II. Dub. et in Patavina Reductionis onerum 20. Februarii 1802.*

Fundi, qui adhuc supersunt, ex Peritorum judicio valorem constituunt scut. 117., ex quibus annuatim redeunt circiter scuta sex; Missae ex Fundatoris voluntate celebrandae quatuor tantum sunt in singulos annos. Facile hinc colligitur impleto onere missarum quinque circiter scuta superesse, quae pretium dimidii Rubri Frumenti Pauperibus distribuendi repraesentare valent. Sane ubi oneribus pares sunt reditus reductionem negavit S. haec Congregatio *in Osturren. Reductionis M.ssarum Decembris 1734. et in Lisbonen., seu Ulissiponen. Reductionis Missarum, et Absolutionis 13. Septembris 1800.*

Videant EE. PP. num juris rigorem temperare valeat Canonica aequitas, praesertim in casu, quo Sacrificiorum numerus pro Fundatoris anima integer servaretur, et aliqua tantum illius voluntatis commutatio fieret favore Consanguinei. Nec praetereundum est, Oratorem adjici non posse ad recuperenda bona a suis Authoribus alienata. Ab hac enim actione utiliter exercenda arcetur tum ob extremam illius inopiam, tum ob hereditariam qualitatem erga eos qui alienationibus causam dederunt.

Du-

Dubium proponitur

An sit consulendum SSmo pro commutatione voluntatis in casu etc.

Non proposita cum sequen.

SUESSANA IRREGULARITATIS - In Congregatione diei 13 Novembris praeteriti anni 1816. proposita haec Causa sub dubio - *An et quomodo sit consulendum SSmo super dispensatione ab irregularitate in casu etc.* - rescriptum est - *Negative*. Sexto nondum elapso mense nimirum die 8. Maii praeteriti anni, Vicarius Capitularis iteravit preces pro absolutione Sacerdotis Joannis Baptistae Messa, haec referens de illius emendatione - *Non avendo vedute esaudite il detto Sacerdote le sue suppliche date al S. Padre per la sua riabilitazione perchè forse la Sacra Congregazione del Concilio desiderava avere una maggior prova della sua costante emendazione, si risolvè di volontariamente rinchiudersi nel Monastero di stretta osservanza de' PP. Cappuccini, sito in questa Città, dove si ritrova da più mesi senza mai uscirne, essendosi perciò reso oggetto di ammirazione, e di edificazione non solo a quei Padri, che alla Popolazione intiera di questa Città per cui la di lui riabilitazione oggi non arrecherebbe sicuramente ad alcuno minimo scandalo, avendo il detto Sacerdote tutti edificati con quest' ultima volontaria penitenza, alla quale si è sottoposto, che non potrà proseguire senza perire dalla fame ancorchè viva di solo pane, come quei Padri mi assicurano perchè la tenue rendita del suo Sagro Patrimonio, essendo in porte assorbita dal peso fondiario, le manca assolutamente il sostentamento.* *Sess. 14. Cap. 7. de Reform.*

Attamen ex constanti S. hujus Congregationis praxi nova haec instantia dimissa fuit rescripto. *In Decretis sub die 14. Decembris praeter. anni.*

Post haec aliae ejusdem Vicarii Litterae diei 11. Augusti, iterumque aliae 11. Novembris supervenerunt, quibus de praedicti Sacerdotis emendatione ita restatur.

Niun'esito avendo finora veduto il detto Sacerdote Messa per la detta di lui riabilitazione lungi dallo stancarsi

carsi con una somma sofferenza ha seguitato, e seguita a permanere nella suddetta Casa Religiosa, con menare una vita meschinissima, a causa della di lui miseria, con ammirazione di ognuno, per cui mosso dalle continue di lui suppliche ho stimato umiliare all' EE.VV.RR. quest'altra mia devotissima, attestandole la costante emendazione del detto Sacerdote Messa, per cui la detta di lui riabilitazione all'esercizio Sacerdotale non sarebbe certamente più di scandalo a questa Popolazione la quale ne vive tutta edificata.

Exacto nunc jam anno, a die, qua Sacerdotis Messa preces rejectae fuerunt, iterum proponitur Causa, cujus seriem, ac rationum momenta habent EE. PP. in folio diei 23. Novembris 1816., quod reassumere dignentur, ut respondere possint.

Dubio

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc.

INDEX

RESOLUTIONUM

Quæ prodierunt in Causis in S. Congreg. Concilii anno 1817. propositis.

A

Absolutionem celebrationis Missarum *tercentum septendecim* annuarum, et ducatorum *Centum quinquaginta* erogandorum in pauperum eleemosynam partim ab anno 1763, et partim ab anno 1775 inadimpletorum, celebrata tamen infra octavam Defunctorum Missa cum cantu collective pro omnibus fundatoribus ad triennium S. Congregatio concessit Cæsari et Cajetano Palloni ob inopiam cum bona fide conjunctam. *In Marturanen. Reductionis, et Translationis* 1. *Martii ad* 2. *Dub.*

Celebrata una Missa cum cantu et cum interventu totius Capituli, ac *decem* Missis Lectis per singulos Canonicos collective pro omnibus Benefactoribus *Absolutionem* a quadraginta octo, et ultra Missarum millibus concessit S. Congregatio Canonicis Capituli, et Sacrario Metropolitanæ Ecclesiæ Augustæ Taurinorum ob integram, fere direptionem tum Canonicalium Præbendarum, tum redituum Sacrarii pro Ecclesiæ manutentione, quibus tum Capitulum, tum Sacrarium a Gallico Gubernio expoliata fuere, ita ut relicti, auctique in posterum reditus impares omnino fuerint ad Canonicorum substentationem, et Ecclesiæ manutentionem in *Taurinen. Absolutionis, Suspensionis, et Reductionis* 1. *Martii ad* 1. *Dub.*

Absolutionem inadimpletorum onerum concurrente impotentia, et bona fide concedendam esse autumavit Sac. Congregatio Patribus Servitis celebrata unica Missa cum cantu cum interventu totius Religiosæ Familiæ applicanda collective pro omnibus benefactoribus in *Civitatis Castelli* 17. *Maii ad II. Dub.*

Consulendum esse SSmo censuit pro *absolutione* Congregationis Consortii quoad plures Missas inadimpletas usque ab anno 1791, in quo manualem elemosynam auxit Episcopus, quin appareret quibus præditus facultatibus, id egerit. Attento vero hodierno redituum incremento totidem Missas ad manualem celebrandas esse voluit Sac. Congregatio ex reditibus superextantibus ex decennalibus rationibus in *Spoletana Reductionis* 12. *Julii ad I. Dub.*

Ac præterea attenta temporum acerbitate pro Capitulo Casalensi quoad fructus a Capitulo perceptos indistincte ex præbendis in Massam communem coacervatis, quoad reductionem Choralis servitii, aliarumque functionum, et quoad Reductionem Missarum, Anniversariorum, aliorumque onerum ex Legatis, quæ omnia peregerat Episcopus, ut morem gereret Laicæ tunc dominanti Potestati. Eidem tamen Capitulo præscripsit Sacra Congregatio, ut intra tres Menses celebraret tria Anniversaria cum cantu, et interventu totius Capituli, et Missas biscentum lectas ratatim per singulos Canonicos pro omnibus omissionibus collective in *Casalen.* 29. *Novembris ad II. Dub.*

Nec non pro Capitulo Collegiatæ Montis Auctonum attenta impotentia, et temporum acerbitate celebratis tamen Missis tercentum pro omnibus Fundatoribus collective in *Firmana Servitii Chori, et Reductionis Missarum* 20. *Septembris ad III. Dub.*

Rursus pro Sacerdote Antonio Izzo, qui

D

scopi *Divisionem* Massæ Capitularis in totidem præbendas excepta tertia parte bonorum arbitrio Episcopi assignanda pro Massa *distributionum* ad formam Concilii Tridentini concessit Sac. Congregatio Canonicis Collegiatæ Ecclesiæ Oppidi S. Joannis Verulanæ Diœcesis, qui ex Bulla erectionis Capitularem Massam communiter administratam habebant, cujus fructus in singulos annuatim dispertiebantur in *Verulana Divisionis Massæ Capitularis* 29. *Martii*.

Onus impositum a S. M. Xisto V, ultimo Canonico Cathedralis Septempedanæ subministrandi Canonico Theologo congruæ titulo annuum reditum octo Salmarum Tritici, et decem Vini postulanti Canonico Paladini, ut in singulas Canonicales primæ Erectionis Præbendas, in Archipresbyteralem vero pro duplici præstatione ad respectivas eorum vacationes *divideretur*, hanc *divisionem* tum quia omnes de eadem Massa participabant, et in id consentiebant (excepto Pœnitentiario, ne Coadjutorem læderet) tum quia ultimi Canonici præbenda impar erat ad hoc onus ferendum, concessit Sac. Congregatio salvo tamen jure quæsito a Coadjutore dicti Canonici Pœnitentiarii quoad immunitatem ab hoc onere ut proposuit Episcopus, in *S. Severini Divisionis oneris* 30. *Augusti*.

Vacantis Capellaniæ redituum, ac onerum a Petro Giustini fundatæ Antonius, et Joannes Baptista ex eadem familia Giustini a fundatore passive vocati, pari studio ad Subdiaconatum promotionem cupientes, sed pari inopia laborantes efflagitarunt una cum Genitoribus Patronis activis *divisionem*, quam pro æquali rata concessit S. Congregatio per Breve, ita tamen ut in casu obitus alterutrius reverteretur favore Superstitis, et unica in posterum evaderet Capellania ad formam fundationis, *in Tyburtina Capellaniæ* 26. *Aprilis*.

E

Dominico Bartolini postulanti ante novam *ædificationem* Metropolitanæ *Ecclesiæ* Camerinensis Summam Scutor. 488. 60. a se subministratam ob prosecutionem Fabricæ Ædium Parochialium, et Ecclesiæ *di Frontillo* in Agro Camerinensi positæ, et a terræmotu concussæ respondit Sacra Congregatio provisum jam esse a Rescripto SSmi per Cl. Mem. Card. Carandini dato *die* 12. *Januarii* 1808. sequentis tenoris „ SSmus „ mandavit taxam impositam in agro „ Camerinensi pro Fabrica Ecclesiæ „ Cathedralis hac expleta erogandam „ esse præ cæteris favore Parochialis „ Ecclesiæ Frontilli ad effectum rein- „ tegrandi Dominicum Bartolini Sub- „ ventorem sumptuum ad eam explen- „ dam Fabricam concurrentium „ *in Camerinen Ædificationis Ecclesiæ* 25. *Januarii*.

Monasterio S. Cæciliæ non licere declaravit S. Congregatio Canonem caducorum sex cum dimidio Mensium, et Laudemium recipere ab Hebræis possessoribus Vineæ *Emphyteuticæ* extra Portam Nomentanam Urbis positæ, quam ipsi a Comite Bolognetti emerant, ne suo facto Monasterium probare possessionem, et dominium rei stabilis recognoscere videretur Hebræis saltem in tota Ecclesiastica ditione interdictum *in Romana Emphyteusis* 26. *Aprilis*.

Francisco Patriossi, qui ex causa *Sextæ, et Vigesimæ* annuum Canonem Scutorum *Nonaginta* ad Scuta *Centum triginta* auxerat, quavis reductione ob qualemcumque eventum seclusa, reductionem ejusdem Canonis denegavit S. Congregatio *in Firmana Emphyteusis* 17. *Maij*.

Novam *Emphyteusim* nonnullorum Bonorum annui reditus Scutorum 22. 50. ad Narniense Brephotrophium spectantium ad tertiam generationem tantum Masculinam S. Congregatio concessit pro annuo Canone Scutorum decem libero, et immuni cum solitis Clausulis Rosæ Chiaranti cujus Patri, et Patruis jam concessa fuerant ad tertiam generationem Masculinam pro annuo Canone Scuti Unius eo, quod illa sibi vindicare vellent, utpote fideicommisso obstricta. Cum autem sine Masculis decesserint, et hujusmodi transactio inveniri non potuerit ad removendum periculum vel Rosæ, vel filiorum ejus petitionis restitutionis in integrum, ideo novam eam *Emphyteusim* consentiente Brephotrophio concedendam esse existimavit *in Interamnen Emphyteusis* 29. *Novembris*, *et* 20. *Decembris*.

Posse *Episcopum* Clericis prohibere ne

tis, licet per responsum Episcopi aliis hujusmodi concessionis in eadem Ecclesia exemplis, et ægra Oratoris valetudine, a qua cogitur abesse a Chori servitio diebus festis obtentæ dignitati adnexo, ac proinde nullum damnum proveniret Ecclesiæ, nec cæteris Dignitatibus, quibus, si omnes absint, supplere tenentur Canonici ex probata consuetudine, consulendum attentis his peculiaribus circumstantiis SSmo esse duxit pro petita gratia exclusis tamen functionibus, si quæ sunt peculiariter Archidiaconatui adnexis *in Recanaten Jubilationis* 29. *Novembris*.

Jubilationis Indultum denegavit S. Congregatio Petro Aloysio Trovarelli, quia in duabus diversis Diœcesibus servitium quadragenarium Chorale (licet continuo, et assidue) præstiterat, Romæ nimirum in Basilica Lyberiana per annos *Viginti quatuor*, et in Cathedrali Ecclesia Reatina per annos *sexdecim* in *Reatina Jubilationis* 17. *Maii*.

Incompatibilitas, Vide *Capellania*.

Consulendum esse SSmo pro dispensatione ab *Irregularitate* censuit S. Congregatio favore Sacerdotis Nigro, qui explosione igneæ balistæ ad repellendos Latrones injustos aggressores occidit innocentem Oppidanum ab iis deprehensum; pœnitentiam tamen injunxit Exercitiorum Spiritualium per decem dies in loco a Vicario Capitulari designando in *Brundusina Irregularitatis* 14 *Junii*.

Dispensationem ab *Irregularitate* contracta ex homicidio voluntario *saltem in effectu*, Sacerdoti Vincentio Lanna ob bonos mores crimen præcedentes ac subsequentes, cujus rehabilitatio nec populo scandalo erat, nec a parte læsa contradicebatur, concessit S. Congregatio peractis Exercitiis Spiritualibus pro tempore ac loco arbitrio Episcopi designandis *in Reatina Irregularitatis* 3. *Februarii*.

Dispensationem ab *Irregularitate* a Presbytero Leonardo Bianco contracta ob promotionem ad Sacros Ordines, et eorumdem exercitium, dum pluribus erat innodatus censuris eadem S. Congregatio denegavit una cum rehabilitatione ad Sacros Ordines in *Lycen Irregularitatis* 26. *Aprilis*.

Dispensationem ab *Irregularitate* denegavit S. Congregatio Sacerdoti Vincentio Zolli, qui dum erat Æconomus Curatus Pagi *Maccabei* in fuga captus, et damnatus fuit ad septennium detentionis in ultima Sententia ob suspectum complicitatis in occisione Francisci Santangelo procedentem ex prava consuetudine, quam cum hujus Uxore habebat, quique suspectus auctus est fuga ejusdem Sacerdotis dum captionis Sententia exivit, et ex retentione domi vetiti mucronis vulgo *bajonetta* in *Beneventana Irregularitatis* 20. *Decembris*.

L

Fratribus Patruelibus Theresiæ Smeraldi applicationem saltem alicujus partis *Legati* Scutorum Mille in Missarum celebrationem erogandorum ab 'ea relicti, ob inopiam petentibus denegavit S. Congregatio *in Callien Applicationis Legati* 26. *Aprilis*.

Receptio *Laudemii*. Vide *Emphyteusis*.

M

Cum nulla spes superesset exasperatos animos Conjugum Eleonoræ Marchionissæ Galletti, et Gasparis Aprile Primogeniti familiæ Cartajegironensis ex Baronibus Cimiæ conciliandi, et ambo dispensationem super *Matrimonio* rato, et non consummato petiissent; interea tamen servatus fuerit in actibus processi *ritus Regni*, non vero *Benedictina Constitutio*, neque debitis modis facta fuerit Corporis Mulieris Inspectio, Sacra Congregatio respondit -
„ Dilata, et ad D. Secretarium pro
„ examine Eleonoræ Galletti, aliorum-
„ que Testium si qui sunt in Urbe ci-
„ tato Defensore Matrimonii, et scri-
„ batur Emo Archiepiscopo ad men-
„ tem „ in *Panormitana Matrimonii* 25. *Januarii*.

Cumque opposita vitia *formæ*, *et substantiæ Matrimonii* talia non essent, ut ejusdem validitatem tollerent, non constare hinc de Nullitate Matrimonii inter Cassandram Luci, et Vincentium Venturini sub ementito nomine Vincentii Benlloch initi declaravit S. Congregatio in *Romana Nullitatis Matrimonii* 9. *Augusti*.

Ob dubium respectivæ impotentiæ Conjugum Comitissæ Liviæ Colombani, et

Antonii ex Comitibus Albicini, antequam vel definiret constare de Nullitate Matrimonii, vel consulendum esse SSmo censeret pro dispensatione super Matrimonio rato, et non consummato, triennali experimento locum esse declaravit S. Congregatio *in Forolivien Nullitatis Matrimonii* 20. *Septembris ad I. et II. Dub.*

N

Nominationem ad Capellaniam Laicalem Clerici Bernardini Jezzi in statu Clericali contra legem fundationis adhuc permanentis (cum trigesimum septimum ætatis annum jam numeraret, nec ad Sacros Ordines ob sufficientis scientiæ defectum ascendere quiret) non esse servandam censuit S. Congregatio, et Parochum Ecclesiæ Cathedralis Ripanæ cui jus competit *nominandi* procedere posse statuit ad novam *nominationem* Clerici pauperis ad Sacros Ordines ascendere cupientis in *Ripana Nominationis* 1. *Martii*.

O

Capitulo Casalensi denegavit S. Congregatio, ut per *optionem* pro hac vice acquireretur a Canonicis Dignitas Primicerii a Sede Apostolica conferenda; cum nulla hujus rei concedendæ adesset rationabilis causa, et ne a novitate inciperetur judicium, dum idem Capitulum postulabat, ut leges Capitulares ab Episcopo eversas, ut laicæ potestati tunc dominanti morem gereret, ad pristinum statnm reducerentur in *Casalen* 29. *Novembris ad XI. Dub.*

Eos vero *optare* posse juxta veteres Constitutiones Capitulares ad Dignitatem Archipresbyteri, quam idem Episcopus Vice Parocho amovibili Novarese sua abutens auctoritate contulerat, declaravit, postquam in præcedenti dubio sanxerat ab eodem Novarese eam dignitatem retineri non posse. *Ibid. ad Dub. XIII. et XIV.*

P

Cogendum esse voluit S. Congregatio ad residentiam Archipresbyterum Gambetti in vera *Parochiali* Ecclesia S. Petri in Cultu prope Mercatini Oppidum ab Archipresbyteris a pluribus annis translatam ad Ecclesiam S. Antonii Oppidi Talamelli absque Apostolica auctoritate, a qua Litteræ collationis *Parœciæ* semper expeditæ sunt pro dicta Ecclesia S. Petri in Cultu, in *Feretrana Residentiæ, et Dismembrationis* 30. *Augusti ad I. Dub.*

Ac proinde locum non esse dismembrationi *Parœciæ* utriusque Oppidi, et ad modum constituendæ congruæ novo Parocho, cujus saltem deputationem postulabant Mercatinenses in Ecclesia S. Petri, declaravit. *Ibid. ad II., et III. Dub.*

Cum nec viæ difficultas adesset, nec spiritualia subsidia deessent quibusdam familiis sub nomine populi *di Pavonara*, ac præsertim ægrotis, denegavit eadem S. Congregatio petitam ab ipsis dismembrationem *a Parœcia di Boara* tria millia passuum distanti, et additionem alteri *di Francolino* propiori; Archiepiscopo autem curam commisit reædificationis Pontis supra rivum *di Castel Bianco* fracti ex culpa ejusdem Populi *di Pavonara*, per quem vicinior fiebat Parœcia *di Boara*, quam *di Francolino*. *In Ferrarien Dismembrationis* 25. *Januarii*.

Cum Villa Collis a *Parœcia* Alabris per plura millia passuum distaret, adesset præterea itineris asperitas, difficultas cum magno incomodo accedendi ad Parœciam, et Sacramenta recipiendi dismembrationi locum esse censuit S. Congregatio juxta Votum Episcopi, contradicentibus Archipresbytero, Canonicisque Alabris, et Canonicatuum Patronis; reservato autem aliquo honoris signo favore Matricis arbitrio Episcopi, erigendam esse novam Parœciam in Ecclesia S. Mariæ Magdalenæ Collis, non vero deputandum esse Capellanum Curatum prout volebant, qui dismembrationi renuebant in *Reatina Dismembrationis* 20. *Septembris ad I. Dub.*

Providendum autem esse congruæ novi *Parochi* per unionem Capellaniæ Laurenti, et assignatione Decimarum fa-

cta tamen prius per Populum Collis obligatione, in forma juris valida de solvendis Decimis in perpetuum, et constituto fundo pro manutentione Lampadis. *Ibid. ad II Dub.*

Iisdemque de Causis, et ad tollendas rixas inter Populum Oppidi *Marola* et *Cà di Mare* dismembrationi, et erectioni novæ Paræciæ locum esse censuit in Ecclesia *Cà di Mare*, cujus novo Paroco annua Scuta Quinquaginta subministrari jussit S. Congregatio a Parocho Matricis, a Municipio vero *Cà di Mare* quod ad congruam deest, *in Lunen Sarzanen 12. Julii*.

In Septempedana Civitate præter Cathedralem, cujus adnexæ animarum curæ se implicite subjicere tum Joseph Egidj Sacerdos Congregationis Oratorii S. Philippi Nerii, tum Laicus Fr. Thomas Porri ejusdem Congregationis, cum alia sit *Paræcia* S. Laurentii *gentilitia*, hoc est nullum proprium habens territorium sed certas complectens Familias, huicque postea se subjectos esse velle declaravissent, reclamanti Parocho Cathedralis Sacra Congregatio respondit, ipsi sicut antea subjectos esse debere *in S. Severini 8. Februarii ad I. Dub.*

Proposito a Parocho S. Cassiani nomine etiam aliorum Parochorum Archidiœcesis Pisanæ dubio „ An *Parochi*, in quorum Ecclesiis tempore Adventus, et „ Quadragesimæ habentur S. Conciones per Præcones ab Ordinario approbatos teneantur in diebus festis „ in Missa Parochiali explicare Evangelium „ Sacra Congregatio respondit *Dilata, et pro nunc servetur consuetudo cujuslibet Paræciæ*. Cum vero illico Pisanus Archiepiscopus exposuisset, se, ut Populi præsertim rudis ignorantiæ consuleret, Parochos ad familiares conciones inter Missarum solemnia omnibus diebus festis obligavisse, Sacra Congregatio respondit in præsenti casu servandum esse hoc Archiepiscopi decretum, quo populi spirituali saluti prospiciebatur *in Pisana 29. Martii, et 30. Augusti*.

Patribus Servitis in Conventu Guastallæ degentibus in habitu Presbyterorum Sæcularium (quia ejecti, ac suppressi fuerant a laica potestate) licere declaravit S. Congregatio extra claustra peragere *Processionem* in tertia Dominica Septembris cum Simulacro Beatæ Mariæ Virginis Septem Dolorum irrequisito Parocho, et de licentia Ordinarii tantum, sicut ex antiquissima observantia peractum fuerit *in Nullius Guastallæ 1. Martii ad I. Dub.*

Nec competere Parocho jus eamdem Processionem peragendi definivit *ibid. in II. Dub.*

In *Præsentatione* vacantis Canonicatus cum Capitulum Collegiatæ Terræ A. y. ri se vere impeditum temporum calamitate fuisse rursus ostenderit contra Canonicum Tosti, qui deseruerat appellationem contra decisionem Sacræ Congregationis diei 17. Februarii 1816. eadem Sacra Congregatio non esse servandam collationem Beneficii jure devolutionis factam ab Episcopo eidem Tosti, ac propterea iterum recedendo a Decisis *die 2. Decembris* 1815. standum esse in Decisis *sub die* 17. *Februarii* 1816. censuit *in Camerinen. Canonicatus 25. Januarii*.

Servandam non esse institutionem ab Episcopo factam expeditis litteris Presbyteri Giovannetti, qui conventione inita cum Sacerdote Aloysio Gratiosi (cui æque ac sibi passivum jus competebat) seipsum ad vacantem Cpellaniam nominavit. Reintegrandum esse autem dejectum ab eadem Capellania Clericum Ludovicum Balzani (ad ad quem etiam passivum juspatronatus competebat) sed præterea legittime a Patronis *præsentatum* decrevit Sacra Congregatio *in Ariminen Capellaniæ 20. Septembris ad I. Dub.* confirmavitque contra eumdem Giovannetti in Congregatione *diei 20. Decembris*.

R

Francisco Galeotti *Reductionem* ad tot Missas, quot reditus Beneficii pro tempore, et ad rationem trium Carolenorum pro qualibet Missa ad normam fundationis concedendam esse duxit Sacra Congregatio. Episcopo vero curam commisit, ut Patrem Francisci moneret, ut consuleret conscientiæ suæ, eumdemque cogeret ad reintegrationem capitis ducatorum centum undecim, quæ alienaverat; quatenus vero impotens esset cogeret Franciscum prædictum ejus Filium ad deponendam aliquam summam arbitrio ejusdem Epis-

rusticus Scut. 240.) denegavit Sacra Congregatio licet inopia laborantibus, eo quod fundus deperditus non esset, sed dumtaxat cum aliis confusus *in Lucana Reductionis 17. Maii ad I. Dub.*

Et absolutionem ab inadimplemento Legati per sexennium concessit solutis Scutis Decem favore Oratorii S. Sebastiani. *Ibid. ad II. Dub.*

Reductio Canonis Emphyteutici. Vide *Emphyteusis*.

Reductio Servitii Choralis. Vide *Servitium Chori*.

Consulendum esse SSmo censuit Sacra Congregatio pro *rehabilitatione* ad Ordinem tantum, non autem etiam ad Paræciam post pluries rejectam instantiam Marii Mannucci Parochi Castri Ploraci, qui, ut moram gereret *Inspectori Politiæ*, ægrotum (cujus antea ConfessionemSacramentalem exceperat) in Xenodochio interrogavit quoad Patriam, nomen etc. sciens duos latere Testes ab Inspectore positos, ut eidem referre possent, quæ confidenter Sacerdoti infirmus dixisset, cumque hi nomen, patriam infirmi, ac præterea rem cum Satellitibus *Giandarmi* habuisse retulerint, et ob alia præsertim Crimina fuerit postea damnatus capite, suspensus Orator ab Ordine, et Officio a Sacra Congregatione fuerat *in Cameriuen. Dispensationis, et Rehabilitationis 1. Martii.*

Esse *reintegrandum* ad Præbendam, Dignitatem, et functiones muneris Pœnitentiarii Canonicum Luparia, qui ab illo suscepto per concursum, et Bullis Apostolicis confirmato dejectus fuerat ab Episcopo Casalensi nulla juxta causa, jussit Sacra Congregatio. Denegavit autem eidem Luparia *Reintegrationem* ad solum nomen Pœnitentiarii, non autem ad functiones ab eodem nulla causa adducta petitam *in Casalen 29. Novembris ad V. Dub.*

Rescriptum, Vide *Derogatio* Rescripti.

Residentia Parochi, Vide *Paræcia, Parochus.*

Restituendos esse a die motæ litis fructus Capellaniæ Vangelisti Clerico Ludovico Balzani, qui legittime ad eam fuerat nominatus a Patronis, et a Presbytero Giovannetti injuste dejectus, eo quod jam antea seipsum præsentavisset, statuit Sacra Congregatio *in Ariminen. Capellaniæ 10. Septembris ad II. Dub.* confirmavitque contra eumdem Giovannetti *die 29. Novembris.*

S

Consulendum esse SSmo censuit Sacra Congregatio pro *Sanatione* quoad fructus a Capitulo Casalensi perceptos indistincte ex Præbendis in Massam communem coacervatis ab Episcopo Villaret, ut morem gereret laicæ potestati tunc dominanti, *in Casalen. 29. Novembris ad VI. Dub.*

Sanationem præterea concedendam esse Canonico Francisco Salina quoad multa, quæ ei viro cæteroquin dignissimo objiciebantur a Capitulo. *ibidem ad I. Dubium.*

Sanationem concedendam esse existimavit Sac. Congregatio Capitulo Mathelicensi, quod sine Apostolico Beneplacito Fundum a privato emit ex quibusdam pecuniis Capitularibus, et præsertim quadam summa scutorum 29. 73. 1. retracta ex venditione Chirographi *Rescriptionis* ab usurpatore Gallico Gubernio traditi in extinctionem Census cum Communitate; dispensatione vero a Censuris opus non esse declaravit, cum venditum Rescriptionis Chirographum ad illud genus pecuniarum reducatur, quæ alienari possunt sine solemnitatibus in *Mathelicen. Sanationis 1. Martii.*

Servitii Chori reductionem ad mediam a Capitulo Cathedralis Cinguli ob aeris intemperiem petitam denegavit Sacra Congregatio ob maximum discrimen, in quod vocabatur ob peculiares circumstantias Chorale *servitium in Cingulana Servitii Chori 29. Novembris ad II. Dubium.*

In exequutionem Rescripti Sacræ Congregationis *diei 16. Martii anni* 1816. cogendos esse Canonicos Collegiatæ S. Mariæ in Burgo Civitellæ ad *Servitium* Chori omissum a pluribus annis licet bonis Massæ Capitularis a Gubernio tunc temporis alienatis, pensione tamen fere æquali fruentes; nec non compellendos esse ad applicationem Conventualis, et aliarum Missarum ex legatis ad normam erectionis Collegiatæ respondit, et ad mentem: scilicet, ut Episcopus durante necessitate ob diminutum numerum Canonicorum indulgeret Missas cum cantu celebrari sine adsistentia Diaconi, et Subdiaconi, et cogeret juris, et facti remediis ad nominationem vacantium Canonicatuum

T

V

FINIS.

INDEX

CONCLUSIONUM

Quæ adnotatæ sunt in Foliis Causarum anni 1817.

BENEPLACITUM APOSTOLICUM

C A D U C I T A S

C A N O N I C U S

CANONICALIS PRÆBENDA

C A P E L L A N I A

C A P I T U L U M

C O N C I O

C O N G R U A

DISTRIBUTIONES CHORALES

D O S

E M P H Y T E U S I S

E P I S C O P U S

FALSARII

HEBDOMADARII

HEBRÆI

INFIRMUS

INDULTUM ABSENTIÆ

INFAMIA, ET INFAMES

IRREGULARITAS

JUBILATIO

JUDÆI

JUSPATRONATUS.

JUS TUMULANDI.

LEGATUM PIUM.

LEX.

REGULÆ JURIS

REHABILITATIO

RENUNCIATIO

RESIDENTIA

RESTITUTIO

SEMINARIUM

U N I O

FINIS.

THESAURUS RESOLUTIONUM SAC. CONGREGATIONIS CONCILII

Quæ consentaneè ad Tridentinorum PP. Decreta
aliasque Canonici Juris Sanctiones

MUNUS
SECRETARII EJUSDEM SAC. CONGREG.
OBEUNTE
R.P.D. JO. FRANCISCO FALZACAPPA

Prodierunt in Causis sub anno 1818.

PROPOSITIS

Episcopis, eorumque Vicariis, Causarum Patronis,
ac aliis in Ecclesiastico Foro versantibus
apprimè utilis, ac necessarius.

TOMUS LXXVIII.

TRIPLICI
INDICE LOCUPLETATUS.



ROMÆ MDCCCXIX.

Typis Vincentii Poggioli Rev. Cam. Apost. Typographi

INDEX
ALPHABETICUS CAUSARUM

Quæ in Sac. Congregatione Concilii propositæ fuerunt anno 1818. per Diœceses dispositus.

A

B

C

F

I

L

M

N

FINIS.

Die Sabathi 21. Februarii 1818. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua præter alia proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

LUCANA

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

An sit consulendum Sanctissimo pro commutatione voluntatis in casu etc.

Affirmative dro suspensione tantum ad decennium Legati distributionis panis, firmo remanente onere Misserum ad formam fundationis.

SUESSANA IRREGULARITATIS.

Sess. 14. cap. 7. de Reform.

An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu etc.

Negative ad primam partem, affirmative ad Secundam, peractis Exercitiis Spiritualibus in Domo Religiosa pro tempore arbitrio Vicarii Capitularis.

Sess. 23. cap. 5. de Reform.

AVERSANA SUBDIACONATUS. Nullitatem Sacri Subdiaconatus Ordinis, vel saltem Apostolicam dispensationem a Continentiae Voto, aliisque oneribus dicto Ordini adnexis postulat Nicolaus Santagata ex Oppido Lusciani Aversanae Dioecesis, postquam exeunte anno 1797. solemni ritu promotus fuit. Non primum quam mense Julio anni 1814., scilicet elapsis jam septem supra decem annis a recepta Ordinatione nullitatis querelam Summo Pontifici detulit. Causam tam diuturni silentii incusavit reverentiam erga Patrem, qui eodem anno 1714., e vivis excessit, quique, ut ipse affirmabat, vi, metuque licet reluctantem, nolentemque ad Sacrum Ordinem recipiendum coegerat, ne Pium legatum a Patruo relictum sub poena caducitatis, si Ecclesiasticam non ingrederetur, vel ingressam desereret viam, ammiteret.

Ut moris est Preces remissae fuerunt Vicario Capitulari Aversano, ut non obstante lapsu Quinquennii Processum conficeret, auditis omnibus interesse habentibus, et servata in omnibus forma Constitutionis S. M. Benedicti XIV. *Si datam*, hanc S. Congregationem instructam redderet. Mandatis obsecundavit Vicarius. Plures formiter rogati sunt Testes vel a reclamante Subdiacono, vel a S.Ordinis Defensore in id electo, inducti, absolutoque Processu scriptis propositam tuetur actionem Nicolaus Santagata,et Causa definienda proponitur cum Animadversionibus Defensoris ex Officio sub duplici Dubiorum formula, quorum altera *Nullitatem*, altera ex S. Pontificis venia *dispensationem* complectitur. Quae hinc, et inde in medium afferuntur paucis perstringam.

Haud solliciti sunt Nicolai Santagata Defensores quaestionem instituere de vi, et coactione, quam dicunt *directam*, et *absolutam*, a qua impeditur quaevis Sacri Caracthteris impressio; satis ipsis videtur praesidium postulare a Coactione *Causativa*, et *Conditionali*, quae oritur ex vi, metuque incusso, quaeque dum Caractheris impressionem non impedit, removet tamen consensum a perpetuae castitatis voto. Nam licet juxta SS. Tridentini Concilii Sanctionem nequeat dubitari, Subdiaconum teneri ad perpetuam

petuam servandam Castitatem, tamen cum illius votum non *explicitum*, sed *implicitum* sit, nec Sacro Subdiaconatus Ordini intrinsecus, et necessario vel naturali, vel Divino Praecepto adnexum, sed tantum accidentaliter ex lege Ecclesiastica conjunctum, vis ac metus cadens in constantem Virum, ex quibus liberum aufertur in patiente libertatis exercitium, omnem prorsus removet consensum ab actu, ita ut ita ordinatus sit vere Subdiaconus, quin tamen cogatur perpetuam servare Castitatem. Porro haec vis in corpore per famem, cruciatus, verbera, aliaque similia, vel metus in animo per gravis alicujus mali comminationem, satis est, ut talis sit, qui si non penitus adimat libertatem, eam tamen ita impellat, ut cogat ad eum assensum, qui aliter sponte non daretur. Utrum autem talis revera sit metus, qualem dicunt vel etiam constantem virum labefactare, putant Defensores Subdiaconi definiendum esse arbitrio Judicis, cum nihil certi sive in Civilibus legibus, sive in Ecclesiasticis Canonibus sit statutum. Quod sane arbitrium ex qualitate personarum, vel ex peculiaribus circumstantiis, vel etiam (si agatur de metu illato in animum) ex levioribus probationibus constitui potest. *Rota in Decis.* 561. *part.* 1. *Divers. Barbos. Vot.* 37. *num.* 14. *et seq. et vot.* 77. *num.* 31. *et seq.*

E contra Defensor ex officio negat, Votum Continentiae scindi, ac separari posse ab ipso Ordine, cui est adnexum; vultque imprimi Caractherem in Ordinato ita, ut haberi debeat pro vero Subdiacono; quin illi suffragetur incussio metus ad eludendum impliciti voti Ligamen. Accessorium enim naturam sequi debet principalis; si ergo non obstante metu consistit Ordo, consistere etiam debet votum Continentiae. Aut igitur res est de coactione *directa*, *et absoluta* quae certe removet consensum ab actu, et tunc nec imprimitur Animae Caracther, nec voti vinculo constringitur ordinatus, aut res est de coactione *conditionali*, et *causativa*, et tunc cum non deficiat voluntas, (quia etiamsi coacta voluntas est) valida est ordinis collatio, et ordina-

tus ad servandam continentiam adigi debet. *Reiffestues. in lib. 4. decret. tit. 6. n. 11. Sanches de Matrimon. lib. 7. disput. 29. n. 4.* S. Congregatio *in Arelaten. dispensationis 17. Februarii 1731.*

Post haec fuso calamo in jure discussa transeunt Nicolai Defensores ad *facti* questionem, totique sunt, ut adstruant talem a Patre illatam fuisse vim in corpore, talem incussum metum in animo, ut vere coactus fuerit ad susceptionem Sacri Ordinis, licet perpetuo, et constanter repugnante illius voluntate; unde colligunt irritam fuisse ordinationem, nullumque intercessisse Continentiae Votum. Afferunt Testes ut probent Nicolaum semper abhorruisse a Voto Castitatis, idque expresse declarasse tum ante, tum post Sacram Ordinationem, quin imo properante Sacrae ceremoniae Actu, Patrem fuisse natura ferocem, ad vim filio inferendam incensum ob nimiam lucri cupiditatem, ne Filius Patrui legato privaretur; minas, objurgationes, verbera, ejectionem e propria Domo, ac etiam mortis comminationem adhibuisse, ut invitum cogeret; ex quibus omnibus metus ille intercessit, qui cadit in constantem virum, quique irritare satis est tum Sacram Ordinationem, tum illi adnexum Votum Continentiae.

At contra has Testium depositiones plurima animadvertit Defensor Ordinis sive ab *extrinseco*, sive in *intrinseco*. Repellendos primum contendit a limine Judicii omnes illos Testes, quia a Nicolao coram Regio Notario inducti sunt, quin unquam formali examini cum assistentia Defensoris S. Ordinis subjecti fuerint. Porro ex Costitutione Benedictina - *Dei Miseratione - nulla, irrita, et Cassa* declarantur quaecumque acta, gestaque sunt non citato Matrimonii Defensore; idque sub eadem nullitatis poena laudatus Pontifex servari mandavit in Causis Nullitatis Professionum in altera Constitutione - *Si datam* - quam S. Congregatio in omnibus servari mandavit in praesentis Causae confectione Processus. Explosis hisce extrajudicialibus Testibus, quorum nonnulli post Judicialium Testium publicationem deposuerunt, animadvertit, quod *Tres* tantum *Testes* ex *Septem* ab Actore inductis de coa-

tio-

ctione loquuntur, caeteri vero aut coactioni refragantur, aut illam ignorasse fatentur. Sed insuper accedunt *Decem* alii Testes omnes judicialiter examinati, qui referunt Subdiaconi Patrem fuisse - *un uomo da bene, e pacifico* - Nicolaum e contra non laudabilis vitae specimen dedisse, omnemque vim, coactionem, ac metum excludunt, imo concorditer deponunt Nicolaum voluntarie induisse Vestes Clericales, et pluries postulasse promotionem ad Subdiaconatum, interpositis etiam amicorum officiis. Hi Testes numero plures inter quos alii sunt Sacerdotali dignitate fulgentes, alii sunt sanguine conjuncti, et de rebus intra propriam Domum actis plene informati, praeferendi videntur numero paucioribus ab Actore inductis. *leg. Julia ff. de Test.* Rota *coram Ratto decis.* 39. *num.* 7. *coram Rovarella decis.* 34. *num.* 11.

Quod vero ex posterioribus Nicolai factis induci nequeat illius ratihabitio contendunt ejus Defensores, quia quod ab initio nullum est nequit per ratihabitionem convalescere. *Text. in Cap. Non firmatur. de regul. Juris in* 6. *Rota in decis.* 461. *num.* 19. *coram Loxas*. Hinc ajunt nihil faciendum esse, quod Nicolaus aliquando in Ordine Subdiaconatus ministraverit; vel quod una, alteraque vice officia interposuerit pro ascensu ad Diaconatum, vel quod decem, et septem annorum spatio siluerit; Ut enim inde talis oriretur ratihabitio, quae sanaret nullitatem suscepti Ordinis, ac Voti, necessaria fuisset certa, et individua nullitatis scientia tam in facto, quam in jure; utque actus tales essent, qui necessario inducerent hanc ratihabitionem, nec possent ad aliam Causam referri. *Ursaga Tom.* 4. *disput.* 1. §. 4. *num.* v4. *et* §. 6. *num.* 90. et Rota *Coram Roxaj decis.* 491. *n.* 16. Sciebat quidem Nicolaus contra voluntatem ad altare se accessisse, quasi raptus ab incusso metu, unde saltem Votum Continentiae nunquam ex libero arbitrio nuncupasse certus erat; at ignorabat, hanc nullitatem posse per susceptionem Sacri habitus, vel ex postulationibus pro ascensu ad Diaconatum, vel ex lapsu temporis sanari. Quin alia prorsus diversa ratihabitione causa praesto erat, quae illum urgebat

bat ad haec praestanda officia, servandumque silentium, scilicet metus reverentialis erga Patrem, qui in humanis fuit usque ad exitum anni 1814.

At vero debilem nimium, imo et falsam excusationem pretexere sustinet Defensor Ordinis. Non enim contraria ab initio voluntas, et usque ad propositam actionem perseverans Nicolaum movit post obitum Patris ad hoc instituendum judicium; sed mutatio consilii postquam pluries rejectus fuerat ab ulteriori ascensu ad S. Ordines, ac profani, illicitique amoris estus in causa fuere, ut quam nunquam excogitaverat post decem et septem annos ex templo coactionis querelam tentaret. Quod si allatae Testium depositiones excludunt, Patrem vi, metuque coegisse Nicolaum ad suscipiendum ordinem Subdiaconatus eo vel magis tot ratihabitionis facta illius liberum consensum evincunt, cum nulla prorsus detur probatio coactionis vel quoad exercitium muneris vel quoad repetitas postulationes pro ascensu ad Diaconatum. Caeterum eos etiam qui gravi metu incusso ordinati sunt, si postea libere actum Ordinis proprium exercuerint, ratam habuisse suam Ordinationem, ac teneri ad servandum Continentiae Votum statuit *Text. in Cap. Perlatan. de iis quae vi, metusque caus. traduntque Reinfestuel. in lib. 4. de cret tit. 6. n.* 12. *Sanchez de Matrimon. lib.* 7. *disput.* 29. *num.* 9. quorum sententiam probavit Sacra Congregatio *in Valentinen Ordinis Subdiaconatus* 31. *Maii* 1704. et novissime *in Neapolitana Ordinis Subdiaconatus* 21 *Septembris* 1816.

Haec quoad primum dubium super *Nullitate*, quo vero ad alterum *dispensationis* Nicolai defensores contendunt, justam praesto esse, ac rationabilem Causam, ut consulatur Sanctissimo pro dispensatione positam in dubietate validitatis tum suscepti Ordinis, tum maxime voti continentiae. Nam si allatae probationes tanti non sint ponderis, quae valeant certam reddere nullitatem, reddunt tamen adeo dubium validitatis judicium, ut justam ac rationabilem suppeditent dispensandi causam, ut alias censuit S. Congregatio *in Bisuntina Dispensationis* 17. *Junii* 1753. *et in Valentina Ordinis Sub-*

dia-

diaconatus 31. Martii 1794. Addit Nicolaus alias etiam causas a suo spirituali, et temporali damno mutuatas, tum ob periculum incontinentiae, tum ad reparandum damnum honestae Puellae illatum, tum ad avertendas inimicitias illius foeminae consanguineorum, nisi illam sibi legitimo matrimonio conjungi per Apostolicam dispensationem concedatur.

At inania haec putat ordinis defensor. Non enim privata actoris, vel cujuscumque foeminae utilitas, sed publica requiritur causa, ut vel Magni Principis, vel Regni, aut saltem integrae Provinciae damno per supremam Clavium potestatem succurratur. Agitur in praesenti causa de Subdiacono ex humili familia progenito, agitur de foemina paris conditionis; agitur demum de parvo Lusciani Oppido. Nec desunt exempla in casibus valde durioribus, in quibus constans fuit S. Congregationis sententia denegandae dispensationis, quae diligentissimus Ordinis Defensor EE. Vestris in memoriam revocat, praesertim *in Monasterien 15. Januarii 1724. in Arelatem dispensationis 27. Februarii 1731. in Valentinien. Ordinis Subdiaconatus 31. Maii 1794. et in Neapolitana Ordinis Subdiaconatus 16. Septembris 1816.*

Dubia erunt.

I. *An constet de validitate Ordinis Subdiaconatus, ita ut Nicolaus Santagata teneatur ad votum continentiae, aliaque onera dicto ordini adnexa, in casu etc.*

Et quatenus affirmative.

II. *An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu etc.*

Ad I. Affirmative in omnibus, et amplius.
Ad II. Negative, et amplius.

FERE-

Sess. 23. cap. de Reform.

FERETRANA RESIDENTIAE, ET DISMEMBRATIONIS. In Congregatione diei 30. Augusti 1817. proposita fuit causa isthaec trium sub dubiorum formula discutienda.

I. Nempe - *An Archipresbyter Gambetti cogendus sit ad residentiam in Ecclesia S. Petri in Cultu in casu etc.*

Et quatenus *negative*

II. *An et quomodo sit locus dismembrationi Oppidi Mercatini ejusque Agri a Paraecia di Talamello in casu etc.*

Et quatenus *affirmative*

III. *An, et quomodo constituenda sit congrua novo Parocho deputando in Ecclesia S.Petri in Cultu Oppidi Mercatini in casu etc.*

Atque Archibresbytero Nicolao Gambetti vadimonium deserente haec prodierunt Rescripta - *Ad I. Affirmative: ad II., et III. provisum in primo.*

Illico subinde Archipresbyter novae audientiae beneficium imploravit, pluriesque concessis induciis, praesens tandem ad disputandum dies fuit praefinita. Ad parcendum expensis supplicantur EE. PP. ex parte Communitatis et Populi Oppidi Mercatini, ut praeteritas allegationes reassumant. Quumque nihil mihi fuerit ab Archipresbytero exhibitum, non est, quod addam folio praedictae Congregationis 30. Augusti praeteriti anni,

Dubium erit

An sit standum, vel recedendum a decisis, in casu etc.

Dilata ad primam post Agnos, omnino et infallanter.

MON-

MONTIS POLITIANI SERVITII CHORI. Anno 1666. quaesivit ab hac S. Congregatione Episcopus Ecclesiae Politianae num Cathedralis Ecclesiae Archipresbyter sine cura animarum cum prima sit Capituli dignitas servitio Chori teneretur S. Congregatio die 17. Aprilis ejusdem anni Rescripsit - „ Archipresbyterum non teneri ad praescriptum „ Tridentini Concilii (*Sess. 24. cap. 12. de Reform.* „ Choro quotidie interveniendi, sed illi ab Episcopo „ competens servitium ad normam *cap. 3. sess. 22.* „ esse assignandum „ Id Episcopus praestitit, ut patet ex registro litterarum hujus Sacrae Congregationis, in quo Epistola legitur die 3. Julii ejusdem anni ad Episcopum transmissa, cujus pars hisce est verbis concepta „ Probavit Sacra Congregatio, quod juxta amplitudinis tuae decretum idem Archipresbyter inservire debeat omnibus diebus Dominicis, et per quadragesimam, nec non in die Natalis Domini, et vigilia praecedente, et tribus diebus sequentibus, item in Festis Circumcisionis, et Epiphaniae, in festo Resurrectionis cum duobus diebus sequentibus, in vigilia, et festo Ascensionis domini, in vigilia, et tribus diebus Penthecostis, in vigilia, et Festo Corporis Christi cum tota octava, in festo Inventionis S. Crucis, in festo Beatae Mariae, idest Conceptione, Purificatione, Assumptione, Visitatione, Annunciatione, et Nativitate, et Decollatione Sancti Joannis Baptistae, in festis omnium Apostolorum, in festo Sancti Marci Evangelistae, in festo. S. Laurentii Martyris, in festo Sancti Martini Confessoris, in festo B. Agnetis Virginis Politianae, in festo omnium Sanctorum, et in die Commemorationis omnium defunctorum, ac quod de festis dicitur intelligatur cum primis, et secundis Vesperis „.

Sess. 32. cap. 3. de Reformat.

Eadem Epistola factum Episcopi probatur, qui tertiam partem fructuum archipresbiteratus *punctaturis* assignavit. Hanc *punctaturarum* legem ex quodam libello in Cancellaria Episcopali reperto per septennium servatam fuisse patet, nempe usque ad annum 1673. Ab hoc autem anno nullum amplius

quoad Chorale servitium ab Archipresbitero praestitum invenitur monumentum ad annum usque 1753. in quo Pius Magnoni Antistes Politianus in actis Visitationis asserit, praelaudatum decretum, quod suus Antecessor auctorante Sacra Congregatione ediderat *numquam fuisse executioni mandatum*. Quare, et suae, et Archipresbyterorum consulens conscientiae, iterum audita S. Congregatione, idem decretum renovavit.

Ab hujusmodi decreto Archipresbyter Julius Contucci ad Tribunal Apostolici Nuncii appellavit. Dum autem quaestio agebatur utrum admittenda esset Appellatio, Archipresbyter supplicem libellum Episcopo porrexit, in quo precipue exponens bonam fidem, qua adeptus fuerat hanc dignitatem, dimissionem Praebendae Theologalis ab ipso antefactam, ut mitiori Archipresbyteratus servitio aetati consuleret, et senectuti quietem inveniret, exemptionem a Choro postulavit. Rescripsit Episcopus in calce hujus libelli *servari solitum vivente eodem Archipresbytero, et eum non molestari salvo jure procedendi in futuris*. Res siluit reliquo tempore, quo rexit Politianam Ecclesiam dictus Magnoni siluitque etiam sub altero Episcopo Pio Franzesi, cui hodiernus Episcopus immediate successit. Hic vix aliqua hac de re monumenta invenit, statim consulendum censuit Sacrae istius Congregationis oraculum, a qua tamen, cum nullum accepisset responsum ob praeteritam rerum publicarum eversionem Augustino Petrini, qui Archipresbyteratus dignitate fungitur, injunxit ut ab EE. VV. dubii ipsius definitionem exposceret. Quae Archipresbyter deducat ad hanc dubii declarationem, quae contra Episcopus animadvertat, EE. PP. subiiciam.

Multa sane proponit Archipresbyter, ut dignitatem suam immunem reddat a servitio Chori atque vobis PP. EE. suadeat *Sub. I. dubio* recessum a decisis sub *die* 17. *Aprilis* 1666. Primum negat ex Constitutionibus, quae latae erant, antequam Ecclesia Politiana in Cathedralem erigeretur, hoc onus interessendi Choro impositum fuisse. Nam *in Costit.* 16. *de Offic. Archipresbit. vel. Vic.* ei imposi-

tum

tum est onus canendi Missas in designatis diebus festis solemnioribus quia in Ecclesia tunc Collegiata dignoirer ". *In Constit.* vero 75. Archipresbiter excluditur a percipiendis „ *distributionibus etiam si divinis interesse contigerit* . Ex quibus illud deducitur ,quod Archipresbyter non ex Constitutionibus, sed ex voluntate Choro interveniret , et propterea privabatur distributionibus , quibus carere non poterat , si ex imposito munere Choro interesse teneretur . Post vero erectam in Cathedralem Ecclesiam Politianam editae fuerunt *Reformationes* Constitutionum, quas praestat cognoscere . In *Reformat.Constitut.* 23. præscribitur - „ ut per unam hebdo- „ madam serviant in divinis officiis R. D. Præpo- „ situs cum media parte Canonicorum , et Cappel- „ lanorum , per alteram R. D. Archidiaconus cum „ alia parte Canonicorum , et Cappellanorum . . . „ Omnes autem simul dignitates , et Cappellani te- „ neantur servire omnibus diebus Dominicis , et per „ quadragesimam nec non etc. „ aliisque designatis diebus . Ex altera vero *Reform. ad Constit.* 75. habetur - „ Recte constitutum , est , ut de destributioni- „ bus Capituli (Archipresbyter) non participet „ quoniam ipsi certi reditus constituti sunt cum ea „ conditione , ut iis contentus a distributionibus „ abstineat .

Ex his *Reformationibus* exemptum , se esse putat Archipresbyter a servitio Chori . *Primo* quia inter dignitates ; quibus imponitur servitium Chori illa Archipræsbyteri designata non est . *Secundo* quia hæc Archipresbyteri dignitas ante erectionem Ecclesiæ in Cathedralem huic oneri non subiiciebatur . et propterea censendum est novum onus ei non fuisse impositum , nisi hoc expresse cautum fuerit . *Tertio* quia eximi potuit ab hoc onere tum ob curas Quasi episcopales ,quibus Archipresbyter tenebatur, tum ob rertibutionem ob collatos suos reditus in Mensam Episcopalem tunc primum erectam.*Quarto* quia *Reformationes* quæ legem constituunt . cum sint ambiguæ et obscuræ benignorem requirunt interprætationem juxta Regulam de qua *Benedict. XIV. Institit.* 13. *num.* 4.

Tandem Archipresbyter appellat ad observantiam. Nam ab *anno* 1561. quo erectus fuit Episcopatus ad annum 1641. per *nonaginta annos* nullum in actis SS. Visitationum vestigium invenitur, ex quo appareat Archipresbyteros obligatos fuisse ad Chori servitium. Hoc vero anno 1641. ex *actis* S. Visitationis Episcopi Talenti constat Archipresbyterum a Choro fuisse immunem. Id quod confirmatum est ex Actis alterius Visitationis anni 1659. Episcopi Cervini. Quamquam vero anno 1666. ex decreto hujus Sacræ Congregationis coactus fuerit Archipresbyter ad servitium Chori, et punctaturas (quod decretum, Archipresbyter Petrini excipit, vires Rejudicatæ acquirere non potuisse, utpote editum inaudito Archipresbytero) attamen si excipiantur septem sequentes anni, ab anno scilicet 1666. ad annum 1673., inobservatum jacuit usque ad annum 1753. quo in actu S. Visitationis Episcopus Magnoni illud decretum renovavit. Sed postea ab ipso suspensum fuit. Quare ex tam diuturna negativa observantia, quæ et ante, et post editum decretum S. Congregationis invaluit se exemptum putat Archipresbyter ab onere servitii Chori.

Contra hæc animadvertendum est, quod in *Reformat. ad Constit.* 75. repellitur Archipresbyter a participatione distributionum, quia ei certi constituti reditus fuere. Quare si distributiones percipiunt, qui Choro intersunt, si Archipresbyter loco distributionum habuit certos reditus, jam ex hoc videtur ad Chori servitium teneri. Sed si quid ambigui habent leges, et Reformationes; jam hoc explicatum fuit, et definitum ex decreto S. Congregationis, a quo post absolutam numeris omnibus quæstionem nefas esset recedere *ex Text. in Leg. Ingenuum de statu homin.* Contra vero observantiam considerandum occurrit, quod ea, quæ præcessit decretum S. Congregationis, inanis est, cum ex ipso decreto interrupta, et infirmata sit; Quœ vero superaccessit, numquam ad metam centenariæ pervenit, ut inducere possit præscriptionem adversus statuta, et Remjudicatam *ex Text. in Can.* 3. *distint.* 8. ita ut potius abusus quam consuetudo judicanda sit.

Quandoquidem EE. PP. putent in I. Dubio persistendum

dum esse in decisis, tum in II. Dubio quæritur quod servitii genus imponendum sit. Episcopus ita consulit „ Nunc iterum meum sensum aperio, et „ Sapientiæ EE. VV. RR. omni qua decet reverentia libentissime submitto. Post decretum istius „ Sacræ Congregationis causa utique finita est; et „ aliquod servitium ab Archipresbytero utique præstandum est. Illud tamen ab Episcopo Antonio „ Cervini præscriptum forsitan nimis grave visum „ fuit quia fama, et forsitan consuetudo erat exemptionis a toto, et hac de causa decreto Episcopi „ defuit, ut plurimum obedientia. Ideo Vobis EE. „ PP. RR. probantibus servitium ego redigerem ad „ dies Dominicos, et festivos, ut vulgo dicitur *d' intiero precetto* ad primas Vesperas majorum Solemnitatum ad triduum hebdomadæ majoris, ad „ Processionem Corporis Christi, D. Agnetis, et Rogationum, et sic facilius decreto obedientiam conciliarem. „

Tandem in III. Dubio Archipresbyter. Illud etiam ante oculos vestros ponit se dignitatis privilegio non proprio commodo famulari, utpote quod ferialibus persæpe diebus nedum omnibus festivis Choro libentissime inserviat. Cum autem octogenaria ætate laboret, cumque Cathedralis Ecclesia in eminentiori loco, ac non parum sibi incomodo sit posita, pietatem Vestram orat, obtestaturque, ut si EE.VV. onus aliquod suæ dignitati imponere, æquum, justumque videbitur, se quamdiu vixerit ab obligatione Choro inserviendi eximatis, attenta ejus senectute, ac præstito usque adhuc ab eo laudabili servitio. Nihil de his Archipresbyteri precibus in sua relatione Episcopus.

Hisce omnibus perpensis vestrum erit EE. PP. dirimere sequentia Dubia.

I. An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc.

Et quatenus *in decisis*

II. An, et quale servitium Chorale sit Archipresbyterali dignitati imponendum in casu etc.

III. An

III. An sit eximendus a praescripto servitio hodiernus Archipresbyter in casu etc.

Ad I. Dubium - In Decisis ad formam Resolutionis S. Congregationis anni 1666.
Ad II. Dubium - Provisum in primo.
Ad III. Negative.

Sess.25. C. 11. De Reform.

PORTUEN. AFFICTUS. Anno 1814. die 28. Martii Thomas Ermelia Capellanus Curatus Ecclesiæ Parochialis veteris Alsii, quod nunc *Ceri* audit, Vineolam ad suam Capellam spectantem locavit ad annos sex supra triginta Bernardino, atque Andreæ Salvi, eorumque hæredibus, et successoribus pro annua pensione scut. quinque, privatis in id obsignatis tabulis. Cautum in hisce de pensione in aurea, argentea vel moneta solvenda, immunique ab omni onere. Ad hunc vero contractum, qui vetitam in rebus Ecclesiæ alienationem sapit, se devenisse declarat Cappellanus - *inerendo al Rescritto di Monsignor Vicario Generale di Porto, e S. Rufina munito di special facoltà dalla S. Sede Apostolica, che si dice riposto negli Atti della sua Curia, ed al quale si abbia relazione.*

Intererat conductorum Salvi inito contractui Pontificiæ sanctionis robur adjicere, proptereaque supplices cum Sacerdote Gentili eorum consanguineo penes S. Congregationem steterunt, ut solemne confici posset instrumentum, quod dilatum ad hæc tempora prætendebant, propter immanes sumptus, qui sub Gallico imperio in stipulationibus requirebantur.

Consultus Emus Episcopus ut de toto hoc negocio, ac præcipue de contractus utilitate referret, suamque aperiret sententiam, hæc ipse animadvertenda proponit pro ea qua pollet præsertim in juribus Ecclesiæ tuendis, sapientia, ac religione. Refert in primis de facultatibus spe-

specialibus Vicario Generali tributis nullo modo constitisse, aut constare. Narrat OEconomum, qui tunc erat Ecclesiae Parochialis, ipsum scilicet Sacerdotem Gentili, qui una cum Salvi nescio qua veste, exequutionem, ac stipulationem nunc postulat contractus, omnem dedisse operam *abusum etiam*, sunt Emi Episcopi verba, *imbecillitate Rectoris Cappellae, ut Rector ipse Bernardino, et Andreae Salvi cognatis suis vineam in eum modum locaret, nullis factis ex Altaribus proclamationibus, quemadmodum testes docent. In quam rem Vicarius Foraneus oppidi mihi testatus est monumenta contractus illegitimitatem demonstrantia ex Archivio Parochiali post publicas res restitutas fuisse subtracta.*

Quod rei caput est, non evidentem Ecclesiae utilitatem, sed maximam perniciem locationis contractum, de quo agitur, praeseferre putat Emus Episcopus. Vineae enim valor quamvis de superficie tantum res sit, ad Scut. 89. evehitur a Perito, qui illius fructus in annuis Scutatis quatuordecim constituit, additque eamdem vineam modo etiam, quantumvis culpa conductorum deteriorem redditam, posse tamen fructum reddere - *cinque volte di più in mani di un industrioso proprietario*. Nec secus evenisse refert Emus Episcopus, quando Capellania administrabatur a Vicario Foraneo, qui ex vino tantum, quod rependebat colonus, scuta circiter quatuordecim exegit.

Haec omnia tum laesionem contractus, cum agatur de intollerabili Ecclesiae damno, tum illius nullitatem ex Solemnitatum defectu suadere videntur. Deficit praesertim Apostolicum Beneplacitum, sine quo vetita est Bonorum Ecclesiae alienatio *in Militen. 19. Februarii 1701. ad VI. Dubium*. Indubii autem juris est, alienationis nomine locationem, et conductionem ultra triennium, in fundis nimirum, ex quibus fructus quolibet anno percipiuntur, comprehendi ex *cap. 5. de reb. Eccles. alienandis vel non.*

Post haec tum in facto, tum in jure praemonita praestat Emi Episcopi verba referre - *Quae cum ita sint, probari quidem contractus non potest, qui fraude, ac dolo factus fuisse videtur, quique enormissimam laesionem attulit Cappellaniae, ejusque Rectori. Neque vero*

ro facile erit Rectorem invenire, si vinea desit. Ea enim Rectori suppeditat panem, ac vinum, quae duo potissimum in iis Maritimis locis in tam diuturna charitate Annonae ceterorum fructuum tenuitatem compensant. Quibus accedit, Vineam illam esse in causa, ut aestivo quoque tempore Rector in Oppido facilius ac libentius moretur, et aeris insalubris difficultatem contemnat, cum fructibus ejus custodiendis, colligendis, ac recondendis incumbit. Et quia compertum est, Salvios Conductores Statum Vineae post contractum sive culpa, sive dolo longe deteriorem fecisse, precidendo multas vites, reliquas male agendo, et extirpando Cannetum, et Sepem, ut homines Periti retulerunt; idcirco non solum improbandus est contractus, de quo disseritur, verum etiam aperienda est via Rectori Cappellaniae, ut damnorum Compensationem ab iisdem assequatur.

Attamen favore Oratorum afferri posset juris regula, qua cavetur, ut in quolibet dubio standum sit pro validitate Actus; neque facile destruenda sint, quae bona fide, ac prudenti consilio gesta videntur. Bonam fidem innuunt praecedens Periti aestimatio Fundi, et pacta in favorem Ecclesiae conventa; quae quidem pacta assertam Rectoris imbecillitatem excludunt. Prudenti vero consilio initus est locationis Contractus Vineolae, cujus aestimatio erat in Scutis quadraginta sex, pro annua responsione Scutorum quinque aureae, vel argenteae monetae. Nam haec annua pensio immunis ab omni onere imposito, vel imponendo respondet fructui supra decem pro quolibet centenario, unde evidens Ecclesiae emergit utilitas.

Nec plurimi facienda esse videtur novissima Vineolæ estimatio in scut. 89., sive quia læsio non ex posteriori extimatione, sed de tempore Contractus metiri debet, sive quia hoc etiam posito pretio Cappellania perciperet certum reditum ad rationem scutorum fere sex pro centenario. Quod si contractus bona fide conciliatus utilis Ecclesiæ fuit, haud novum esset, ut defectus Beneplaciti sanaretur ex posteriori Apostolico indulto quod ab initio ob temporum acerbitatem obtineri non potuit.

Videant EE. PP. quanti hæc facienda sint ad sustinendam longissimi temporis locationem initam privata au-

auctoritate contra SS. Canonum censuram, videant etiam, an in præsenti judicio habenda sit ratio damnorum.

Dubia erunt

I. *An sit concedendum Beneplacitum Apostolicum in casu ec.* et quatenus negative.

II. *An sit locus emendationi damnorum in casu ec.*

Ad I. Dubium Negative

Ad II. Affirmative prout, quatenus; et coram quo de jure.

ROMANA. Supremo quo decessit Elogio Franciscus Antonius Giannini anno 1788. universæ suæ hæreditatis usufructu Sorori Susannæ, reservato, hæredem in proprietate instituit Ecclesiam Divi Hieronymi Illyricorum Urbis, adjecta lege erigendi tot Cappellanias, quot viribus hæreditariis responderent. Dos assignata fuit singulis Cappellanis in annuis Scutis quinquaginta præter alia sex scuta pro Sacrarum supellectilium usu: Dedit Testator proprietariæ hæredi facultatem vel nominandi Cappellanos ad nutum amovibiles, vel Missas per quoslibet Sacerdotes celebrandi præstita eleemosyna, quæ manualis tunc erat nimirum *obulorum decem*, adjecta insuper lege, ut - *Nel caso detta mia Erede proprietaria volesse diminuire le Messe, o non facesse celebrare le Messe sudette in detto Altare, come sopra Ordinato, in tal caso voglio che sia ipso facto caducata dalla mia Eredità, in cui sostituisco la Ven. Chiesa di S. Ambrogio, e Carlo al Corso della Nazioae Lombarda con li stessi pesi in tutto e per tutto come sopra ho ordinato.* *Ses. 25. c. 4. De Refor.*

Statim post Testatoris obitum confectum fuit solemne hæreditariorum bonorum Inventarium, traditisque hæredi usufructuariæ nonnullis mobilibus, ut iis uti posset juxta Testatoris placitum, vendita fuerunt

cœtera mobilia, exacta Credita, atque omnis percepta exinde pecunia in Locis Montium collocata, quæ conjuncta aliis jam in hæreditate extantibus ad quantitatem evecta sunt Locorum centum et quindecim, atque horum proprietas Ecclesiæ hæredi institutæ adscripta, fructus vero, prout Testator jusserat, Susannæ reservati. Hisce fructibus fruita est Susanna usque ad annum 1809., quo decessit relicto sibi fiduciario hærede Julio Ranuzzi. Confectum ab hoc fuit Inventarium Susannæ bonorum cui duo Ecclesiastici Viri Ecclesiæ Illyricorum addicti, ab eaque deputati interfuere. Expulsis paulo post ab Urbe, ac ditione Pontificia jam ab Invasoribus occupata cunctis Ecclesiasticis exteris, discedere quoque coacti sunt Divi Hieronymi Sacerdotes, ut pote Illyrici, quibus propterea necesse fuit eligere duos Laicos Viros eidem Congregationi adscriptos, ut rem omnem ad Giannini hæreditatem spectantem componerent, atque hi fuere Advocatus Lazzari, ac Franciscus Brivi jam defunctus. Electi Procuratores hæredem fiduciarium Susannæ vocarunt ad rationes reddendas, de iis quæ Susanna retinuerat ad Fratris hæreditatem pertinentia. Plures a Susanna excitatæ fuerunt quæstiones, in quibus quinque prope anni consumpti sunt. Tandem transactione hæ quæstiones compositæ, in qua constitutum fuit hæreditatis Susannæ creditum in scut. 689. 80., atque in ejus extinctionem cessa tot Credita hæreditatis Giannini; Transactio isthæc, contra quam plurimum conqueritur Illyricorum Congregatio, utpote facta cum filio hæredis fiduciarii, quin hic unquam fiduciam ante obitum declaraverit, atque peracta, ut asseritur, cum Ecclesiæ detrimento, ac sine legittimo mandato, conciliata tamen fuit prævia Ratiocinatorum relatione ac obfirmata Decreto Emi Urbis Vicarii, in vim Beneplaciti Apostolici per Sacram Congregationem Episcoporum, et Regularium editi, cujus Beneplaciti leges a præfato Emo fuerunt adamussim servatæ.

Tria sunt, quæ nunc postulat Illyricorum Congregatio; *primum* nempe absolutionem e Censuris, quatenus opus sit, tum quia se se immiscuit in relicta sibi hæreditate; tum quia summa scut. 674. ab Advocato

Laz-

Lazzari exacta in Capitale frugiferum conversa adhuc minime fuerit, prout fieri debebat, quin imo scutor. 215. impensa fuerit nescio cujus arbitrio in Missarum celebrationem. Postulat deinde, ut sibi liceat relictam hæreditatem acceptam habere, ex qua maximam utilitatem sibi, suæque Ecclesiæ manare autumat: Tertio tandem ut totius hæreditatis reditus erogentur in tot Sacra peragenda cum eleemosyna pro unoquoque obulorum viginti.

Ad primum quod attinet non satis providum videtur fuisse consilium, quo Congregatio Illyricorum sese immiscuit hæreditati, quin sibi certo constaret de illius utilitate, aut saltem quod in Ecclesiæ damnum non vergeret, ac nulla prius ab Ecclesiastico Superiore impetrata venia, contra præscriptum in Decreto *S. Congregationis* 21. *Junii* 1625. §. 6. Nec rectæ administrationis partes a prædicta Congregatione adimpletæ sunt, sive cum pecuniam in non levi summa Scut. 674. exactam a nominibus hæreditariis investire neglexit; sive cum ex prædicta quantitate Scuta 215. in Missarum celebrationem erogavit. Hæc summa non ex fructibus redibat, sed Capitale hæreditarium constituebat. Hinc dubitari nequit peccatum fuisse contra Sanctionem notissimæ *extravagant: Ambitiosae*, tum contra voluntatem Testatoris, qui universam hæreditatem erectioni Capellaniarum addixerat; unde sequitur, ut poenis a SS. Canonibus latis sint obnoxii, qui hujusce capitalis partem investire neglexerunt, partem contra defuncti voluntatem consumpserunt, ac ad illius redintegrationem teneantur juxta *Can. Monemus*. 12. *quaest.* 2. ut definivit S. hæc Congregatio *in Romana pro Cisterciensibus* 1. *Septembris et* 26. *Martii* 1689.

At enim plurimum dandum est acerbissimorum temporum circumstantiis. Non prius quam in exitu Mensis Nov. 1809. migravit ad plures Susanna Giannini Usufruttuaria, statimque incœptum fuit Inventarium ab illius hærede Fiduciario adstantibus duobus Ecclesiasticis viris ex Congregatione Illyricorum. Verum nemo ignorat infandas illius temporis vicissitudines, quo ive sine intermissione successerit Sacerdotii, ac Regni lamentabile fatum, unde bonorum Ecclesiæ usurpatio,

Ecclesiasticorum exilium, Sacrorum Canonum despectus. Nec a comuni naufragio immunis evasit Illyricorum Congregatio, cujus administratio durante militari occupatione Laicis personis concredita fuit. Hæc præ oculis dignentur habere EE. PP. ac secum reputent, num indulgendum sit Oratoribus, et quæ statuendæ sint conditiones pro reintegratione haereditarii Capitalis.

Ad alterum quod partinet exquisitis a Sacra Congregatione haereditatis viribus, eas diligenter refert Eminentissimi Protectoris Vicarius R. D. Trevisani fere omnes constitui in Locis Montium, quae sunt in numero centum et quindecim cum Centesimis triginta novem, quaeque proinde conflant summam scut. 2884. 88. Hisce insuper addendi sunt sexdecim bimestrium fructus, qui ex Pontificia lege augent Capitale. Hi fructus juxta Testatoris voluntatem erogandi essent in Missarum celebratione. Et jam ab hac Sacra Congregatione alias definitum fuit fructus pro Missarum celebratione assignatos neque in Cappellaniam, neque in incrementum capitalis posse converti, ut videre est *in Bononien. Legati Missarum* 7. *Decembris* 1667., 9. *Augusti* 1698., *et* 4. *Septembris* 1702. Videant Eminentissimi PP. num hoc capitis augmentum compensari debeat pro intranti quantitate cum decremento scut. 215., de quo superius memini.

Haec quidem Locorum Montium quantitas aliis Fundis, creditisque fortasse exigendis ac juribus vindicandis conjuncta satis conspicuam haereditatem praeseferre videntur, quam Ecclesiae bono, et pro divini Cultus augumento Illyricorum Congregatio postulat acceptare. Repudiatio siquidem haereditatis, vel legati Ecclesiae utilis est omnino a Jure vetita *Cap. Quicumque 2. caus 12. quest. 4. funct. Gloss. vers. Aut neglectum, et in Cap. Illud statuendum 8. §. Si ergo caus. 16. quaest. 6., et Cap. Requisivit 1. et Cap. Cum venisset 2. De in integrum Restitit.*

Quoad tertium tandem habenda prae oculis est Testatoris voluntas. Disposuit siquidem Testator, ut juxta haereditatis vires tot Cappellaniae instituerentur, Scutis 50. pro unaquaque assignatis, praeter com-

compensationem Sacrarum supellectilium in scutis sex cum onere Missae quotidianae. At haec summa satis quidem non est, ut juxta manualem eleemosynam quotidie sacrum celebretur. Postulat hinc Oratrix Congregatio augmentum eleemosynae usque ad obulos viginti, ut ita succuratur summae Illyricorum Sacerdotum indigentiae et huic petitioni favet Vicarius Eminentissimi Protectoris in sua Informatione. E contra pugnat voluntas Testatoris, qui jussit celebrari Missas - *con la solita manuale elemosina di giulio uno per Messa* - Videant ergo EE. PP. quibus satis perspectum est, Legata piasque voluntates nec in melius commutari posse, nisi ex juxta, ac necessaria causa *ex Trident. Sess.* 22. *De Reform.* num Testator qui voluit - *la solita manuale elemosina* quae de anno 1788. erat julii unius non taxative, sed enunciative dixerit - *giulio uno per Messa* - ita ut aucta nunc manuali eleemosina ad obulos quindecim, hoc etiam augmentum in Cappellaniis, de quibus agitur, fieri debeat ex ipsa Testatoris voluntate; seu potius petitae eleemosynae obulorum viginti sit indulgendum.

Dubia quae proponuntur

I. *An, et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro absolutione, et sanatione in casu etc.*

II. *An, et quomodo sit concedenda venia pro acceptatione haereditatis, et respectiva erectione Cappellaniarum in casu etc.*

III. *An sit locus reductioni in casu etc.*

Non proposita cum sequenti.

SAN-

Sess. 23. Cap. 1. de Reform.

SANCTI MINIATIS VISITATIONIS SS.LIMINUM.

In Dioecesis S. Miniatis Relatione, quam religiosissimus illius Antistes transmisit pridie Kalendas Januarii anni 1816. exposuit - *Canonicos Ecclesiae Castri Franchi ad Missam Conventualem teneri renuere, eo quod a Limine fundationis* (a constitutionibus nempe Capitularibus) *pro suo Canonicatu unusquisque Sacrificium applicare jubetur* - Dubium igitur dirimendum proposuit, an scilicet Benedicti XIV. Constitutio de Missa pro Benefactoribus a Canonicis quotidie celebranda ab Ecclesia Collegiata Castri Franchi servanda esset.

Capitularium Constitutionum particula, ex qua exemptio ab applicatione Missae Conventualis deducitur his concepta verbis Legitur in §. 14., et 15. de Officio Hebdomadarii - *Cujus Hebdomadarii partes sint non solum ut in Constitutionibus decretum est, quod debeat Choro interesse canendo in Choro divinis officiis, sed etiam in hebdomada Missam canere ad altare Majus singulis diebus a praefatis Constitutionibus ad interessendum ordinatis - - - Sacrificium tamen applicetur in satisfactionem obligationis proprii Canonicatus* - Ex hoc consuetudo Conventualem numquam applicandi proBenefactoribus orta est,quae Centenariam superat,cum ab anno1633.quo erecta fuit Collegiata, exordium ducat. Chori servitium quotidianum non est; sed dumtaxat festivis aliisque statutis diebus; neque onus Missae quotidianae celebrandae adnexum est unicuique praebendae. Capitulum constat ex duodecim Canonicis, eorumque Praebendae comprehensis distributionibus varium exhibent reditum ab annuis scutis Sexdecim ad annua Scuta nonaginta duo, detractis omnibus etiam Missarum oneribus. Haec omnia refert Episcopus, et confirmant Canonici Capitulariter Congregati, qui si non ex justitia, saltem ex aequitate ob redituum tenuitatem ab onere applicandi Missam Conventualem pro Benefactoribus eximi postulant.

Benedictus XIV. in notissima Constitutione, cujus initium - *Cum semper oblatas* - 19. Augusti 1744. prae-

praecipit Missam Conventualem omnino pro Benefactoribus in genere esse applicandam. „ - Neminem
„ vestrum (Episcopos alloquitur Laud. Pontifex) la-
„ tere putamus Sacrorum Canonum Sanctiones qui-
„ bus praecipitur, ut singulis diebus in Ecclesiis Pa-
„ triarchalibus, Metropolitanis Cathedralibus, et Col-
„ legiatis tum horae Canonicae debitis modo, et for-
„ ma recitentur, tum etiam Missa Conventualis ce-
„ lebretur, quae adeo clarae sunt, ut nulla super iis
„ oriri possit dubitatio. Eaque de re perspicue, pa-
„ riter et per omnia uniformes existunt Resolutiones
„ ab hac Congregatione Ven. Fratrum Nostrorum Con-
„ cilii Tridentini Interpretum repetitis vicibus ema-
„ natae, quas omnes Apostolica Auctorictate Nostra
„ confirmamus, et approbamus, earum executionem
„ Vobis enixe inculcantes: ut *scilicet Missa Conven-*
„ *tualis, quae singulis diebus canitur a Clero praedi-*
„ *ctarum Ecclesiarum, pro earumdem Benefactoribus*
„ *in genere, quotidie applicetur* -. „ Ex quibus verbis certum explorantumque videtur singulis Chori diebus Canonicos ad applicationem Conventualis pro Benefactoribus teneri.

Nec doctissimum illum Pontificem fugit Casus vel contrariae consuetudinis, vel quo Capitulares peculiari onere Missarum tenentur; nec tamen voluit ut uno, vel altero praetextu praescripta pro Benefactoribus Missae Conventualis applicatio cessaret. Referam illius verba - *Nonnulli siquidem obtentu contrariae consuetudinis etiam immemorabilis in propria Ecclesia vigentis se ab hujusmodi onere eximi posse sibi persuaserunt; Verum jam pluries responsum fuit, hujusmodi consuetudinem, licet immemorabilem, quae potius abusus, et corruptela dicenda est, nemini suffragari* - Et paulo post - *Alii a missa pro Benefactoribus applicanda se excusatos voluissent, ex eo quod alio quopiam Missarum onere obstricti inveniantur vel ratione proprii Canonicatus aut alterius Beneficii . . . . ac proinde nequeunt eamdem pro Ecclesiae Benefactoribus specialiter offerre. Sed his quoque obviam itum est jubendo singulis praedictis, ut Missam Conventualem, quam canunt, pro Ecclasiae Benefactoribus in genere applicent; pro aliis vero,*

pro

pro quibus ipsi peculiariter Missam applicare tenentur alterum substituant, qui ipsorum Loco Missam hujusmodi celebret, applicetque - Si ergo ex Benedictina Constitutione ne ii quidem ab applicatione Conventualis pro Benefactoribus eximuntur, qui alia quotidiana, vel statuti cujusdam diei applicatione tenentur, aliumque substituere pro peculiari obligatione coguntur, fortius a praedicta Missarum, pro Benefactoribus applicatione dispensari non posse videntur Canonici Castri Franchi, qui ut refert Episcopus, et ipsi ingenue fatentur, quotidiano onere applicationis pro sua Canonicali praebenda haudquaquam praemuntur.

At vero in praesenti Casu non agitur de simplici consuetudine quae ex solo centenarii temporis lapsu derivetur, quamque etsi immemorabilem proscribendam esse voluit Laudatus Pontifex. Res est de consuetudine quae originem, ut ita dicam, ducit a lege, nimirum a Capitularibus constitutionibus, quae expressim cavent, ut *Hebdomadarius Sacrificium offerat in satisfactionem obligationis proprii Canonicatus*.

Hoc sane in casu non quidem *abusus*, *et corruptela* quibus extirpandis totus fuit Summus Pontifex in citata Constitutione, dici posse videtur, sed constans, et nunquam interrupta consuetudo, quae a lege Fundationis, ab ipsis Collegiatae Constitutionibus suam mutuatur auctoritatem, et viceversa ipsas confirmat, solidatque Constitutiones. *Text. in Can. 3. distinct.* 4. traditque, Reiffenstuel, juris Canonicis T. 1. in Lib. 1. Decretal 4. de Consuetudine §. 1. n. 8.

Vestrum erit EE.PP. vel strictim juxta Benedictinam Constitutionem Applicationem Missæ Conventualis præscribere, seu vigentem in Collegiata Consuetudinem confirmare. Nec prætereundum, ut initio præmisi, Canonicos Vestram implorare indulgentiam, ut ob redituum tenuitatem aliquid de juris rigore remittatis. Ex relatione Peritorum constat, annuum reditum immunem ab omni onere tum reali, tum personali, tum etiam Missarum dissimilem esse fere in qualibet præbenda. Altera reddit annua *scut.* 16. 40. altera *scut.* 27. 20. Tres circiter *scuta* 48. Duæ circiter *scuta* 60.

Aliae

Aliæ duæ fere *scuta* 76. relique tres ad *scuta* 90. circiter assurgunt. Huic tamen Præbendarum inopiæ succurri jussit Pontifex in laudata Constitutione juxta viam a Tridentina Sinodo præscriptam *in ses. 24. cap.* 15. additque - *Si vero designatam a Concilio viam, ut fere evenire solet, nequaquam iniri posse contingat, reliquum erit ad Congregationem Concilii recursum habere; cujus erit perspecto rerum statu, auctoritate Apostolica a Praedecessoribus Nostris eidem impertita, et a Nobis etiam praesentium tenore confirmata quotidianam applicationem pro Benefactoribus, in genere ad Festos tantummodo dies reducere* .-

Notandum hic est ex constitutionibus Collegiatæ Castri Franchi haud præscribi quotidianum Chorale servitium, sed certis tantum diebus, nimirum, ut referunt Canonici, et confirmat Episcopus - *in tutti i giorni Festivi, in tutte le Feste della Bma Vergine, in tutti i Venerdì dell' anno, nei quattro tempi, Rogazioni, Settimana Santa, e della sola Compieta in tutta la Quaresima* -. Quod si placet EE. Vestris applicationem in futurum Missæ Conventualis pro Benefactoribus præscribere, tunc quoad præteritum Canonicis bona fides suffragare videtur, quam ex Constitutionibus, et conformi observantia profluisse dubitari non potest.

Dubia erunt

I. *An, et quibus diebus, teneantur Canonici Castri Franchi ad applicationem Missae Conventualis pro Benefactoribus in casu etc.*

Et quatenus affirmative

II. *An sit consulendum SSmo pro absolutione quoad praeteritum in casu etc.*

Sess.25. Cap.4. de Ref.

SPOLETANA. Sanctissimi Sacramanti Societas Trebiensis in Spoletana Diœeesis postulavit, ut attenta redituum deficentia partialis concederetur suspensio Missarum. quæ ex diversis legatis in numero 424. annuatim celebrari deberent. Rogatus fuit Episcopus de sua sententia, utque transmissa notula onerum, et activo, ac passivo statu referret præsertim an expensæ essent reformandæ, et an reditus in posterum augeri possent. Votum suum pandidit Episcopus favore instantiæ referens certum esse redituum defectum in scutis viginti sex, et obul. 20. quolibet anno; onera, et expensas Divinum cultum respicientes diminutionem pati non posse; nec alium superesse medium, quam reductionem per decennium Missarum centum quinquaginta, ut ita interea temporis aucto Bonorum reditu Sodalitii Administratio refloresceret. *Nam* (ita retulit) *in bonis Societatis quamplurima paucis ab hinc anniślelioramenta facta sunt, quae circa decennii finem notabiliter fructus, reditusque augebunt, ac tunc oneribns subeundis pares erunt.* -

Cum inter caetera onera, quibus gravabatur Sodalitium, erat praestatio dotis Scut. 25. quolibet anno facienda ex haereditate quondam Sacerdotis Fedeli, de qua specialiter fuerat requisitus Episcopus; hinc ita de illa retulit - *De specifico annuo reditu haereditatis Fedeli nulla ratio haberi potest; bona enim pii hujusmodi Testatoris a nacta possessione permixte cum reliquis Sodalitii bonis administrantur, et unum cum istis indivisim constituunt Patrimonium, ex quo annualis, qui percipitur, fructus in scutis 230. circiter constitui potest, qui propterea comparatus cum impensarum notula impar invenitur supplendis oneribus* - Unde concludit - *Cum ergo de redituum defectu constet, cumque illi ad praesens augeri minime valeant, ac de caetero impensae non videantur minui posse, quin cultui Dominico detrahatur; una restat Missarum reductio decennalis, prout supra constituitur.*

Proposita hac instantia in Congregatione 8. Februarii præteriti anni rescriptum fuit - *Scribatur Episcopo pro nova Informatione, et referat, an existant, et cujus sint reditus fundi spectantes ad singula legata, et quae sint in specie expensae reformandae, et onera*

ra reducenda . - S. Congregationis mandatis obtemperans Episcopus hæc in nova Informatione habet sub die 20. Septembris præteriti anni - *Ad primum quod spectat Legatorum specialitatem , nihil in Archivio , nihil in hac Cancellaria , nihil alibi inveniri potuit , quod singillatim unicuique Legato bona tribuat annuatesque designet fructus . Agitur enim de re antiquata nimis , nec ideo aliter de ea actum apparet , quam si de uno eodemque ageretur Patrimonio . Omnis enim , quot quot extant codices dati , et accepti licet antiquitate praestantes unam confusim et admixtim omnium Legatorum administrationem exhibent . Non ergo in hac parte fas est aliquid ultra desiderare , quam quod in altera Relatione diei 25. Augusti 1816. exposui* .

Quod vero (Prosequitur idem Episcopus) *respicit alteram dubii partem , an scilicet sint expensae reformandae , et onera reducenda , respondeo , expensas reformationem minime subire posse , omnes enim , quae alias in transmisso statu recensentur , et moderationem praeseferunt , et necessitatem important . Onera reducenda , si quae forent , de Realibus res esset , utpote non levia , et multis distincta nominibus , ex quibus adamussim Sodalitii Aeconomĭa imminutionem tulit* .

Votis hisce meis plaudent ipsi Sodalitii Moderatores , qui iterum a me requisiti rem omnem non secus narrant in folio , quod censui transmittendum , ut eo magis agnoscant EE. PP. DD. aliud non esse in re effugium nisi favere petitae decennali Missarum reductioni - .

Iterum tunc postulata est vestra EE. PP. sententia proposita Causa in folio Congregationis diei 29. Novembris praeteriti anni, et placuit rescribere - *Dilata* - ut re maturius perpensa magis tutum redderetur judicium. Nunc igitur reproponitur Causa, inquisita diligentius factorum serie , e quibus aperte eruuntur tum deficentia temporanea redituum , quousque ope melioramentorum in Fundis augeatur annualis Introitus, tum non posse huic vulneri mederi per diminutionem expensarum, quae nequeunt reformari.

Sane probata deficientia redituum absque culpa illius,

 qui

qui ad Missarum celebrationem tenetur, S. Congregatio saepe saepius reductionem indulsit, ac praesertim *in Mantuana Reductionis Missarum 2. Junii 1742. et in Syracusana Missarum 15. Julii 1759.* Nam diminutis ita reditibus, ut impares sint ad ferenda onera super iis imposita, necesse est ut ipsa onera per reductionem minuantur. *Monacell. fosmul. Legal. 19. tit. 20. n. 25. Tamburin. de Sacrificio Missae Capit. I. n. 90.* S. Congregatio *in Portugalen. Reductionis Onerum 27. Augusti* 1796. Nec certe dubitari potest de redituum diminutione, de qua iterum, iterumque testatur Episcopus, quam confirmant Sodalitii Moderatores, quaeque ex transmisso statu activo, et passivo comprobatur.

At inquirendum esset num potius expensae, vel dos quotannis praestanda in scutis viginti quinque, vel demum Missae reductioni subjici debeant. Ex doctrina Benedicti XIV. de Synodo Diaecesano *lib. 3. Cap. ult. n. 23.* reduci debent alia onera potius quam Missae; et hanc sententiam semper sequuta est S. Congregatio, ut videre est *in Regien. Reductionis Servitii Chori, et Missarum 29. Julii 1775. in Urbanien. Reductionis Missarum 16. Februarii 1788. et in Romana Reductionis 7. Martii* 1803. Verum enim vero licet iterum excitata fuerit Episcopi diligentia, ut modum reformandi expensas proponeret, constanti assertione respondit, nullam eas pati posse reductionem, quin vel necessitati, vel divino cultui subtrahatur. Dos vero singulis annis extrahenda ex voluntate pii Testatoris praestanda erat in summa scutorum quinquaginta, quae postea per Transactionem ab hac S. Congregatione probatam de anno 1760. ad medietatem, scilicet ad scuta viginti quinque redacta est.

Ex his omnibus videant EE. PP. num Oratorum instantiae favendum sit.

Dubium proponitur

sit locus reductioni Missarum in casu etc.

Die Sabbati 7. Martii 1818. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua præter alia proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

ROMANA

I. *An, et quomodo sit consulendum SSmo pro absolutione in casu etc.*
II. *An, et quomodo sit concedenda venia pro acceptatione haereditatis, et respectiva erectione Capellaniarum in casu etc.*
III. *An sit Locus reductioni in casu etc.*

Sess. 25. cap. 4, De Reform.

Ad I. Dub. Affme facto investimento summæ superextantis ex Capituli scutorum 674. demptis scutis 215., quatenus erogata fuerint in celebrationem Missarum juxta fundationem Giannini sin minus cum obligatione celebiandi sumptibus **Oratricis** prædicta summa scutorum 25. tot Missas ad Manualem ad formem dictæ fundationis attenta compensatione Capitlais facienda ut in sequenti dubio.

Ad II. Affme cum onere erigendi tot Cappellanias ad taxam perpetuæ comprehensis utensilibus, aucto Capitali ex fructibus bimestrium non solurum.

Ad III. Provisum in Tecundo.

SANCTI MINIATIS VISITATIONIS SS. LIMINUM

I. *An, et quibus diebus teneantur Canonici Castri Franchi ad applicationem Missae Conventualis pro Benefactoribus in casu etc.*
II. *An sit consulendum SSmo pro absolutione quoad praeteritum in casu etc.*

Sess. 23. cap. 1. de Reform.

Ad I. Affme omnibus diebus Coralis Officiaturæ
Ad II. Affme celebrata unica Missa cum cantucum interventu omnium pro præteritis omissionibus.

SPOLETANA

An sit Locus reductioni Missarum in casu etc.
Dilata

Sess. 25. cap. 4 dc Reform.

BENE-

Sess. 23. Cap. I. de Reform.

BENEVENTANA. Canonicatum in Metropolitana Ecclesia obtinuit anno 1800. Sacerdos Aloysius Coppola, per Apostolicam collationem, quam præcesserat Commendatio Ordinarii, qui nonnullis retro annis eum in suum Generalem Auditorem in Spiritualibus et temporalibus elegerat. Servitium Chorale suæ præstitit Ecclesiæ usque ad exitum mensis Septembris anni 1806, quo tempore obtinuisse ab Archiepiscopo veniam ad duos menses duraturam accedendi ad Urbem *pro nonnullis honestis negociis ibi peragendis* constat ex litteris die 25. ejusdem Mensis ab Ordinario obsignatis. Dum moram hac in Urbe trahebat, auctorante Summo Pontifice ab Emo Sacræ Disciplinæ Præfecto tunc clarissimæ mem. Card. Pignatelli obtinuit, ut inter Coadjutores a Secretis ejusdem Congregationis cooptaretur, utque hujusmodi muneris causa *a residentia, et Chorali Servitio ad triennium dispensaretur; ac omnes, et quoscumque fructus, et distributiones sui Canonicatus percipere posset; perinde ac si Choro, et Divinis Officiis personaliter interesset.* Hoc Rescripto diei 17. Martii 1807. prælaudatus Card. Præfectus sibi reservavit facultatem Indultum prorogandi, elapso etiam triennio.

At nondum elapso Triennio occupata ab hostibus Urbe, ejectisque in exilium omnibus Ecclesiasticis, qui Usurpatoris partes sequi constanter renuerant, Canonicus Coppola coactus est Beneventum remeare in exitu anni 1808., ibique moratus est usque ad mensem Junium anni 1814., quo favente Deo ad Petri Sedem restituto PONTIFICE OPTIMO MAXIMO iterum sese Romam contulit. Hoc supra quinquennii tempore præstiterit, nec ne, Canonicus Coppola laudabile Ecclesiæ suæ servitium plurimum disputant, nec certe pacatis animis, ex una parte Capitulum incusans illius negligentiam ex allato *Punctaturarum* elenco, ex altera parte Canonicus allegans modo adversæ valetudinis, modo conscientiæ causam abessendi a Choro in diebus præsertim Solemnioribus.

Id certum in facto est, quod reditus Canonicatus positi sunt sub Sequestro (quin notum sit quo auctorante id actum fuerit) a tempore prælaudati Indulti us-

usque ad præsens, et nonnisi illorum pars Aloysio Coppola traditi sunt; ex quo ortum duxere plurimæ illius conquestiones apud SSmum, qui eas die 28. Septembris 1815. remisit - *A Monsig. Segretario del Concilio, con le facoltà necessarie, ed opportune* - Exquisitum tunc est Emi Archiepiscopi votum, utque Audito Capitulo in scriptis referret *de causa denegntae exequutionis Indulti, et de legitima Oratoris causa non inserviendi post reditum ad residentiam*. Quid senserit Emus Archiepiscopus, quid Capitulum habent EE. Patres in utroque *Summario* a Partibus distributo.

Tunc iterum Canonicus Coppola iteravit preces, ut absque Judicii strepitu res omnis componeretur, et potissimum ut per modum provisionis, et ad sublevandam suam indigentiam cogeretur Capitulum ad solvendum scuta quingentum ex reditibus sui Canonicatus, quos penes se retinebat; cui instantiæ rescriptum est sub die 13. Januarii 1816. *Lectum ad instantiam, et scribatur Archiepiscopo, qui mandet Oratori consignari fructus omnes, et distributiones quotidianas sui Canonicatus decursas a die* 17. *Martii* 1807. *ad diem* 29. *Octobris* 1808. *bonificatis tamen solutionibus in eamdem causam jam ab Oratore perceptis, et in reliquis procedat contra Oratorem prout, et quatenus de Jure ad formam SS. Canonum, et S. Concilii Tridentini*.

Fortasse ad impediendam hujus decreti exequutionem appositum est ex parte Capituli de more - *nihil transeat* - unde concordatis Dubiis, quæ inferius proponuntur, dies indicta est certamini, distributis hinc inde allegationibus, ex quibus EE. Patres colligent rationum momenta, quæ ab una, alteraque Parte afferuntur. Breviter nonnulla addam, ut facilius, quæ nimium concitatis animis disputantur, suo restituantur lumini, atque ita tutius, ac rectius ferri possit judicium.

Duo sunt absentiæ iempora, de cujus legitimitate quærendum est sub primo Dubio. ALTERUM a primo discessu a residentia, idest exeunte mense Septembris 1806. usque ad Canoniei Coppola reditum Beneventum circa finem anni 1808., ALTERUM ab ejus regressu ad Urbem in mense Junio 1814. usque ad præ-

præsentem diem. Quoad *primum* jus suum tuetur Canonicus Coppola tum discessu Archiepiscopi, tum Pontificio Indulto, quo ipsi data est abessendi facultas cum perceptione omnium fructuum, et distributionum, ac si Choro, et Divinis officiis interfuisset, unde concludit per injuriam non sibi soli, sed magis Pontificiæ auctoritati retentos fuisse sui Canonicatus reditus. Nihil contra Ordinarii licentiam opponit Capitulum, sed plurimas excitat turbas contra Apostolicum Indultum, tum quia nunquam exhibitum fuit Curiæ Archiepiscopi, ut exequutoriali decreto firmaretur; tum etiam quia nullum sit utpote infectum vitio obreptionis, ac subreptionis ex falsa causa infirmæ valetudinis.

Hic tamen præmonendam videtur rem de Apostolico Indulto, contra quod ob debitum S. Sedi obsequium, et obedientiam insurgere non licet sub quovis etiam obreptionis, et subreptionis prætextu, nisi obtenta prius de eo obloquendi facultate ad *Text. in Cap. Si Capitulo, et ibi gloss. verb. exequatur de concess. praeben. in* 6. Negant vero Canonici Defensores necessarium fuisse decretum exequutoriale in Indulto, quod non *in forma commissaria*, *sed in forma*, quam dicunt *gratiosa* concessum fuit; Hoc enim in casu absolutæ concessionis nihil aliud ad gratiæ complementum requiri statuit *Rota cor. Seraph. decis* 338. *num.* 2. *et coram Olivatio decis.* 700. *num.* 12.

Causam vero infirmæ valetudinis nec falsam esse, cum de ea testimonium perhibeant Medici: nec quidquam ad gratiæ validitatem conferre, cum ea non ob adversam valetudinem, sed correspective ad servitium S. Sedi præstandum in S. Congregatione Disciplinæ Regularis concessa fuit his verbis – *Oratorem inter coadjutores a Secretis praefatae nostrae Congregationis admittimus: atque ex hujusmodi Causa a personali residentia Canonicatus penitus absolvimus, et dispensamus*.

In hoc primo temporis spatio notandum est, ne in aliquo videar meo muneri defecisse, quod discessus ab Archiepiscopo obtentus ad duos menses tantum protendebatur, nimirum ad totum mensem Novembris 1806. et primum Rescriptum, quo Canonicus inter

coad-

coadjutores a Secretis cooptatus est, diem 26. Februarii 1807. præsefert. Videant EE. PP. an habenda sit ratio trimestris, quod intercessit.

ALTERUM absentiæ tempus, quod initium ducit a mense Junio anni 1814. illigetimum dicit Capitulum quia nec intercessit Ordinarii licentia, nec lis contra Capitulum agenda justam suppeditabat Causam *Rota cor. Seraph. dec. 426. num. 1. et in Recent. dec. 689. num. 2. part. 3.* E contra novi discessus excusationem petit Canonicus Coppola ex prudenti metu, ne quid cogeretur pati contra conscientiam, suamque libertatem ab injusto occupatore Beneventi: ex necessitate adeundi S. Sedem, ut sua jura super Præbendæ reditu vindicaret; ut que adversæ semper valetudini prospiceret. Affert quoad legitimam metus causa absentiam S. hujus Congregationis Resolutiones in *Reatina Fructuum, et Distributionum 19. Augusti 1815. et in Ferentina Fructuum, et Distributionum 2. Decembris ejusdem anni.*

Urgentem vero necessitatem abessendi non defuisse autumant Defensores Canonici juxta præscriptum in Tridentina Synodo *Sess. 23. cap. 1. De Reform.* quia injuste denegata Fructuum Canonicatus perceptione coactus fuit apud Sedem Apostolicam sua vindicare jura, ne fame periret: unde colligunt justam absentiæ causam; licet non accesserit Ordinarii licentia, itaut nequeat reditibus suæ Præbendæ privari. *Barbos. de Canon. cap. 24. num. 26. Rota in recent. decis. 117. num. 17. part. 15. et cor. Seraph. dec. 1098. n. 5.*

Ac tandem hanc urgentis necessitatis legitimam causam confirmant ex titulo infirmæ Canonici valetudinis, et inimici ejus saluti aeris Beneventani. Certe ob adversam valetudinem Canonicum excusari a Choro, et residentia, præsertim cum ea causatur ab aeris intemperie, censuit S. Congregatio *in Vercellen. Servitii Chori 5. Iunii 1790. et in Casertana Indulti Abessendi 16. Decembris 1797.*

Hæc quoad *primum Dubium*: quo vero ad *Secundum* postulat Capitulum; ut Canonicus Coppola quibuscumque fructibus, et distributionibus privetur pro toto absentiæ tempore. Nam distributiones, quæ dicuntur inter præsentes, vetitum est lucrari ab absen-

tibus contra voluntatem Fundatorum S. Congregatio *in Mantuana Jubilationis 16. Martii 1737.* Inter has præcipuum habet locum legatum relictum, ut ajunt, ab Archiepiscopo Orsinio cum onere recitandi in Choro Officium B. M. Virginis, adjecta lege ut inter Canonicos præsentes, et Choro inservientes dividatur emolumentum, atque id præsertim locum habere debeat in casu, in quo cum non constet de legitima absentia Canonici Coppola, nequeat ille tum legatum Orsini, tum alias quotidianas distributiones vindicare. Addunt insuper reliquis etiam Canonicatus fructibus Canonicum esse privandum, quia diuturnissime ultra etiam Triennii tempus, abfuit a Choro, et residentia, ut post Sac. Tridentinum Concilium *in Sess. 24. cap. 12. de Reform.* tradit Rota *in Recent. decis. 1. num. 11. part. 4.*

E contra Canonici Coppola Defensores contendunt omnes deberi tam ordinarios, quam extraordinarios Præbendæ fructus quia aut præsens in Residentia Choro, et Divinis officiis interfuit, aut absens a Pontificio Indulto tuetur, et postea ex legitima causa residentiam ad tempus deseruit. Ut in hac disputatione facilius rei veritas, et recta judicandi aperiatur via, distinguenda sunt tempora. In primo tempore, nimirum a primo discessu usque ad reditum de anno 1808. venia Canonico Coppola facta est discedendi ab Archiepiscopo ad duos Menses, et postea ejus favore superaccessit Pontificium Indultum ad triennium, in quo ita cautum - *ut quamvis in posterum non inserviat, nihilominus omnes, et quoscumque fructus, et distributiones sui Canonicatus percipere possit, et debeat in vim praesentis Indulti, perinde ac si Choro, et Divinis Officiis personaliter interesset, contrariis quibuscumque non obstantibus* -. Videant EE. Patres utrum appositæ clausulæ quascumque distributiones complectantur, ac etiam eas quæ proveniunt ex legato Orsinio, cujus fundationis exemplar non affertur.

Quoad tempus Residentiæ ab exitu anni 1808. usque ad mensem Junium 1814. profert Capitulum in suo *Summario* Punctaturarum elencum, ex quo constat Canonicum servitio defuisse ut plurimum ob adver-

sam

sam valetudinem, quibusdam vero diebus nulla allata Causa, idque contigit in diebus præsertim solemnioribus; qua in re vestrum erit EE PP. judicare an id vitio verti debeat, quasi ex irrationabili causa Ecclesiam deseruerit; an potius laude sit dignus, quia, ut ipse narrat, a Chorali servitio abstinuit iis diebus, in quibus vetitæ preces divinis miscebantur.

Tandem in tertio temporis spatio a Junio 1814 ad hanc usque diem producto nititur Coppola bonæ fidei, qua putavit, restituto Pontificio Regimine, reviviscere Indultum, quo concessa ei fuerat abessendi facultas, ut suam præstaret operam Sac. Congregationi Disciplinæ Regularis; nititur etiam urgenti necessitati adeundi S. Sedem, ut jura sui Canonicatus vindicaret, ut propriæ substentationi provideret; utque a Capituli aggressionibus sese tueretur, cum illius nomine supplici ejus libello appositum fuerit *Nihil transeat*.

Dubia proponuntur

I. *An, et pro quo tempore constet de legittima absentia Canonici Aloysii Coppola ab insigni Ecclesia Metropolitana in casu etc.*

II. *An, et qui fructus, Canonicalesque distributiones, et pro qua quantitate debeantur in casu etc.*

Ad I. Affirmative a die 25. Septembris ad diem 25. Novembris 1806., et a die 17. Martii 1807, ad diem 29. Octobris 1808. tantum.

Ad II. Affirmative, quoad omnes fructus præbendæ huc usque decursos, quo vero ad distributiones a die 17. Martii 1807. ad diem 29. Octobris 1808. exceptis iis, quæ ex Fundatorum Lege inter præsentes tantum dividi debent, et ad D. Secretarium cum SSmo ad mentem.

JANUEN. PRIVILEGII. *Sess. 22. Cap. 1. et 5. de Sacrificio Missae.*

Præsentis Controversiæ, quæ inter Sodalitium Mortis nuncupatum in Claustris S. Donati Januæ erectum, ac Curiam Episcopalem viget, originem noscant EE. Patres, prænotandum in facto est, Emum inclytæ illius Civitatis Archiepiscopum cum noverit - *che in alcuni Oratorj, ed in qualche Chiesa della Città nel giorno della Feria Quinta in Coena Domini si celebra-*

no Messe Basse contro i replicati decreti della Sacra Congregazione de' Riti, e più Editti publicati dai Romani Pontefici - die 19. Martii anni 1809. mandasse, ut in prædicta Feria quinta nullum præter Parochiale, et Conventuale fieret Sacrum. Comminata est inobedientibus pœna his verbis - *E se mai qualche incauto Sacerdote osasse, il che non vogliamo credere, di celebrare in detti giorni la Messa privata in qualunque Oratorio, o Chiesa, sappia il medemo, che severamente procederemo contro dello stesso con la sospensione anche a Divinis, e puniremo inoltre il Sagrestano, o custode della Chiesa, o dell' Oratorio, in cui celebrasse la Messa*. Inter illius Civitatis Oratoria extat illud ad prædictum Sodalitium spectans, in quo ab antiquissimo tempore plura in Feria quinta Majoris Hebdomadæ celebrata sunt Sacrificia. Id ipsum, non obstante Ordinarii Notificatione, eodem anno, ac duobus sequentibus actum est. Nam anno 1809. in Feria quinta, quæ contigit die 10. Martii, quinque Missæ, anno 1810. sex, ac anno 1811. quinque pariter Missæ sunt celebratæ. Ab hoc tempore intercepta Archiconfraternitatis fuere pia Opera usque ad annum 1814. ob notissimas Rerum publicarum vicissitudines. Anno 1815. restituta pace Confratrum Pietas vetera triennio intermissa instauravit Sodalitii exercitia, et quatuor privata Sacrificia in feria V. ante Pascha celebrata sunt; quin umquam ab Ecclesiastica Januensi auctoritate (sive sciverit, sive ignoraverit Missarum celebrationem ignoratur) in Sacerdotes celebrantes animadversum sit. Anno vero 1816. Vicarius Generalis Emo Archiepiscopo absente Spiritualium Exercitiorum salutari pœna plectendos censuit Sacerdotes, qui contra Episcopi præscriptum superius relatum hoc anno celebrarunt.

Suo privilegio, suæque vetustissimæ possessioni vulnus inflictum ægre ferens Sodalitium Summum Pontificem adiit, suique privilegii titulum, viridemque, in qua autumat, vigere observantiam exponens, sarctum, tectumque illud a Vicarii Generalis ausu servari suppliciter postulavit. Re Sacræ huic Congregationi ablegata exquirere in primis Vicarii Generalis Sententiam haud prætermisi. Hic ut gestorum a se ra-

rationem redderet Emi Archiepiscopi jussa Sacris Canonibus consona allegavit, de Sodalitii, non minus quam celebrantium Sacerdotum spretu conquestus est, et assertum privilegium plures Missas celebrandi contra vigentem Ecclesiæ disciplinam in feria V. Majoris Hebdomadæ numquam exhibitum fuisse, aut exhiberi posse affirmavit.

Interea temporis Nobile Sodalitium præter monumenta, ex quibus privilegium ipsum derivare putat, Canonistarum insuper ac Theologorum suffragia pro privilegii existentia, ac vigore exhibuit, nec non Allegationem quæ omnia tum facti, tum juris articulos expendit pro privilegio Archiconfraternitatis de Christiana republica benemeritæ vindicando distribuit, ex qua quæ sunt majoris momenti excipiam, addamque pro meo munere, quæ ad rectam hujusce Controversiæ definitionem perducant.

A Centenaria, ac immemorabili observantia privilegium petit Sodalitium, et non solum ex ea meliorem praesumi titulum contendit, sed illum etiam luculenter interpretari, ac tanquam firmissimo praesidio fulciri. Observantia quidem negari non potest; Elenchus enim in authentica forma exhibetur Sacerdotum, qui in Feria V. Majoris Hebdomadae in Oratorio Sodalitii per 126. annos nunquam interrupta serie, scilicet ab anno 1685. ad annum usque 1811. celebrarunt. Ante vero annum 1685. propter Archivii ruinam memorias deperditas fuisse contenditur, unde longioris observantiae probationes erui possent. Sed ex annosis testibus cum Glossae requisitis haec observantia confirmatur.

Haec autem longissimi temporis observantia, quae univocis, conformibusque actibus constituitur, et cui confirmationis robur accedit ex fide Testium cum notissimis requisitis Glossae deponentium, plurimi facienda est, ita ut aequipolleat etiam immemorabili. *Rota in Recent. decis. 321. num. 13. part. 9. coram Riminaldo, decis. 264. num. 9. et in Romana, seu Camerinen. Decimarum 1757. §. 7. coram Canilliac.*

Ut autem Sodalitii Defensores magis hanc observantiam confirment, proferunt etiam titulum petitum ex Sodalitii aggregatione Ordini Sanctissimae Trinita-

tatis, et Redemptionis Captivorum usque ab anno 1638. cui plurimae superaccesserunt confirmationes sequentibus annis. Ex innumeris pene Privilegiis, quibus tam inclytus Ordo, et tam de humanitate benemeritus donatus fuit ab Apostolica Sede, quae privilegia late, et docte illustrat Auctor Allegationis, prae primis habendae sunt Constitutiones Summi Pontificis Clementis VIII. in quarum prima edita anno 1592. probatur consuetudo tunc temporis vigens usque ab immemorabili tempore *absolvendi, et benedicendi in diebus S. Catherinae V. et M. et Cinerum, et Coenae Domini tam religiosos, quam Saeculares in Ecclesia praesentes, et genuflexos post confessionem a Sacerdote coram omnibus recitatam*. In altera vero Constitutione anni 1602. praedictae absolutioni participatio Indulgentiarum substituitur quadam formula perficienda, ac Confratribus, et Consororibus Ordini supradicto aggregatis pariter communicanda.

Notissima vobis est EE. Patres vetus Ecclesiae disciplina, qua in Feria V. et VI. Majoris hebdomadae absolutio concedi solebat, et publici Poenitentes reconciliabantur. Hinc in praedicta Feria V. tres celebrabantur Missae, *quarum una erat pro Poenitentibus reconciliandis, secunda pro Sacris Oleis benedicendis, tertia denique in memoriam instituti a Christo Domino Eucharistiae Sacramenti*. Ut refert Benedictus XIV. *de Festis lib. 1. cap. 6. num. 68.* quae quidem disciplina circa initium Septimi Ecclesiae Saeculi immutata est, et tres ad unam tantum Missam redactae, in qua triplices illae sacrae functiones translatae sunt ex *Sacramentario* Divi Gregorii Magni.

Hinc arguunt Sodalitii Defensores, quod cum ex veteri privilegio concesso Ordini Sanctissimae Trinitatis a Clemente VIII. anno 1592. data fuerit facultas absolvendi in Feria V. in Coena Domini, qui ritus a Sacerdote Missam celebrante explebatur; ita cum posteriori Constitutione ejusdem Pontificis de anno 1602. absolutioni subrogata fuerit participatio Indulgentiarum certa statuta formula facienda, dicendum videtur hoc etiam intra Missae Sacri-

crificium explendum esse. Quocirca longaeva Sodalitii observantia fulcitur *Titulo Privilegii*, de cujus communicatione dubitari non sinunt Summorum Pontificum superius indicatae Constitutiones, et Decretum S. Congregationis Episcoporum, et Regularium anni 1694., quo ab attentata Aggregationis revocatione sodalitium vindicatur sub hac Rescripti formula - *Attenta relatione Archiepiscopi Januensis, et oretenus audito moderno Procuratore Generali praesenti Ordinis Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum censuit, ac decrevit praevia suspensione assertae revocationis aggregationis factae a P. Generali ejusdem Ordinis deducenda esse per partes jura sua super meritis in eadem S Congregatione*. -

At postrema hujus Rescripti verba observanda proponit in sua Informatione Vicarius Januensis; *cum enim*, ait, *neque prosecuta, neque resoluta appareat dicta instantia; hinc inutiliter dictam Resolutionem in medium Fratres proferunt, cum exitus Resolutionis super meritis prorsus ignoretur*. Illud vero in universum urget idem Vicarius privilegia quaecumque Ordini Redemptionis Captivorum concessa ab eoque quantavis extensione Sodalitiis communicata nullam, prorsusque nullam mentionem facere de facultate in Feria V. celebrandi. Nulla hinc, corruente titulo, exurgere potuisse consuetudinem dici posset numeris omnibus probatam, celebrandi Missas contra generalem nunc vigentem disciplinam, contra Episcoporum jussa, qui ejusdem disciplinae custodes esse debent, ac vindices, ac contra Pontificias Leges, quibuscumque consuetudinibus derogatorias. In Feria enim V. in Coena Domini non posse ullo modo, et a quocumque celebrari Missam privatam patet ex dec. S. Rit. Congregationis, et Clem. XI. die 20. April. 1707., ac ejusd. Pontificis vivae vocis oraculo 8. Aug. 1713., ac ultimo demandato ejusd. 1719., ut videre est *in collection. decretor. S. Rit. Cong. decret.* 1513.

Horum decretorum vim effugere conatur, qui Sodalitii jura tuetur, ex eo praecipue, quia post decretum Clementis XI. anno 1712. editi nova superac-

ces-

cessit centenaria quasi possessio, et exercitium privilegii, quod caeteroquin oneroso titulo quaesitum sub generali revocatione venire non poterat. Titulum vero onerosum deducit ex apposita Aggregationi conditione, ut Confratres tum in prima adscriptione, tum quotannis certam eleemosynam representare tenerentur a Cappellanis colligendam, et Procuratori Ordinis tradendam in Captivorum redemptionem. Sive igitur inspiciatur longissimi temporis lapsus post prohibitiva decreta, unde potius confirmatur, hanc generalem prohibitionem non affecisse Sodalitii privilegium; sive qualitas inspiciatur onerosi, et correspectivi Tituli, videtur Privilegium sarctum, tectumque manere, prout per non interruptam centum annorum seriem post etiam generalem prohibitionem exercitum fuit. *Fagnan. lib. 2. decret. 2. 3.* Rota *in Ferrarien. Exemptionis 29. Februarii 1796. num. 6. coram Emo de Bayane*. Praesertim cum res non sit, quæ in abscondito ageretur, ita ut Praesulum Januensium vigilantiam effugere posset, sed agebatur de Missis, utcumque Privatis, quae celebrabantur in Publico Oratorio, singulis annis, in die solemniori, et confluentibus Confratribus, et Consororibus Sodalitii. Hoc in casu nequit superiorum ignorantia presumi, imo potius ex illorum silentio, ac tollerantia tacita induci posset approbatio. Quod si Eminentissimus Archiepiscopus die 19. Martii 1809. hanc prohibitionem per notificationem Typis impressam renovavit - *essendo Noi stati appieno informati, che in alcuni Oratorj, ed in qualche Chiesa della Città nel giorno della Feria quinta in Coena Domini si celebrino messe basse* - quin specialiter de privilegio sodalitatis mentionem fecerit, videtur inde sequi, ut sciverit privilegium, et noluerit illi vim facere; praesertim cum post latam legem eodem anno, et biennio post, nimirum usque dum a suis piis exercitiis cessare Sodalitas coacta est, in sua quasi possessione plures celebrandi Missas permansit; ut notant *Less. lib. 2. de just. et jure cap. 6. num. 45. Pirringh. in jus Canon. lib. 1. titul 4. num, 34. Reiff. est: cod. lib. 2. num. 93. et 94.* et magis praecise *Gonzalez in lib. 3. decret. tit. 41. de celebrat. Missae sub. n. 4.*

Ne

quid in praesenti definienda controversia desit ad…um exempla, quae diligenti perquisitione inveniri potuerunt. S. Rituum Congregatio *in Nullius Nonantulae diei* 11. *Martii* 1719. gratiam pro Missa privata in feria quinta in Coena Domini indulsit, quam ita refert *Ferrar. in collect. Decret n.* 896.

Cum Tertiariae Ordinis Cappuccinorum Terrae Fani Dioecesis Nonantulae, ob nondum constructam eorum Ecclesiam, Missam in una Cappella Parochioe audire soleant, cumque feria V. majoris hebdomadae in eadem capella Missa solemnis celebrari nequeat; propterea pro facultate, ut ultra Missam Parochialem in altari Majori decantandam alia privata in memorata cappella, ad spiritualem ipsarum consolationem celebrari possit, S. R. C. enixe supplicarunt, et eadem S. Congregat. attentis circumstantiis, Oratricibus gratiam petitam concedendam esse censuit quibuscumque Decretis in contrarium non obstantibus.

Apud hanc S. Congregationem die 14. Martii 1795. disputatum est an liceret moderatori Coenobii S. Dominici Bononiae ex immemorabili consuetudine celebrare Missam antelucanam in feria quinta in Coena Domini pro Devotis Sanctissimi Rosarii. Exquisitus de sua sententia Eminentissimus Archiepiscopus retulit [illegible] Patrum constare de immemorabili consuetudine, a qua praesumi posse autumabat privilegium Apostolicum, cujus deperditae sint litterae; fuitque in voto, ut concederetur gratia, *quae divino cultui, et Beatissimae Virginis devotioni, atque adeo Populi aedificationi, solatioque spirituali maxime inservit.* Contra hanc consuetudinem nedum afferebantur Summorum Pontificum generales prohibitiones celebrandi Missas privatas in predicta Feria V. Sed insuper Edictum a Benedicto XIV. latum in ipsa Bononiae Civitate, dum ille illius Cathedram tenebat, quo renovata hac prohibitione contra refractarios Sacerdotes poenam quoque suspensionis indixerat.

Hæc autem habet illius diei folium - *De legibus agitur Ecclesiasticae Disciplinae, ad quas praescribendas sufficit* 40. *annorum observantia; eoque magis* *id-*

idcirco prescripta videri posset in praesenti casu per consuetudinem immemorabilem. Quin observantiae hujusmodi Benedictionum obstet Edictum, quum de praeexistenti consuetudine in Ecclesia S. Dominici nullam fecerit mentionem. Neque vera si Dominicani ea non obstante prohibitione in veteri continuarent usu, quem Pontifex ille ignorare non praesumitur, haec ipsa profecto tollerantia ad tacitam trahi posset Adprobationem. Notanda denique finalis Causa, cur Sacrum Privatum sub auroram feriae V. Majoris Hebdomadae in Ecclesia S. Dominici peragi consueverit, ad fovendam scilicet Populi pietatem erga Deiparam Sanctissimi Rosarii; quae sane circumstantia consuetudinem ipsam rationabilem ostendit, eamque cum legitima praescriptione conjunctam adprobat. Opportunum vero Sacrum illud censet Eminentissimus Archiepiscopus devotioni erga Deiparam Sanctissimi Rosarii, ne Populus hoc spirituali solatio in futurum privetur.

Post haec aliaque fuse, docte ac erudite relata in praelaudato Folio, proposito Dubio - *An Promotori pro tempore Devotionis Sanctissimi Rosarii permittenda sit celebratio Missae lectae sub auroram feriae V. in Coena Domini Civitatis Bononiae in casu etc.* Rescriptum fuit - *Affirmative, et ad Dominum Secretarium cum Sanctissimo* -.

Vestrae nunc erit Sapientiae Eminentissimi Patres deliberare quid respondendum sit.

Dubiis, quae proponuntur.

An constet de immemorabili consuetudine celebrandi Missas privatas in Feria V. in Coena Domini in Oratorio Archiconfraternitatis Mortis erectae in claustris S. Donati Januae; ita ut, et pro quo numero Missarum eadem Archiconfraternitas manutenenda sit in exercitio hujus privilegii in casu etc.

Et quatenus Affirmative.

An Sacerdotes celebrantes in Feria V. in dicto Oratorio Archiconfraternitatis incidant in suspensionem inflictam ab Eminentissimo Archiepiscopo in casu etc.

Dilata, et scribatur Eminentissimo Archiepiscopo, qui præfigat terminum Promotori Fiscali ad deducendum jura sua in S. Congregatione.

RO-

ROMANA CAPELLANIAE - Proposita, definitaque fuit haec causa die 15. Julii anno 1816. Varias, quas post editam a S. Congregat. resolutionem, subiit vices haec causa narrantur in Allegatione pro Sodalitio Sacrarum Plagarum Vobis distributo. Cum enim praememoratae Vestrae Resolutioni executionem A. C. Tribunal de more impertitum fuerit suspensivam appellationem, quae ex adverso est Theresia Fiori *a Signaturae justitiae loco gratiae* impetravit. Ab hac prodiit Rescriptum *de causis non retardata executione rescripti*. Illud contra vero perpetuam praxim obtentum a foemina, ut ad Sacram Rotam causa ablegaretur, deletum est ab R. P. D. Sanctissimi Auditore, qui firmo remanente Signaturae rescripto causam ad ipsam hanc S. Congregationem remisit, atque hodie vadimonium deserente Theresia proponitur. Rogantur EE. VV. reassumere folium diei 25. Maii 1816.

Sess.25. cap.7. de Reform.

Dubium erit

An constet de Rejudicata, seu potius de Causis Restitutionis in integrum in casu etc.

Dilata ad sequentem omnino, et infallanter.

TYBURTINA PAROCHIARUM - Sub triplici dubiorum formula proposita fuit haec Causa in Congregatione diei 30. Augusti elapsi anni, et informante Comunitate Castri Madamae tantum definita fuit. Dubia haec erant:

Sess.14. cap.2. Sess. 24. cap. 13. de Reform.

I. An, et quomodo sit standum, vel recedendum a decisis sub die 16. Junii 1792. in casu etc.

II. An, et quomodo sit locus divisioni Animarum, ita ut sit erigenda Ecclesia S. Laurentis Martyris Castri Madamae in novam Parochiam,

chiam, et ad eamdem sit transferendus alter ex duobus Parochis in casu etc.

III. An, et quomodo Novae Paroeciae, et jurium Parochialium exercitium sit tribuendum actuali Vicario Curato superstiti in casu etc.

Rescriptum vero est ad I. Dubium - *Recedendum a decisis ut in sequenti* - Ad II. - *Affirmative in omnibus facta divisione Populi per confinia, assignatis novo Parocho pro congrua reditibus Vicariorum, et incertis Stolae et Episcopus curet ante erectionem compleri smnia necessaria quoad Ecclesiam, Domum Parochialem, et Turrim Campanariam, reservato favore Ecclesiae Matricis aliquo signo honoris ab eodem Episcopo praefiniendo* - Ad III. *Affirmative per Bullas, facto verbo cum Sanctissimo* - Hujus postremi dubii resolutionem probavit Sanctissimus in Audientia diei 3. Septembris praedicti anni.

Tunc iterum audiri postulavit Archipraesbyter Giustini, at statuta hac definitioni die nihil mihi exhibuit, forsitan postulaturus novae dilationis beneficium. Ex parte vero Communitatis rogantur EE. VV. reassumere praeteritas allegationes, et probatio exhibetur adimpletas jam fuisse a Communitate conditiones, quas Eminentissimi Patres in resolutione secundi dubii praescribere sapienter duxerunt.

Si dignentur EE. VV. folium diei 30. Augusti praeteriti anni reassumere facile definire poterunt dubium.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc.

Dilata, ad sequentem omnino, et infallanter.

NE-

NEPESINA. Sacerdos Mattheus Pugliesi Nepesinae Cathedralis Canonicus ob expletum laudabile quadragenarium servitium Jubilationis indultum ab hac S.Congregatione obtinuit usque a die 1. Septembris 1809. solitis adjectis in decreto conditionibus - *ut quamvis in posterum non inserviat, fructus nihilominus omnes, et distributiones quotidianas sui Canonicatus percipere valeat, ac si choro, et divinis officiis personaliter interesset* - Nihil in eo decreto adjectum est de conditione quam praecedens resolutio capitularis proposuerat, nimirum - *con questo però, che sia obbligato soddisfare per seipsum, vel per alium Canonicum tutti gli obblighi Capitolari di Turno, cioè prima Messa, e Messa Cantata, altrimenti non goda delle Distribuzioni Capitolari.*

Sess. 24. *Cap.* 12. *de Reform.*

Reapse a die obtenti Indulti Canonicus Pugliesi Missas Conventuales, vel per se ipsum, vel per alium celebravit, ut fatetur in novis precibus, quibus postulat tum redintegrationem eleemosynae pro Missis Conventualibus huc usque celebratis, tum liberationem ab hoc onere in futurum cum participatione *Fallentiarum*, ac si Choro, et divinis officiis interesset. Rogatus de sua sententia Cl. Me. Cardinalis Episcopus, utque audito Capitulo referret de illius Ecclesiae Constitutionibus, et de consuetudine, a quovis ferendo voto abstinuit, nihil de Ecclesiae Constitutionibus retulit, ac demum quoad consuetudinem novam Capituli Resolutionem plenis suffragiis Oratori contrariam, aliasque resolutiones ejusdem Capituli in similibus casibus editas transmisit.

Oratoris instantiae pro exemptione a celebratione Missae Conventualis favet Indultum ab hac S.Congregatione obtentum usque ab anno 1809., in quo de hoc imponendo onere nulla fit mentio. Regula autem juris est, ut quaelibet conditio, praesertim quae onerosa sit, non censeatur apposita, nisi expressis verbis fuerit adjecta. Rota *in Romana Donationis* 28. *Januarii* 1757. *coram Bussio*. Urget etiam quod neque praesumi potest eam appositam fuis-

fuisse conditionem quae cum ipsa gratia pugnaret, eamque saltem in parte destrueret, irritamque redderet. Nam cum Missa Conventualis sit pars Coralis officii a quo dispensatur Canonicus, qui ob laudabile quadragenarium servitium Jubilationem promeruit, sequeretur ut ex parte exemptus, et ex parte obnoxius esset servitio, si Missam Conventualem celebrare, vel illius eleemosynam solvere teneretur. Ita statuendum censuit S. Congregatio *in Senen. Celebrationis. et Applicationis Missae Conventualis* 12. *Maii* 1759.

Eadem rationum momenta opitulantur Oratori, ut lucretur distributiones, et *Fallentias* licet non intersit Choro, et Divinis officiis. Id enim expressis verbis conceditur in formula decreti jubilationis, quam semper retinuit S.Congregatio, et quam pariter adhibuit in Indulto Canonici Pugliesi, quam superius retuli. Nec certe inveterata haec praxis ratione vacat. Nam cum censeatur Ecclesiae per gloriam inservire, qui post diuturnum servitium senio confectus ex Summi Pontificis indulto quiescit ad instar veterani militis; justitiae, et aequitati consonum est, ut fructum omnium, ac distributionum compendio donetur S. Congregatio *in Viterbien.* 26. *Augusti* 1628. *in Romana* 13. *Maii* 1651. *et in Aquipendien.* 13. *Martii* 1697.

At enim appositam reapse fuisse conditionem contendit Capitulum, statimac in illius resolutione, quae Indultum praecessit, nec libere suum praestitit assensum Oratoris postulationi, sed cum obligatione satisfaciendi per se ipsum, vel per alium Canonicum - *tutti li obblighi Capitolari di Turno, cioè prima Messa, e Messa Cantata, altrimenti non goda delle distribuzioni Corali* - Si ergo Canonicus Pugliesi hac fretus Capitulari resolutione apud S.Congregationem instetit, ab eaque obtinuit indultum, censeri debeat appositae conditioni sese subjecisse, nec modo ab ea resiliendi eidem superesse libertatem, post quam octennii tempore eam proprio facto confirmavit.

Ne quid vero desit in hac definienda quaestione, animadvertendum est, ad obtinendum Indultum Jubi-

bilationis necessario requiri, ut constet de laudabiliter expleto quadraginta annorum servitio, haud tamen necessarium esse consensum Capituli. Hinc licet in more positum sit ut semper audiatur Capitulum, a quo certum reddatur testimonium de expleto laudabiliter legitimo tempore, tamen non desunt exempla, in quibus S. haec Congregatio rude donavit Viros de Ecclesia benemeritos, qui quadraginta annorum spatium implerunt, nihilo obstante contraria Capituli Resolutione. Videtur inde sequi, ut quemadmodum necessario non requiritur Capituli consensus ad obtinendam jubilationem, ita conditio, si qua apposita fuerit in eodem consensu, haberi debeat tamquam non apposita, nisi illa a S.Congregatione in concessione Indulti approbata fuerit.

Parvum insuper numerum psallentium in Coro opponit Capitulum; qua duodecim tantum nunc sunt Canonici, et unus tantum Beneficiatus, cum de tempore obtenti Indulti Canonici essent decem et octo, et quatuor Beneficiati. Cum vero hi serviant alternis hebdomadis persæpe contingere poterit, ut debitum Ecclesiæ deficiat servitium. Sed animadvertendum est, in præsenti causa haud agi de Indulto concedendo, sed de interpretatione jam concessi nec EE. VV. sapientiam fugit juxta *Test. in Cap. cum ad hoc de Cleric. non resident.* S. Congregationem in Resolutione dubiorum Jubilationum *sub die* 17. *Decembris* 1718. decrivisse Jubilatum, non obstante jubilationis Indulto, cogi posse ad inserviendum, si divinus cultus detrimentum patiatur.

Denique quoad Consuetudinem plures afferuntur Capitulares Resolutiones ab anno 1712. usque ad annum 1800., in quibus vel a Capitulo, adjecta est conditio canendi Missas *de Turno*, vel ipse postulans Indultum ultro hoc sibi onus imposuit. Nullum tamen affertur Indultorum exemplar, in quo hujnsmodi vel imposita, vel suscepta obligatio a S. Congregatione fuerit confirmata, et approbata. Imo diligenter perlustratis S. Congregationis *Regestris* ex octo exemplis a Capitulo allatis, quatuor tantum inventa sunt, in quibus concessum fuit Jubilationis indul-

dultum sub consueta formula, adjectisque solitis Clausulis, quin ne verbum quidem exciderit de obligatione canendi Missas *de Turno*.

Post hæc Vestrum erit EE. Patres deliberare quid definiendum sit tum quoad obligationem canendi Missas Conventuales, tum quoad distributiones ex *fallentiis* tum demum quoad repetitionem eleemosynæ pro Missis huc usque celebratis.

Dubia proponuntur

I. *An Canonicus Jubilatus teneatur vel per se, vel per alios ad celebrationem Missae Conventualis in casu ec.*

Et qualenus negative

II. *An eidem restituendae sint eleemosynae pro Missis Conventualibus celebratis a die concessi Indulti, in casu ec.*

III. *An vigore indulti jubilationis debeantur distributiones ex fallentiis Canonicorum absentium a Choro, in casu ec.*

Non proposita cum sequen.

Sess. 22. cap. 3. de Refor.

ASSISIEN. ORDINATIONIS. Compositis vix, pacatisque Ecclesiasticæ ditionis rebus, Summoque Principe restituto, Joseph ex Comitibus Bindangoli As-

Assisiensis studiorum causa Romam se contulit, tertiusque jam elapsus est annus, ex quo in Collegio *Ghislieri* omni laude dignam vitam ducit. Clericali Militiæ nomen dare cupiens ab originis Episcopo *dimissoriales* ut ajunt *Litteras* repetitis vicibus petiit; qui tamen eas constanter denegavit. Qua de re S.Congregationem efflagitat, ut ad Primam Tonsuram, reliquosque Minores Ordines absque sui Episcopi *Dimissoriis* initiari possit, cum cæteris omnibus a Tridentino requisitis *Sess.22. c.4. et* 5. *de Ref.* sit præditus testimonialibus litteris.

Rationum momenta, quibus innixus præfatas litteras Dimissoriales denegavit, ita exponit illius Urbis Antistes. „ Sacri Tridentini Concilii, et aliorum Sacrorum Canonum statuta, nec non Sanctorum Episcoporum exempla semper in mente habui, et habeo in admittendis, vel repellendis juvenibus ad Ordinatione. Sacrum Tridentinum Concilium, ut Vos noveritis ait: cum nullus debeat ordinari, qui judicio sui Episcopi non sit utilis, vel necessarius suis Ecclesiis. Et idem Tridentinum vult loquens de Prima Tonsura, ut promoveantur illi; de quibus probabilis conjectura sit ut ad Ordines accedant præcipue, ut fidelem Deo cultum præstent. Porro cum in præsentiarum nec utilem, nec necessarium hujusmodi juvenem Ecclesiæ fore judicarim, nec mihi spes effulgeat, ut ad Deo serviendum principaliter ordines suscipere velit, en causæ, propter quas ad Tonsuram, vel Ordines suscipiendos non admisi, Et re quidem vera Juvenis iste non est adhuc satis firmæ mentis nullum præbuit indicium vocationis, neque dispositionis ad statum Ecclesiasticum, et quamvis instet pro recipiendis Ordinibus non sua voluntate, sed potius Parentum, et Consanguineorum id agere mihi videtur, quippe qui cum paratum habeant beneficium, imo beneficia, illis cumulare juvenem vellent, sicuti etiam accepi. Quæ causa, et sola sufficiens esset ad eum arcendum ab Ordinibus, ut in simili casu juvenem Nobilem repulit S. Franciscus Salesius. Imo Cathechismus Roma-

„ nus inter signa non rectæ vocationis adnumerat
„ ambitionem beneficiorum, quam si non haberent,
„ nullam, ait, Ordinationis cogitationem aliqui de-
„ monstrarent „ Hactenus Episcopus.

Ad haec omnia respondet Juvenis Procurator, et primum quidem asserit, juvenem valde utilem ac necessarium fore Dioecesi, quae Ecclesiasticis viris caret. Nam Collegiata *di Bettona* tres tantum Canonicos, et unicum Clericum enumerat. Non unus est Parocus qui binas regit Ecclesias, nempe Parochus *del Poggio di sotto*, qui regit Paroeciam vulgo *del Poggio di sopra*: Parocus *di Porziano* est etiam Aeconomus *alla Pieve di S. Nicola*, praeterea Rector Paroecie *della Costa di tre Chiese* est etiam administrator Parochiae S. Damiani; quae sane incompatibilia Officia retineri nequeunt *nonnisi summa exigente necessitate*

Quoad Vocationis indicia, quae sibi Episcopus incognita refert, reponit idem Procurator, Episcopo innotescere ante quam in exilium ab invasoribus detruderetur, haudquaquam potuisse, quia tunc nonum a nativitate annum numerabat juvenis, Sed neque post reditum ab exilio, utpote quia post Menses quinque Romam venit studiorum causa, cum Dioecesanum Seminarium adhuc clausum perseveret. Attamen et ante exilium, et toto tempore, quo Episcopus abfuit a sua Ecclesia, Bindangoli Clericali indutus veste Divinis inserviebat Officiis, cujus quidem rei Assisium totum testem appellat; ex quo infert indicia suae vocationis licet infantiae proximum exhibuisse Bindangoli. Quod si deest testimonium Episcopi, quoad ejus vocatiotionem, de hac, nec non de moribus, et vita Collegii Rector testimoniales Litteras reddidit. In Collegio degens Episcopum per Epistolam, et voce cum per paucos dies ad patriam remeavit, Dimissorias rogavit.

Negat vero satis non firmam dici posse Juvenis mentem, qui decimum septimum nunc habet aetatis annum ac propterea rationis compos satis est. Tandem ex eo quod Parentes et Consanguinei paratum ha-

habeant Beneficium sui juris patronatus juveni conferendum, haud ex hoc inferri posse autumat, hanc esse causam, quae juvenem ad Clericatum impellat, qui vel a teneris unguiculis sui studii erga hunc statum exteriora dedit specimina; Cor enim hominis Deus solus novit, qui illud scrutatur, et renes.

Compertum omnibus, exploratumque est neminem ordinari posse ab alio Episcopo absque sui Episcopi *Dimissorialibus litteris ex cap.* 8. *de Offic. Archid. cap.* 3. *de Tempor. Ordinat. in* 6. et ex Bulla *Speculatores* Innoc. XII. §. 6. Idque ita cavent. S. Canones, ut Ordinans anni spatio ab Ordinum collatione interdicatur, et Clericus susceptos Ordines exercere nequeat nisi prius a suo Episcopo veniam obtineat, *Conc. Trid. sess.* 23. *cap.* 8. *de Reformat. Rigantius ad Regul.* 24. *Canc.* § 4. *num.* 39. *et seq.* Ab injusta tamen illarum negatione datur recursus ad Sacram hanc Congregationem juxta doctrinam a Bened. XIV. in Lib. 12. de Syn. Dioeces. cap. 8. §. 4. traditam, qui testatur praeterea S. Congregrationem pluries commississeEpiscopo Viciniori, vel Metropolit. ut cognita prius illegitima Dimissorialium Litterarum denegatione, Clericum ad Ordines promoverent. Idemque postea decrevit etiam in *Lucana Ordinationis* 5. *Jul.* 1749., *et in Fabrianen.* 21. *Aprilis* 1792.

Vobis itaque EE. PP. inquirendum proponitur an justa nec ne sit causa denegationis dimissorialium Litterarum ac propterea an concedendum sit, ut Orator sine his Tonsuram, Minoresque Ordines recipiat. Quatenus vero injusta videatur denegatio Dimissorialium, tunc ad primam Tonsuram, et ad Minores Ordines initiandus erit Bindangoli ab Eminentissimo Urbis Vicario vigore Edictorum Clement VII., et Alexandri VIII., quibus praecipitur ut ab Eminentissimo Urbis Vicario ad Ordines promoveantur ii omnes, qui quatuor mensium moram in hac Urbe duxerint.

Dubium igitur erit:

An concedendum sit Josepho Bindangoli, ut accedat ad primam Tonsuram, et Minores Ordines absque sui Episcopi Dimissoriis, in casu etc.

Die

Die Sabathi 11. Aprilis 1818. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua præter alia proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

NEPESINA. *Sess. 24. cap. 12. de Reform.*

I. *An Canonicus Jubilatus teneatur vel per se, vel per alios ad celebrationem Missae Conventualis in casu etc.*

Et quatenus negative

II. *An eidem restituendae sint eleemosynae pro Missis Conventualibus celebratis a die concessi Indulti in casu etc.*

III. *An vigore Indulti Jubilationis debeantur distributiones ex fallentiis Canonicorum absentium a Choro, in casu etc.*

Ad I. Negative.
Ad II. Affirmative a die obtentae Jubilationis.
Ad III. Affirmative.

ASSISIEN ORDINATIONIS.

An concedendum sit Josepho Bindangoli, ut accedat ad primam Tonsuram, et Minores Ordines absque sui Episcopi Dimissoriis in casu etc. *Sess. 22. cap. 5. de Reform.*

Dilata.

TU-

Sess. 25. *Cap.* 11. *de Reform.*

TUDERTINA EMPHYTEUSIS Sacerdos Lucius Clavari Romanus duplicis Beneficii in Tudertina Dioecesi existentis Rector erat, *Sanctae Mariae videlicet Gratiarum*, et *S. Angeli*, quorum bona conductionis titulo retinebat Franciscus Paolucci pro annua responsione scutorum sexdecim; Hic a Rectore petiit, ut Locationis contractus in emphytheusim ad tertiam generationem converteretur, oblato canone pro beneficio S. Angeli scutorum 15., et ob. 50., et pro beneficio B. Virginis scuti unius, et obul. 50. Ejus votis annuens Clavarius adiit S. Congregationem, quae sub die 19. Julii anni 1783. commisit Episcopo, ut constito sibi de evidenti Beneficii utilitate facultatem pro petita emphytheusi concederet, injuncta tamen Litterarum Apostolicarum expeditione, quoad Emphytheusim Bonorum S. Angeli.

His editis S. Congregationis Decretis quoad utramque emphytheusim, haud solliciti fuere, vel Sacerdos Clavari, vel Franciscus Paolucci exequutorialia Decreta ab Ordinario obtinere, vel Litteras in forma Brevis quoad Emphytheusim majoris Canonis scut. 15. 50. expedire. Publicum tamen stipularunt instrumentum sub die 20. Januarii 1784. insertis supradictis S. Congregationis decretis. Causa hujus praeproperae stipulationis ita in publicis Tabulis refertur - *Essendo, che il detto Signor Francesco Paolucci per suoi interessi si ritrovi in questa Dominante, e sia convenuto in varj abboccamenti con il prefato Signor D. Angelo Clavari sul detto Contratto di enfiteusi, e con il di loro mutuo, e reciproco consenso, e beneplacito sono condiscesi a conchiudere detto contratto, per poi venire alla spedizione delle suddette Lettere Apostoliche, Pianta, e Perizia, de' suddetti Beni, ed al pieno adempimento di tutto ciò si prescrive ne' sopranominati Rescritti della S. Congregazione del Concilio delli* 19. *Luglio dell'anno* 1783. Atque inter coetera sub numero nono adjectum est pactum - *che le suddette Parti debbano ottenere il suddetto Beneplacito Apostolico, a far*

a far spedire l'enunciate Lettere Apostoliche per la validità della presente investitura -

Nihil post haec actum fuisse videtur usque ad diem 20. Februarii 1796. in qua ad novas preces Sacerdotis Clavari postulantis favore Paolucci facultatem subemphytheuticandi frustula Terrenorum ad Beneficia spectantium, rescriptum est a S. Congregatione - *In decretis sub die 19. Iulii 1783. sequuta autem emphytheusi ad formam predicti Rescripti habebitur ratio in casu recursus Deliberatarii Paolucci pro partiali subemphytheusi bonorum durante prima investitura, et citra divisionem Canonis* - Tunc tandem quod antea praetermissum, postea factum est. Nam die 3. Junii ejusdem anni 1796. expeditae fuerunt litterae in forma Brevis, die 20. Septembris renovatae sunt a Paoluccio oblationes sine ulla mentione praecedentium, et ad publica acta delatae die 26. ejusdem mensis, qua die obtenta sunt decreta exequutorialia ab Ordinario, et biduo post stipulata sunt utriusque Emphytheusis instrumenta.

In hisce Instrumentis sub capitulo primo ita conventum est - *dichiarandosi, e convenendosi dover principiare detta Enfiteusi il dì primo Ottobre prossimo futuro* - atque iterum sub capitulo decimo - *Finalmente che siccome il presente contratto di Enfiteusi deve avere il suo principio, come si disse, il dì primo del prossimo futuro Mese di Ottobre, così terminando in detto giorno il memorato affitto di annui scudi sedici, ed essendo allora scaduto un Trimestre del corrente Semestre di scudi otto, che sono scudi quattro, così sia tenuto nell'atto della stipolazione sudetta il ridetto Sig. Francesco Paolucci pagare per saldo, e final quietanza di affitto a tutto li 30. del corrente Mese di Settembre detti scudi quattro all' Illustrissimo Sig. Abbate Clavari, conforme ora detto Sig. Francesco paga etc. al Sig. Abbate Finistauri agente etc.*

Triduo vix elapso, nimirum die prima Octobris Joannes Baptista Luzi duas obtulit distinctas oblationes vigesimae, ita ut pro Emphytheusi scuti unius, et obul. 50. auxit aliud scutum, pro altera Emphytheusi

theusi Scutorum 15. 50. auxit alia scuta quindecim, scilicet in totum Scut. 30. 50., nec non praeterCentum vites serendas a Deliberatario, alias biscentum spopondit in meliorationem fundorum. Statim ac hae Vigesimae oblationes legitime intimatae fuerunt tum deliberatario, tum Romae Sacerdoti Clavari, et ejus Procuratori Tuderti, eæque decreto Ordinarii admissae, plurimae excitatae sunt turbae inter Rectorem, ac Deliberatarium ex una, et Oblatorem Vigesimae ex altera parte, donec sub die 15. Julii 1797. Rescriptum prodiit - *Ponatur in folio citatis Jo: Baptista Luzi, et Angelo Lucio Clavari.* -

Publicarum rerum vicissitudines impedimento fuere, ne causa ad formam praedicti Rescripti proponeretur, donec rebus iterum compositis, ac defuncto interea Sacerdote Angelo Clavari, Angelus Finistauri in Beneficiis successor novas obtulit preces de anno 1816. postulans, ut jamdiu incæptum absolveretur judicium. Idipsum postulavit Antonius Luzi tamquam heres Oblatoris Joannis Baptistae. Quid senserit Episcopus de sua sententia rogatus super novis Finistauri precibus, exhibent illius litterae per extensum relatae in Summario pro Antonio Luzi. Causa tandem proponitur triplici certamine, distributis allegationibus tum a Rectore Finistauri, tum ab Antonio Luzi, tum a deliberatario Paolucci, ex quibus facile EE. Patres colligent rationum momenta, quae in sui praesidium quilibet ex litigantibus adducit. Cum fuse exposuerim genuinam factorum seriem, ne quid ex oppositis litigantium studiis erroris irreperet, breviter caetera perstringam.

Compertum, exploratumque est, Ecclesias Minorum, atque Fisci frui privilegio *addictionis in diem ex Text. Auth. hoc jus porrectum Cod. de Sacros Eccl.* Card. de Petra *in Comment. ad Const.* 1. *Div. Leon. Mag. sect.* 3. *num.* 34. *et seqq.* Rota *in Romana affictus* 9. *Jun.* 1749. *cor. Molino, et Hieracen. Alienationis Bonorum* 9. *Mart.* 1755. *coram Elephantutio*; et Sacra Congregatio aliis omissis *in Firmana Emphyteusis* 19. *Decembris* 1801. Quamquam vero

ro

ro acriter disceptatum sit a Doctoribus intra quod tempus addi posset vicesima, communiter receptum est intra 20. dies a die perfecti contractus. *Rota in cit. Romana affictus*, *et alibi*, *S. Congr. in Ferrarien. Emphytheusis* 18. *Jun.* 1796. *et alibi passim*. Perfectus autem tunc dicitur contractus, cum omnes adsunt a jure requisitae solemnitates, quae in praesenti casu sunt Beneplacitum Apostolicum, et Judicis decretum, cui commissum est evidentis utilitatis judicium S. Congr. *in Placentina Deliberationis ac Praelationis* 9. *Septembris* 1786. Cum vero Litterae Apostolicae Mense Junio, et coeterae omnes solemnitates exeunte mense Septembris anni 1796. prestitae fuerint, nullo modo repudiari posse concludunt Rectoris, ac Luzi Defensores vicesimam oblatam post tres dies a signatis Tuderti Tabulis emphyteusis.

Procurator econtra Paolucci contendit Contractum peractum fuisse anno 1783. quo ipse deliberatarius evasit juxta Benedictinae Constitutionis praescriptum. Addit Contractum non infirmari a conditionibus a S. Congregatione appositis in rescripto emphyteusis, tum Apostolici Brevis, tum Decreti Exequutorialis; his enim supervenientibus anno 1796., pura et simplex censenda est concessio anni 1783. *ex Text. in leg. sub conditione* 16. *ff. de solut.*, et ex *leg. Potior* 11. §. 1. *ff. Averan. Interpret. Jur. lib.* 3. *c.* 9. 28. Gomez Variar. *Resolut. tom.* 2. *c.* 11. *num.* 30. *Rota coram Riminaldo decis.* 224. *num.*5., Novum instrumentum anno 1796. Tuderti confectum fuisse non ex *necessitate*, sed ex *voluntate*, et ad comodum, ut certo pateret, conditiones in priori contractu Romae statutas ex rescripto S. Congregationis adimpletas fuisse, illudque non ad substantiam, sed ad plenariam perfectionem contractus pertinere. Atque inde concludit sero nimis oblatas fuisse vicesimas, elapsis jam tredecim annis a die deliberationis, easque ex emulatione tantum, et ab oblatore dubiae soliditatis appositas fuisse.

At negat Rectoris Defensor quidquam Paoluccium praesidii mutuare posse ex Benedictina dispositione, quae locum habet in contractibus, qui deliberationis actu

perfecti sunt, et in quibus stipulatio Instrumenti ad nudam contractus probationem pertinet; quod evenit plerumque, cum ad excitandos oblatores promittitur deliberatio *meliori Oblatori*; non autem in contractibus, qui nec sola licitatione perfici queunt, nec ullam sponsionem continent: praesertim cum res sit de contractu emphytheusis, quæ scripturam omnino requirit ex Zenonis constitutione in *leg.* 1. *de Jur. Emphytheut. Card. Petra loc. cit. n.* 50. *Rota in Beneventana Emphytheusis* 19. *Jun.* 1795. *coram Emo Consalvi*. Nullum hinc dicit contractum Romæ initium anno 1784., quia ex vulgatiss. *Extrav. ambitiosae de rebus Eccl. non alienan.* sive desit Beneplacitum Apostolicum, sive deficiat Ecclesiæ utilitas, corruit contractus, et præsertim in præsenti casu, in quo S. Congregatio tum expeditionem Apostilici Brevis, tum evidentis utilitatis judicium indixerat. Unde colligit legittima dici debere instrumenta die 28. Septembris 1796. Tuderti stipulata, quia tunc appositæ a S. Congregatione conditiones verificatæ erant; ac proinde nec tunc serotina fuit oblatio vigesimæ, nec nunc rejcienda est. Ita definivit S. Congr. *in Firmana Emphitheusis quoad vicesimam* 18. *Julii* 1795. *et in Tolentina Vicesimae et Praelationis* 21. *Aug.* 1802.

Ex his, aliisque in litigantium allegationibus deductis videant EE. Patres, an admittenda, vel rejicienda sit vicesimæ oblatio, et in casu affirmativo, an securitati Ecclesiæ precavendum sit, adjecta conditione, ut Oblator Luzi idoneam exhibeat fidejussionem.

Dubium proponitur

An Oblatio vigesimae sit admittenda in Casu etc.

Affirmative favore filiorum Joannis Baptistæ Luzi præstita idonea fidejussione ab Episcopo approbanda, et amplius.

RO-

ROMANA CAPELLANIAE. Habent EE. PP. hujus Causæ seriem in folio diei 25. Maii 1816. quod reassumere precamur. Cum iterum proposita fuerit in Congregatione diei 7. Martii nuper elapsi, rescriptum prodiit - *Dilata ad primam post agnos omnino, et infallanter* - dilationem petente Theresia Fiori. Cum hodie etiam vadimonium deserere videatur, iterum proponitur *Sess.25. cap. 7. de Reform.*

Dubium

An constet de Rejudicata, seu potius de Causis Restitutionis in integrum, in casu etc.

Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

TYBURTINA PAROCHIARUM. Hæc Causa, quæ sub triplici dubiorum formula resoluta fuit in Congregatione 30. Augusti anni 1817. iterum proposita in præterita Congregatione diei 7. Martii currentis anni dilata est ad præsentem Rescripto - *Dilata ad primam post Agnos omnino, et infallanter*, - inducias postulante Archipresbytero Giustini, a quo cum nihil mihi exhibitum fuerit, precor EE. Patres folium prædicti diei 30. Augusti reassumere, ut respondere possint. *Sess. 14. cap. 2. Sess.24. cap. 13 de Reform.*

Dubio

An sit standum, vel recedendum a decisis, in casu etc.

Recedendum a Decisis sub die 30. Augusti 1817.

Sess.23. Cap.2. de Reform.

FERETRANA RESIDENTIAE, ET DISMEMBRATIONIS. Dilationem postulavit, obtinuitque Archipresbyter Gambetti in Congregatione diei 21. Februarii proximi præteriti, dum hæc Causa, quæ jam definita fuerat sub die 30. Augusti præteriti anni, iterum proponebatur. Rescriptum siquidem fuit - *Dilata ad primam post Agnos omnino, et infallantur* - Iterum igitur reproponitur, et cum nihil ex parte Archipresbyteri mihi exhibitum fuerit, precor EE. Patres reassumere folium diei 30. Augusti, ut dirimere possint.

Dubium

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu et c

Dilata ad sequentem

Sess.25.Cap.4. de Reform.

SPOLETANA. Una, alteraque vice dilata est hujus Causæ Resolutio, ac præsertim in proxima præterita Congregatione diei 7. Martii, ut sub oculis EE. Patruum poneretur distincta notula onerum Societatis Sanctissimi Sacramenti, si quid fortasse reformandum occurreret, prius quam Missarum reductioni fieret locus. Hanc notulam prout eam transmisit Episcopus transcribo.

N O T A

Degli Oneri Annui della Ven. Compagnia del SSmo Sagramento di Trevi eretta nella Per-Insigne Collegiata Chiesa di S.Emiliano.

Per la Dativa, ed altre publiche Tasse circa —	50	
Per la celebrazione di numero 424. Messe, che a baj. 15. per cadauna elemosina porta —	63	60
Per i Parati, o siano Diacono, e Suddiacono, che assistano alla Messa Cantata nelle terze Do-		

Domeniche, ed altre funzioni della Compagnia solite a farsi tutte nella Chiesa Collegiata di S. Emiliano —————— ₰ 6 10

Per l'emolumento al Maestro di Cappella del Rmo Capitolo, quale è obligato sonare l'Organo in tutte le funzioni della Compagnia-- ₰ 10 —

Per l' emolumento all' alzamantici ——— ₰ 1 —

Per l' emolumento al Sagrestano della Compagnia —————— ₰ 5 —

Per l' emolumento al Campanaro, che è obligato sonare le Campane in tutte le Processioni della Compagnia ———— ₰ 1 50

Per la Cera per le Comunioni della Parrocchia circa —————— ₰ 10 —

Per la Cera per le Processioni delle terze Domeniche, Corpus Domini, Ottavario, ed altre Processioni: Le dette funzioni sono solite a farsi tutte nella detta Chiesa Collegiata di S. Emiliano circa ———— ₰ 18 —

Spese per le Quarantore in calo di cera, in cera minuta, ed altre spese, circa Scudi trenta, e dette Quarantore sono solite a farsi in detta Chiesa Collegiata nel giorno della Domenica delle Palme, e degli altri giorni sussegunti, cioè fino al Mercoledì Santo a mattina —————— ₰ 30 —

Per l'elemosina solita a farsi il Venerdì Santo in Pane circa —————— ₰ 1 50

Per la Dote annua ordinata da D. Fedele Fedeli ridotta a —————— ₰ 25 —

Per la solita Veste, e Pianelle———— ₰ 2 50

Per Num. 4. Caldarelli di Olio per due Lampade, che devono ardere continuamente avanti il SSmo Sagramento in detta Chiesa Collegiata circa —————— ₰ 16 —

Per l'emolumento al Camerlengo del 4. per cento sull' entrata della Compagnia circa——— ₰ 12 —

Per l'emolumento al Cappellano, che è obligato assistere a tutte le funzioni, e Processioni della Compagnia ———— ₰ 6 —

All' Organaro per accordare ogni anno l'Organo —————— ₰ 2 —

——— ₰ 260 20

Non

Non si descrivano le spese della coltivazione dei Terreni particolarmente Olivati, che si fanno dalla Compagnia a proprio conto, quelle per la piantagione, per la manutenzione delle Fabbriche, ed altre spese imprevedute ec.

Io Giovanni Agostini Ufficiale mano propria.

Vestrum nunc erit EE. Patres reassumptis Foliis dierum 29. Novembris praeteriti anni, et 21. Februarii currentis respondere *Dubio*, quod iterum proponitur.

An sit locus reductioni Missarum in casu etc.

Negative, et reformentur expensæ, quæ necessario faciendæ non sunt ex Lege fundationum.

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

SUTRINA JURISPATRONATUS. Supremis quibus decessit, tabulis anno 1739. Antonius Titi ita disposuit - *di tutto il mio avere voglio, che dal mio Esecutore Testamentario s'istituisca un Beneficio sotto l'Invocazione di S. Dolcissima, qual Beneficio intendo, e dichiaro sia il mio Erede* -; Jus vero nominandi reservavit - *in perpetuo al Sig. Giuseppe Zappettoni mio Parente* - Cum subinde anno 1740. in Beneficii erectione Executor Testamentarius declarasset - *che la nomina in perpetuo di detto Beneficio intenderà il detto Istitutore di lasciarla al Sig. Giuseppe Zappettoni, e suoi discendenti tanto maschi, che femine in infinitum in tutta la sua agnazione in perpetuo* - vigore hujusce declarationis jus nominandi Erectionis decreto reservatum fuit *favore D. Josephi Zappettoni, suorumque filiorum tam masculorum, quam foeminarum in infinitum, totiusque suae agnationis in perpetuum*.

Ad plures migravit Joseph Zappettoni unica relicta filia nomine Lucia, quae Dominico Santucci nupsit, ex quo filii Franciscus, ac Dulcissima nati sunt. Contemplatione Matrimonii a Dulcissima cum Carolo Mariot-

riotti celebrandi anno 1787. donavit Lucia inter vivos Carolo Sponso, praedicti quoque Francisci accedente consensu, - *la metà della nomina del Beneficio riservandosi l'altra metà la detta Lucia, e Francesco.*

Nulli suscepti sunt liberi ex hoc matrimonio, quod anno 1796. morte Caroli dissolutum est, et tunc Dulcissima novum cum Vincentio Moroni iniit conjugale foedus. Interea decessit Franciscus Dulcissimae Frater unico relicto filio, cui in pupillari ætate defuncto successit ab intestato ejus Mater Dominica Donatini. Tandem anno 1816. diem clausit extremum Dulcissima condito Testamento, quo sibi hæredem universalem scripsit Vincentium Moroni secundum virum, et paulo post confectis Codicillis, quibus juspatronatus relinquit Josepho Falcinelli, ejusque descendentibus, et successoribus in infinitum, tanquam filio Nicolai Falcinelli - *Nipote, e Parente più prossimo del Fondatore.*

Ne in futura Beneficii vacatione orirentur dissidia, postulavit Joseph Falcinelli, ut a Sac. Congregatione definiretur - *se detta nomina di Patronato, ossia diritto di nominare abbia luogo a di lui favore; e possa egli nominare nella prossima vacanza, che sarà di detto Beneficio* -. Preces de more remissæ fuerunt cl. me. Card. Episcopo Sutrino, ut auditis præsertim Carolo Mariotti, vel ejus hæredibus, et Vincentio Moroni Sac. Congregationem instructam redderet, suumque votum aperiret.

Ex illius Informatione deducitur series nominationum in singulis Beneficii vacationibus, quæ ita sese habuerunt. Post nominationem ab ipso Fundatore factam, aliamque expletam ab ejus Filia Lucia, cum anno 1790. iterum vacaverit beneficium, eadem Lucia tantum nominavit Sacerdotem Paulum Puscioni, et Carolus Mariotti, qui triennio ante donationem medietatis Jurispatronatus contemplatione Matrimonii cum Dulcissima stipulaverat, de quo supra nemini, simplici protestatione contentus fuit = *non s' intendevano nella minima parte lesi li suoi diritti* - quæ protestatio admissa fuit Judicis decreto, non retardata favore Nominati Bullarum expeditione. Anno vero 1794. nova Beneficii collatio facta est conjunctis tum

Lu-

Luciæ, tum Caroli suffragiis. Mortuo Carolo de anno 1796. iterum iterumque vacavit Beneficium nimirum annis 1800. et 1803, et institutio data est ad nominationem Francisci, et Dulcissimæ Zappettoni, quin Caroli hæredes quidquam sibi juris vindicare autumaverint.

Primo inquirendum videtur, an Juspatronatus, de quo agitur, ab initio fuerit Agnatitium, seu potius simplex hæreditarium. Antonius Titi fundator illud in Testamento reliquit Josepho Zappettoni - *mio Parente in perpetuo* - At Exequutor Testamentarius in Beneficii erectione ad ejus Descendentes in infinitum, universamque ipsius agnationem in perpetuum extendit, ejusque petitioni adhæsit Ordinarii Decretum. Si non obstante Testamenti littera, quæ uni Josepho Zappettoni compendium nominationis confert, adjecta licet clausula - *in perpetuo* - censeri debet Juspatronatus Agnatitium fuisse institutum, cum Falcinellius extraneus sit ab agnatione Zappettoni, arcendus videretur a quocumque Patronatus jure, ac liberum Beneficium evasisse dicendum erit; præcipue quum pro Beneficiorum potius libertate stet legum dispositio. Juspatronatus si quidem, quum quoddam vinculum, seu servitutem secumferat in rem Ecclesiæ, strictæ videtur esse, non latæ interpretationis; proindeque illos non debere fines excedere, qui fuerint in fundatione statuti. Ex benignitate tamen Ecclesiæ receptum est, Juspatronatus, et si Agnatitium extincta Agnatione, transire posse etiam ad extraneos quoties Fundator expresse, et taxativa cum particula *tantum*, vel alia simili, suæ uni Agnationi non reservaverit. Siquidem cum desit hæc particula, prout deest in præsenti Casu, restrictum censetur ad Agnationem, quamdiu hæc extitit: hac non existente, relictum censetur dispositioni juris comunis *Fagnanus in cap. perlatum est l. de jurepatron. n.* 25. *et Rota in Cremonen. jurispatronatus die* 6. *Junii* 1578. *cor. Serafino* ex qua juspatronatus Agnatitium extincta agnatione transit in hæreditarium. *Rota in rec. decis.* 509. *n.* 13. *par.*5. *tom.*2. *et dec.*220. *n.*16. *par.* 11.

At

At enim deficit in Josepho Falcinelli hæreditaria qualitas erga Dulcissimam Zappettoni, quæ sibi hæredem universalem scripsit secundum Virum Vincentium Moroni. Si ergo ex defectu agnationis juspatronatus evasit ex agnatitio in hæreditarium, illud sibi titulo hæredis vindicare posse videtur Vincentius Moroni, non autem Orator Falcinelli, qui caret hæreditaria qualitate. Verum secus etiam a qualitate hæreditaria Juspatronatus in extraneum transferri posse ex cessione, donatione, aut legato, dummodo nulla interveniat simoniaca labes, et Ordinarii superaccedat consensus tradunt *Glossa in cap. 26. cap. 16. quaest. 7. et in Cap. cum Saeculum 13. de jurepatronatus*, et *Rota post Pitton. de contror. Patronorum allegat. 40. num. 20.* Porro aperta est voluntas Dulcissimæ transferendi in Falcinellium jusnominandi, cum post factum Testamentum in Codicillis die 4. Martii 1816. exaratis. ita caverit-*vuole, e comanda, che dopo la sua morte il Patronato, e diritto di nominare all' accennato Benefizio in occasione di vacanza, sia ed appartenga al Sig. Giuseppe Falcinelli*.

Nec contra hanc Dulcissimæ voluntatem insurgit illius hæres Moroni. Nam ita refert in sua Informatione Emus Episcopus - *Interrogatus tandem a me Moronius Dulcissimae haeres respondit, sibi non displicere, praedictum juspatronatus relictum fuisse Falcinellio, cum auctricis suae dispositioni numquam contrair. animum suum addixerit.* -

Si EE. PP. ex legati titulo legitime translatum juspatronatus in Falcinellium putaverint, tunc inquirendum erit an integrum jus, vel ex parte tantum ab ipso exerceri valeat. Huc re perducta memoriæ revocandum est, Luciam Zappettoni titulo donationis intuitu certi determinati Matrimonii cessisse medietatem Juris nominandi favore Caroli Mariotti primi viri Dulcissimæ suæ Filiæ, reservata altera medietate favore ipsius Dulcissimæ, et ejus Fratris Francisci. Si hæc Donatio consistit, profecto medietas juris nominandi ad hæredes Caroli Mariotti spectabit; nec illam proinde potuit Dulcissima in legatarium transferre. At præterea

undum non estDonationes intuitu certi, et determinati Matrimonii inter onerosas, et corespectivas accenseri ac proinde sapere venditionem, quæ a Tridentino improbatur *Sess.* 25. *Cap.* 9. *de Reform.* ita censuit S. Congregatio *in Vercellen Beneplaciti* 27. *Aprilis* 1709. *et in Tudertina* 3. *Julii* 1762.

Carolus Mariotti usque ab anno 1796. defunctus est; supersunt ejus Fratres, ad quos Emus Episcopus putat delatum non fuisse jus nominandi. Ita refert - *Non quidem ad Fratres Mariotti; cum ipsi nec haeredes fuerint Caroli eorum fratris, nec esse curaverint, quia illius haereditas admodum aere alieno gravata erat. Testamentum Carolus condidit, quo haeredes sibi scripsit - gl' infrascritti da me colle proprie mani dati in nota segreta al Rmo Sig. Canonico Sebastiano Volpolini, quale prego ad essere mio particolare Esecutore Testamentario, dandoli a tal' effetto tutte le facoltà necessarie, ed opportune - Canonicus Volpoilni per me auditus confirmavit hanc dispositionem, sed dixit, patefacere non posse, quod a Testatore ei manifestatum fuit. Quidquid igitur sit de validitate, vel nullitate dictae testamentariae dispositionis, Fratres alieni semper extiterunt. Nam etiam si post obitum Caroli factus fuerit locus nominationi beneficii, de quo queritur, pro duabus vicibus, nunquam tamen ipsi institerunt pro nominatione, ut patet ex actibus beneficialibus annorum* 1800. *et* 1803.

Quatenus nulla declaretur donatio a Lucia facta intuitu Matrimonii, ac sine ulla Ordinarii approbatione, superest inspiciendum, an integrum jus nominandi consolidatum fuerit in Dulcissima ob extinctionem lineae Francisci sui Fratris, vel potius medietas ad Franciscum pertinens ad filium pervenerit, et ex hoc in pupillari aetate defuncto ad ejus Matrem Dominicam Donatini, qui ei ab intestato successit. Contendit Falcinellius nullum jus competere Dominicae, quia Dulcissima ex foemina agnata descendens adhuc vitam agebat, cum Filius Francisci in pupillari aetate decessit, ita ut integrum jus nominandi coaluerit in Dulcissima; a qua

ju-

jure legati ex codicillis ad Falcinellium pervenerit. Contra vero animadvertendum est, quod in actu Fundationis Beneficii ab Exequutore Testamentario factae, et ab Ordinarii decreto approbatae juspatronatus, et praesentandi reservatum fuit *favore Josephi Zappettoni, eorumque filiorum tam masculorum, quam foeminarum in infinitum, totiusque suae Agnationis in perpetuum*, Joseph Zappettoni unicam habuit filiam nomine Luciam, in qua initium, et finem habuit agnatio Zappettoni; atque hujus Filia Dulcissima, quae originem ducit a Dominico Santucci Luciae Viro extra agnationem Zappettoni posita est.

Dubium proponitur.

An, quibus, et quomodo competat jus nominandi ad Cappellaniam in casu etc.

Non proposita cum sequen.

COLLENSIS EMPHYTEUSIS. Quatuor Domunculas, totidemque apothecas exigui annui reditus scutorum quatuordecim ad Parochialem Ecclesiam S. Michaelis in oppido Geminiani Collensis Dioecesis spectantes, ut aut vendere, aut in perpetuam Emphyteusim concedere posset, postulavit Canonicus Petrus Giacchi illius Paraecie Rector; quia ut in supplici libello narrabat - *o si consideri la loro piccolezza, onde sono costruite, o si riguardi la infelice località, ove sono situate, o si rifletta in fine alla miseria dei Pigionanti Conduttori, che le ritengono a pigione, sono annualmente di notabile aggravio alla Cura, ed al Rettore della medesima.* *Sess.* 25. *Cap.* 11. *de Reform.*

Preces die 29. Martii præt. anni de more remissæ sunt Episcopo qui prævia confectione Capitulorum, et affixione Edictorum pro Emphyteusi ad tertiam, vel etiam quartam generationem, referret de earum valore, ac reditu, ac de evidenti utilitate. Veritatem expositorum, et Ecclesiæ utilitatem in Emphyteusi ineunda confirmavit Episcopus, ac juxta relationem Periti in scriptis (quam tamen non remisit) retulit valorem Domorum, ac tabernarum constituere summam scutorum 283. earumque fructum annua scuta quatuordecim non excedere. Hæc habuit in sua Informatione *diei* 14 *Junii praeteriti anni*, quin tamen verba fecerit vel de affixione Edictorum, vel de Capitulis, et Oblationibus. Tunc rescriptum est *In decisis sub die* 29. *Martii proximi praeteriti*; ut nimirum prævia licitatione pro Emphytheusi non quidem perpetua, sed ad tertiam, vel etiam quartam generationem, transmitteret Capitula, et Oblationes.

Novas tunc tunc dedit litteras Episcopus obsignatas *die* 25. *Augusti* quibus narravit per plures vices publicas factas fuisse auctiones, confirmavit utilitatem, ac necessitatem ineundæ emphytheusis, valorem, et reditum Fundorum juxta superius relatam Periti extimationem; ac tandem hæc addidit - *Praefatae Domus traditae fuerunt in Emphytheusim die* 20. *Mensis Augusti cuidam Aloysio Malenotti, utpote meliori, et majori offerenti cum Fidejussione etiam Fratris Vincentii ab inivcem divisi, ac separati, ambo viri Geminianenses probatae Fidei, et honestatis, nec non idoneitate requisita pollentes* - At vero cum nec actorum nec asserti contractus exemplar exhiberetur iterum rescriptum est-*Exhibeatur copia authentica contractus, et interim Orator consulat conscientiae suae* -

Statim allata est copia Contractus, ex quo eruitur publicas præcessisse licitationes sub diebus 13. 16. et 20. Augusti, deliberatam fuisse emphytheusim perpetuam favore Aloysii Malenotti cum fidejussione Vincenti ejus fratris, pro annuo Canone Scutorum quindecim, et libell. 2. soluta in actu stipulationis summa unius anni Canoni respondente titulo Laudemii,

et

et eroganda arbitrio Episcopi in utilitatem Ecclesiæ Parochialis, et præstita in singulos vigintinovem annos oblatione unius libræ Ceræ, aliisque solitis adjectis pactis.

Tunc preces iteravit Parochus Giacchi pro approbatione hujusmodi contractus Nemo est qui ignoret vetitam esse ex notissima *Extravag. Ambitiosae* rerum Ecclesiæ alienationem, cui communi sententia æquiparatur emphyteusis perpetua, quæ etiam expresse prohibetur in Concilio Romano *titul.* 19. *num.* 1. Hinc sequitur, ut nisi insimul concurrant Legittima causa, evidens Ecclesiæ utilitas et Apostolicum Beneplacitum irritæ sint Bonorum Ecclesiæ alienatio, vel in emphyteusim concessio; utque in censuras a Canonico jure constitutas incidant, qui hujusmodi contractus inire attentaverint *De Petr. Com. ad Constit. Apostol. Pauli II. tom.* 5. *pag.* 397.

At vero legitimam causam ineundæ emphyteusis præbere qualitas Dumucularum, et Tabernarum, ac difficilis pensionum exactio a pluribus Inquilinis intimæ Plebis. videtur De evidenti utilitate, ac etiam necessitate iterum iterumque testatus est Episcopus etiam ex Periti relatione. Nec certe de hac utilitate dubitandum videtur, statim ac perdifficili exigentiæ Pensionum scutorum quatuordecim subrogatur Canon scut. 15. liber, et immunis ab omni onere imposito, ac imponendo, et ab unico idoneo Emphyteuta solvendus. Hoc in casu sanationem concedi, et defectum Apostolici Beneplaciti suppleri solere tradunt *Thesaur. quaest. Forens.* 37. *num.* 2. *lib.* 3. *Card. de Luca de alien. disc.* 1. *num.* 3. *Rota in recen. dec.* 330. *num.* 18. *par.* 5.

Quod si prohibita est emphyteusis perpetua, non tamen desunt exempla, in quibus justa concurrente causa, et constito de evidenti Ecclesiæ utilitate Sac. hæc Congregatio a perpetua emphyteusi non abhorruit. Ita censuit *in Privernen. Emphyteusis* 16. *Junii* 1787. *et in Faventina Emphyteusis* 18. *Augusti ejusdem anni*.

Videant ergo EE. Patres, utrum in præsenti casu expediat initum jam absque Apostolica facultate contractum sanare, et iis quæ huc usque perperam acta sunt, suprema authoritate mederi; et utrum a censu-

suris sint absolvendi, qui contra Sacrorum Canonum præscripta contractus stipulationi nomen dederunt.

Dubia proponuntur.

I. *An, et quomodo sit locus sanationi contractus; et Beneplacito Apostolico in casu etc.*

II. *An sit consulendum SSmo pro absolutione in casu etc.*

DIE

Die Sabbati 2. Maii 1818. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua præter alia proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

SUTRINA JURISPATRONATUS

Sess. 22. Cap. 6. de Reform.

An, quibus, et quomodo competat jus nominandi ad Capellaniam in casu etc.

Dilata, et scribatur Ordinatio pro nova Informatione, et voto, et referat cui delata fuerit hæreditas Luciæ Santucci audita Dominica Donatini.

COLLENSIS EMPHYTEUSIS

Sess. 25. Cap. 11. de Reform.

I. *An, et quomodo sit Locus sanationi contractus, et Beneplacito Apostotico in casu etc.*
II. *An sit consulendum SSmo pro absolutione in casu etc.*

Ad I. Affirmative salvo jure vigesimæ, et sextæ per Bullas.
Ad II. Affirmative pro absolutione, dispensatione, et rehabilitatione peractis ad decem dies Exercitiis Spiritualibus.

FE-

Sess. 23. Cap. 1. de Reform.

FERETRANA RESIDENTIAE, ET DISMEMBRATIONIS. Hæc primum proposita fuit causa die 30. Augusti elapsi anni sub triplici dubiorum formula I. videlicet *An Archipresbyter Gambetti cogendus sit ad residentiam in Ecclesia S. Petri in Cultu in casu etc.* Et quatenus negative II. *An, et quomodo sit locus dismembrationi Oppidi Mercatini, ejusque agri a Paraecia di Talamello in casu etc.* III. *An, et quomodo constituenda sit congrua novo Parocho deputando in Ecclesia S. Petri in Cultu in casu etc.*, quibus EE. PP. responsum dederunt ad *I. Affirmative*; *ad II., et III. provisum in primo*. Novæ audientiæ beneficium consequuti Archipresbyteri defensores, die 21. Februarii, dum causa iterum proponebatur novam dilationem ad sequentem Congregationem 7. Maji obtinuerunt, paucisque ante eam diebus Allegationem typis impressam Vobis exhibuere; cui ut responderet Mercatinensium Procurator ad hanc diem definitionem protrahi imploravit. Horum responsio Vobis distribuetur; interea quid pro Archipresbytero afferatur summatim colligam.

In *I. Dubio* ajunt Parochum ad residentiam apud Parochialem Ecclesiam teneri, si decentes ædes habeat; at Ecclesiæ *S. Petri in Cultu* non domum; sed Tuguriolum esse adnexum: Archipresbyteros ab anno 1590. moram, nemine reclamante, duxisse Talamelli, ex qua immemorabili consuetudine ineluctabilem præsumptionem melioris cujusque tituli habitandi intra Pareciæ fines nedum ex Episcopi assensu, sed et Pontificis privilegio quæsiti eruendam autumant, ut in Caput. *Extirpandae §. qui vero de Praebendis* arguunt *Gonzalez ad Reg. 8. Canc. gloss. 6. num. 268. Barbos. de Officio et Potest. Episcopi alleg. 53. num. 82. Garzias de Beneficiis part. 3. cap. 2. n. 179. Reinsfest. in jus Canon. Lib. 3. tit. 4. de Clericis non resid. §. 3. n. 101.*; Hujusce præscriptionis vim nec imminuere contrarios testes, quibus alii longe graviores opponuntur, neque Archipresbyteri Pinucci facta, quæ facultatem Talamelli residendi ubi Baptismalis fons prostat non excludunt. Addunt insuper Parochum suis impensis, quæ Conciliarem congruam non æquant, minime ad tu-

tuguriolum reficiendum ampliandumque teneri, ut ita residentiæ oneri satisfaciat. *Reiff. Jur. Can. Lib.* 3. *tit.* 48. *num.* 24. *Belett. disquis. Cleric. par.*1. §. 14. *n.*11. *Barbos. in Conc. Trid. Sess.*21. *de Ref. c.*7.*n.*8.*S.Cong. in Maceraten.* 24. *Martii* 1787. ex quibus concludunt non esse Parochum ad residentiam cogendum..

Sed neque dismembrationi, quoad *II. Dubium*, locum esse ostendere conantur; cum et *locorum distantia*, quæ in præsentiarum ne unius quidem lapidis est, et *magna viae difficultas* deficiant. Non enim Talamellum in alta rupe positum est; brevis ad eum via præsertim *del Raggio*, nec aspera, nec montuosa, nec torrentibus, fluminibusque interjecta, neque pontibus egens, adeoque facilis, ut eam Pueri licet septennes, qui Talamellum ad litterarum rudimenta perdiscenda, quater unoquoque peragant die. Hinc Mercatinentium ocium in diebus festis, eorum non autem Parochi vitio esse vertendum. Addunt demum non quamlibet difficultatem, sed illa dumtaxat, quæ sine magno incomodo superari nequit ad dismembrationem requiri. *Lotter. de Re Benefic. lib.* 1. *quaest.* 28. *num.* 29. *et seqq. Barbosa Loc. cit. alleg.* 68. *num.*2. *Fagnan. in cap. ad Audientiam de Eccles. aedific.num.*18. *Leuren. Juris Eccl. Lib.* 3. *num.* 48. *ques.* 994. *num.*2. *Reinsf. Jur. Can. lib.* 3. *tit.* 48. *sub num.* 13.

Quibus positis in *III. Dubio* concludunt locum non esse constituendæ congruæ novo Parocho.

Hisce omnibus, et iis, quæ in contraria Responsione afferentur, perpensis Vestrum erit EE. PP. respondere Dubio.

An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu etc.

Recedendum a Decisis.

Sess.25.Cap.11. de Reform.

ROMANA EMPHYTEUSIS - Latifundium - *l'Inviolatella* - a Capitulo Insignis Collegiatæ Ecclesiæ S. Mariæ in Via lata ad novennium conduxerat Comes Gaspar de Carpineo pro annua responsione scutorum 460. Apostolico intercedente Beneplacito a S. Congregatione Episcop., et Regularium diei 16. Junii 1801. expedito Ad exitum properante affictu data sunt Progammata in fine anni 1809. ad novos audiendos oblatores, quin ullus reconductionem postulaverit. Tunc actum est cum ipso Comite de Carpineo, qui idem Latifundium in emphyteusim consequi inhiabat. Sed jam eo tempore Militaris vis Urbem, ac Supremæ Potestatis jura invaserat, atque *Demanii* nomine Ecclesiarum bona sacrilega manu occupaverat; hinc vetitum erat de iis ad longum tempus disponere, ac vix permissum solitas inire locationes.

Sed ne quid contra notissimam ***Extravag.*** *Ambitiosae de rebus Ecclesiae non alienandis* ageret Capitulum, secreto egit (prout sinebat illorum temporum acerbitas) cum Delegato Apostolico, ut venia concederetur ineundi contractus, qui neque ad novennium sine Pontificio Indulto stipulari poterat. Obtenta die 13. Februarii 1810. venia - *a stipolare il contratto cum reservatione del Beneplacito Apostolico suis loco, et tempore* - Solemne stipulatum est instrumentum relocationis ad novennium favore Comitis de Carpineo die 30. sequentis Martii diminuta pensione ad annua scuta tercentum, libera ab omni onere, et datio, quæque annuam summam scut. 59. 60. constituebant, ita ut pensio scut. 460. præcedentis Novennii in nova locatione cohibita est ad scuta 359. 60. Additum etiam est pactum faciendæ disdictæ biennio ante expirationem locationis - *altrimenti s' intenda prorogato, e rinovato l' affitto per un altro Novennio* -

Eadem ipsa die 30. Martii 1810. illius Capituli Camerarius declarationem in scriptis emisit, qua narravit quod - *erasi determinato il Rmo Capitolo previo il Beneplacito Apostolico, e ne era stato autorizzato io infrascritto a stipolare l' Istromento di Enfiteusi della Tenuta denominata l' inviolatella a teza generazione a favore dell' Illmo Sig. Conte Gaspare di Carpegna per l' annuo*

nuo canone di Scudi Trecento Romani libero, e franco ec. ma non essendosi fatto luogo a poter ottenere le opportune facoltà, e licenze a norma delle leggi Veglianti per effettuare tal contratto, è stato per ora (acciò la detta Tenuta non resti infruttifera, e senza le opportune lavorazioni, terminando il corrente Affitto a tutto il dì 29. Settembre del corrente Anno 1810) rinnovato l' Affitto di detta Tenuta col medesimo Sig. Conte di Carpegna scadente Affittuario per un' altro Novennio con l'annua corrisposta di Scudi 300. perfettamente analoga, e corrispondente all' annuo Canone che era stato come sopra concordato per il Contratto di Enfiteusi - His enarratis promissionem de stipulando Emphyteusis contractu emisit in hæc verba - *Per ciò dichiaro, e prometto io infrascritto di procedere alla Stipolazione dell' Istromento di Enfiteusi come sopra concordata, subito, che si farà luogo a potere ottenere le facoltà, e licenze opportune per ridurre ad effetto il suddivisato Contratto di Enfiteusi.*

Res ita processit usque ad annum 1815. quo, restituto jam Ecclesiastico Regimine Capitulum hæc omnia exposuit Summo Pontifici in supplici libello postulans - *l' opportuna sanazione di tale contratto di affitto già stipolato fino dall' anno 1810.* - Remissis precibus a S. Congregatione Emo Diacono, ut audito Capitulo votum suum aperiret retulit attentis illius temporis circumstantiis posse Oratorum precibus indulgeri pro sanatione contractus, et concessione Apostolici Beneplaciti. Id ipsum confirmavit Capitulum in hæc verba - *In vista di tali riflessi, e circostanze credetterò i Reverendissimi Signori Canonici di unanime consentimento essere evidente l' utilità del Capitolo nell' indicato Affitto stipolato nel 1810. mai però nell' Enfiteusi della stessa Tenuta, attesa l'eccessiva morosità di detto Conte Carpegna ne' pagamenti, sperimentata già dal medesimo Capitolo, giudicarono presentemente di poter convenire.*

Tunc die 10. Junii 1815. prodiit Rescriptum *Pro gratia approbationis locationis juxta petita arbitrio Eminentissimi Diaconi, exclusa emphyteusi, et dempto pacto renovationis affictus ad aliud novennium, si non fuerit judicialiter intimata disdicta per biennium ante expira-*

pirationem currentis Novennii - At Comes de Carpineo Monitorium expediri curavit coram A. C. pro observatione Contractus Emphyteusis, ac postea a R. P.D. Auditore SSmi obtinuit Causam remitti una cum eodem Monitorio ad hanc S. Congregationem.

Duo igitur proponuntur dirimenda Dubia distributis hinc inde allegationibus. Cum in *primo* quæratur an constet de legittimo Contractu Emphytheusis putat Defensor Comitis de Carpineo legitimum dicendum esse contractum cum tria concurrant requisita ad illius substantiam, et perfectionem necessaria, nimirum res, pretium, et consensus *prima* in latifundio Inviolatella, *secundum* in Canone Scutorum 300., *tertius* ex declaratione Canonici Camerarii nomine Capituli obsignata sub eadem die, qua renovatio locationis stipulata est. Hinc colligit deveniendum esse ad stipulationem Instrumenti ad tradita per *Constant. Vot.* 370. *num.* 1. *et* 2. *et per Rot. in recent. decis.* 37. *num.* 1. *part.* 4. *tom.* 2.

Nec ad hujus contractus emphyteutici validitatem labefactandam obiici posse autumat vel defectum *Apostolici Beneplaciti*, vel necessariam conditionem *evidentis utilitatis*. Nam Beneplacitum vel ab initio intercessit, statim ac qui Apostolici Delegati munere fungebatur, contractum probavit, et veniam stipulandi instrumenti dedit, aut si non intercessit, postulandum nunc erit a Capitulo, manente interea Contractu in statu validitatis. Quid aliquid momenti faciat quod S. Congregatio in Rescripto diei 10. Junii 1815. concesserit Indultum - *exclusa emphyteusi* - quia cum illud Rescriptum prodiit inaudito penitus Comite de Carpineo, non potuit quidquam ejus legitimo juri detrahere.

Evidentem vero utilitatem in casu concurrere sustinet Defensor Carpinei licet conventa fuerit emphyteusis sub canone scut. 300. pro latifundio locato pro pensione scut. 460. quia cum Comes de Carpineo in se susceperit omnia onera, et datia tum imposita, tum imponenda, quibus in affictu gravabatur Capitulum, hinc specie tenus diminuta videtur pensio, sed reapse antiquo reditui respondet canon, ex quo, adjecta obligatione meliorandi Fundum ex natura emphy-

teu-

theusis, emergit evidens illa utilitas, quæ in contractibus Bonorum Ecclesiasticorum requiritur. Addit insuper utilitatem contractus ex diversis circumstantiis et ex necessitate de tempore stipulatæ conventionis esse dimetiendam. Rota *coram Millin. decis.* 119. *num.* 2. *et coram Lunozz. decis.* 713. *num.* 8.

Contra vero Capituli Defensor contendit nullum unquam legitimum Emphyteusis contractum initum fuisse, deficiente Apostolico Beneplacito, sine quo irrita prorsus evadit quælibet de rebus Ecclesiasticis ad longum tempus conventio. Rota *coram Oliva. decis.* 502. *num.* 6. *et in Ferrarien. expulsionis* 20. *Iunii* 1791. §. 7. *coram Origo*. Hoc vero Pontificis Indultum nunquam interfuisse constat tum si inspiciantur publicæ Tabulæ, tum si Canonici Camerarii declaratio scrutetur. Nam publicæ Tabulæ scriptæ die 30. Martii 1810. exhibent puram, nudamque renovationem contractus locationis ad novennium, quin vel exciderit verbum de emphyteusi aut contracta, aut contrahenda. Et licet hæc etiam novendialis relocatio viribus non stetisset suis, si a Suprema Ecclesiastica Potestate confirmationem non accepisset; tamen nunquam ad alium magis a SS. Canonibus prohibitum longissimi temporis contractum nec ex Instrumenti littera, nec ex partium voluntate trahi posset.

Si vero inspiciatur declaratio Canonici Camerarii, utcumque amplissimis verbis concepta dicatur, nihil aliud probat, nisi tractatum de ineunda emphyteusi habitum fuisse, quin tamen effectum sortiri potuerit ob defectum Apostolici Beneplaciti. At ex simplici tractatu dici nequit contractum perfectum fuisse, nec ex eo oriri obligationem ad illius implementum, ut tradit, Rota *in Colonien. Venditionis* 12. *Iunii* 1760. §. 2. *coram Caprara*. Hæc vero, quæ locum habent in quovis tractatu cujuslibet contractus, magis sibi vindicant in eo casu, in quo res est de re a jure alienari prohibita; deficiente siquidem facultate contrahendi, eo fortius tractatus inter partes habiti nequeunt ad contractum obligatorium prosilire.

Urgent præterea, quod si dicatur initum fuisse usque ab anno 1810. contractum emphyteusis, illius tamen perfectio, et implementum pendebat ab explicita con-

conditione obtinendæ a Sanctissimo facultatis - *Subito che si furà luogo ad ottenere, e si saranno effettivamente ottenute le facoltà, e licenze opportune per ridurre ad effetto il suddivisato Contratto di enfiteusi* - Porro ea est conditionalis contractus natura, ut illius effectus ita suspendatur, ut si conditio verificetur pro perfecto, et absoluto habeatur, si vero conditio non verificatur, tunc evanescat ipse contractus tanquam si nunquam initus fuisset. Rota *coram Olivatio decis. 118. num. 15. et in Ferrarien. 20. Junii* 1791. *§. 5. cor. Origo*. Id expresse contigit in præsenti casu, cum S. hæc Congregatio die 10. Junii 1815. renovationem locationis probavit, *exclusa tamen emphyteusi.*

Nec succensendum esse Capitulo, si in Supplici libello veniam pro emphyteusi non postulavit. Nam nec poterat, nec debebat egredi fines jam initi contractus locationis, qui stipulatus fuerat ex facultate Delegati Apostolici *cum reservatione tamen Beneplaciti suis loco, et tempore obtinendi*. Hæc vero Delegati facultas - *a stipolare il contratto cum reservatione* - de qua loquitur Epistolium Prioris Nuzzi diei 13. Februarii 1810. respicere videbatur contractum Locatitium, qui reapse die 30. sequentis Martii solemniter stipulatus est, non vero emphyteusim, quæ eadem die promittebatur stipulanda. Demum si urgebat necessitas providendi culturæ fundi, attenta deficientia oblatorum in termino Notificationum, si ex temporum circumstantiis dici poterat, evidentem intercedere utilitatem, non obstante diminutione pensionis, id operari poterat, ut quovis modo, et quibusvis cum pactis fieret nova locatio, non vero Emphyteusis ad tertiam generationem, pro qua nunquam publicata fuerant Programmata ad alliciendos oblatores, qui Ecclesiæ conditionem meliorem redderent.

Hæc quæ hinc inde disputantur præ oculis habere poterunt EE. Patres, ut in *primo Dubio* quod justum ipsis videbitur reddant judicium. Quo vero ad *secundum Dubium* cum Partes ad ea, quæ in primo afferuntur, sese referant, et nihil ex officio mihi addendum sit, ne actum agam proponam

Dubia

I. An constet de legitimo Contractu emphyteusis; ita ut sit stipulandum Instrumentum in casu etc.

Et-

Et quatenus negative

II. An sit concedendum Beneplacitum Apostolicum pro ineunda Emphyteusi ad formam conventionis in casu etc.

Ad I. Negative in omnibus

Ad II. Negative.

CAVEN. Super Legato Missarum a Catherina Punzj in supremis Tabulis relicto anno 1804. plures obortæ quæstiones una, atque altera excepit Transactio, quæ annis 1804. et 1809. stipulatæ sunt inter Defunctæ Hæredes, et Sacerdotem Philippum Genovese ad legati implementum a Fundatrice vocatum. Has omnes quæstiones complectitur elucubratissimum Votum Emi, ac Rmi Ercolani, quod hic ad litteram transcribo, cum nihil vel facti, vel juris desiderandum supersit ad rectam Causæ decisionem, utque possint EE. Patres respondere quatuor Dubiis a laudato Emo propositis, quibus dumtaxat quintus addi poterit, si placeat peculiari responso primam Transactionem anni 1804. vel sanare, vel reprobare. *Sess.23. Cap.9. de Reform.*

1. Catharina Punzi Cavensis, suo jam viduata Viro, quum plura capita possideret, ex quibus certus, et immutabilis reditus summam conflans Ducatorum 426. monetæ Regni percipiebatur, in supremæ suæ voluntatis elogio die 5. Martii 1804. conscripto, ac die 24. Junii ejusdem anni resignato quatuor Fratres suos, quorum alter Sacerdos erat, ac Sororem hæredes fecit ex asse, quos onere progressivi, ac perpetui fideicommissi prægravavit. Onus itidem eisdem, futurisque vocatis indixit perpetuo pendendi Sacerdoti Philippo Genovesi, quousque vitam egisset, deindeque ejus hæredibus, ac Successoribus, aliisve ab eodem Sacerdote nominandis *Ducata annua centum quinquaginta*, quæ usque ad *triginta supra Centum* ero-

eroganda forent in Sacrorum celebrationem - *per tutta la durata del Mondo in suffragio dell' Anima mia, e secondo la mia intenzione in Altari privilegiati coll' Elemosina per ciascheduna di dette Messe di grani venti, e con dovere li sopradetti Esecutori del detto mio perpetuo, e pio Legato esibire alli detti miei Eredi, ed altri loro Successori in perpetuo, la fede giurata della già adempita celebrazione delle dette perpetue Messe* - ; reliqua vero *Ducata viginti* voluit, ut lucri facerent ejusdem Legati pii Exequutores.

2. Nihil autem in votis magis habens Testatrix, quamquod hujusmodi piæ suæ voluntati omnimoda perpetuis futuris temporibus daretur exequutio, non modo jus fecit commemoratis Exequutoribus seligendi sortes, quæ certum illum annuum fructum gignerent; verum etiam amplissimam tribuit facultatem - *di variare quante volte vorranno un tal assegnamento sopra gli annui interessi di altri dei suddetti miei Capitali, e di ottenersi l'assegnamento suddetto dal Giudice competente, quante volte incontrassero resistenza nei suddetti miei Eredi* - Nondum satis. Vetuit præterea hæredibus, eorumque futuris Successoribus in perpetuum, ne petere auderent, et consequi - *reduzione di sorte alcuna, e per qualsivoglia causa delle anzidette Messe perpetue* - ac si forte præceptum hujusmodi violare tentassent, prævaricatores quolibet hæreditatis compendio privavit, ac in eorum locum suffecit - *il Sacro Ospedale di questa Città, quale opera pubblica, e Laicale amministrata dai Laici col peso del sopradetto pio, e perpetuo Legato.*

3. Constat ex publico instrumento *diei* 19. *Novembris* 1804. inter hæredes Puntios, et Sacerdotem Genovesi stipulato, hunc jus illis in perpetuum cessisse celebrationis Missæ quotidianæ, quæ ad rationem - *di grani venti* - pro qualibet *Ducata septuaginta duo* conflabant, ac designatas fuisse sortes, ex quibus quot annis reditus haberetur attingens *Ducata centum quadraginta quatuor*; reliqua namque *sex Ducata*, quibus constitueretur annuum illud stipendium pii Legati Exequutoribus a Testatrice assignatum, idem Sacerdos Genovesi illis de Puntiis cessit, ac perpetuo renunciavit: Atque tam hæc, quam illa cessio a dicto

ecto Sacerdote facta fuit, ut litem quamdam componeret, quam præfati hæredes eidem intulerant apud Supremos Neapolis Magistratus.

4. Nondum litibus finis: Quandoquidem, rigente Tyrannide, hæredes Puntii contendere cœperunt, *Ducata illa centum quadraginta quatuor* præstanda fore onere gravata solvendi decimam partem, quam ex lege Regia jus erat Debitoribus retinendi illorum onerum, quæ Regio Aerario respondere tenebantur. Casus præterea evenerant, qui prædictis hæredibus occasionem præbuerant præ viribus tuendi, quod pium illud Legatum, nisi prorsus aboletum, per magnum saltem tulisset decrementum. Scilicet evenerat, ex hæreditariis illis assignatis capitibus tot periisse, quot singulo in anno fructum gignebant *Ducata quinquaginta quinque* attingentem. Evenerat, ut *Leges Invasor condidisset*, ac promulgasset, quibus non modo *substitutiones*, verum etiam Beneficia, et Cappellaniæ *abolirentur*, onere dumtaxat Patronis indicto satisfaciendi Sacrorum celebrationem in *ea quantitate* a Fundatoribus præfinita.

5. Rem omnem amice componere censuit Sacerdos Genovesi per publicas tabulas die *prima Octobris* 1809. conscriptas. Hæc est initæ transactionis summa. Heredes Puntii pro perpetuo prædicti legati pii adimplemento cedunt Sacerdoti Genovesi - *il Capitale di Ducati mille, e per essi annui Ducati cinquanta dovuti da D. Antonio Palumbo* - itidemque - *il Capitale di Ducati mille trecento, e per essi annui Ducati trentanove dovuti da D. Luigi Albenanti* - quæ duo capita præstituta jam erant pro ejusdem Legati Pii satisfactione in commemorato instrumento diei 19. Novembris 1804. Quum autem alia duo capita eo tunc assignata, annuumque reditum gignentia in Ducatis quinquaginta quinque periissent, eorum loco traditur *l' altro capitale ereditario di D. Cattarina di Ducati mille cinquecento, e per essi annui Ducati cinquantadue, e grani cinquanta dovuti dal Duca di Campagna.*

6. Quumque, ut perficeretur annuus reditus *in Ducatis centum quadraginta quatuor* in eodem illo instrumento anni 1804. præstitutus, deessent *Caroleni viginti quinque*, pacto convenit - *Di questi se ne debbano ri-*

lasciare a detti Sig. Punzi carlini cinque, e gli altri carlini venti si debbano dedurre dagliannui Ducati settantadue, per la celebrazione di una Messa giornale concessa da D. Filippo Genovesi alla Famiglia di detti Sig. Punzi col citato Istromento dei 19. Novembre 1804 Duo tamen adjiciuntur, quæ vergant in Legati Pii jacturam. Alterum, quod - *la prestazione degli annui Ducati cento quarantaquattro a compimento di Ducati cento cinquanta legati a D. Filippo Genovese, come sopra, debba intendersi lorda, e soggetta alla ritenzione, e deduzione della Decima, che ritengono tutti li Debitori de' Capitali ereditarj di detta fu Caterina Punzi, fra quali quelli assegnati a D. Filippo Genovese, e che questa deduzione venga a minorare il numero delle Messe* - alterum, quod illorum capitum datio facta intelligatur *in solutum*; ideoque - *li restanti capitali ereditarj di detta fu Catarina Punzi, debbano rimanere liberi, ed esenti dal fedecommesso vincolo de non alienando, rimpiazzo, e garanzia del Legato Pio di Messe, al quale li assoggettò la Testatrice sudetta, col suo Testamento, ma che il sudetto D. Filippo, suoi Eredi, e Successori in perpetuum mai ed in qualunque caso non possano domandare, nè pretendere indennità, e rimpiazzo ancorchè per qualunque accidente si perdessero in tutto, o in parte li sudetti tre capitali dati in solutum; e ciò attesa anche la disposizione della legge, che ha abolita ogni sorta di fedecommesso.*

7. Rebus pristinæ tranquillitati restitutis, Sacerdos Genovesi supplicem libellum porrexit Sacræ Congregationi, in quo non modo nomen Testatricis, verum etiam ex iis, quæ paulo ante narravi, per multa reticens: exponit, tria illa capita sibi cessa esse *in solutum*; in commemorati instrumenti stipulationem impendi debuisse Ducata *septuaginta duo circiter*; atque hanc non solum pecuniæ vim, sed etiam Ducata alia *bis centum nonaginta* vindicandi gratia alterum ex dictis sibi cessis capitibus in longam, sumptuosamqne litem erogata ex Sacrorum celebratione subducere oportuisse. Quibus expositis plura flagitat: I. ut absolvatur a censuris, et Apostolica auctoritate confirmetur illa transactio II. ut absolvatur a solutione illius pecu-

niæ

niæ, quam vice erogandi in Sacrorum celebrationem, impendit in stipulationem dictæ transactionis, ac insumptus illius litis III. ut fiat Sacrorum reductio, et quod superest ex *granis viginti* sibi liceat retinere.

8. Preces S. Congregatio remisit Vicario Capitulari pro informatione, et voto, *auditis praesertim haeredibus Fundatoris, transmissa fundatione, et copia Concordiae, et referat de viribus haereditatis, et annuo reditu, nec non de valore fundorum favore Oratoris in solutum cessorum, et annuo reditu per Peritum ex Officio, de summa vere erogata pro sumptibus litis, et stipulationis Instrumenti, et quanta in hanc causam, per haeredes contribuenda, nec non de evidenti transactionis utilitate favore Pii Legati, et celebratione quoad praeteritum*.

9. Ex relatione Vicarii Capitularis habetur, hæredes Puntii, Testatricis obitu vix sequuto, litem Oratori intendisse apud Partenopeos Magistratus, in cujus causam impendere ipsum debuisse Ducata *quadraginta*; ex Sacrorum celebratione subducta, atque ad litem omnem componendam oportuisse *die* 19. *Novembris* 1804 illud fieri instrumentum, cujus paulo ante mentionem feci; quumque deinde ea evenerint, quæ jma narravi, hæc in causa fuisse, quare *die prima Octobris* 1809. nova fieret transactio supra relatis pactis composita. Atque ulterius progrediens refert idem Vicarius Capitularis, quod, quum caput illud debitum a Duce di Campagna, et in mox dicta transactione cessum pro Legati Pii satisfactione, ob vices, quas subiit ipsius Debitoris Familia, litigiosum evaserit, Orator, ne graviores litis sumptus subiret, consilium cæperit - *di aggiudicarsi un Fondo sì per la sorte di Ducati* 1500. *sì per alcune annate di frutti civili montanti a Ducati* 127. *e per altri Ducati* 60. *che soli fu condannato a pagare al detto Genovese in compenso delle spese*.

10. Atque hic monitam reddit S. Congregationem Vicarius Capitularis - *Che detta aggiudicazione fu fatta alla ragione del* 4. *e* 50. *per cento purgata da fondiaria, ragione, che atteso il capitale demortuo, lo scanso di nuove liti, e l'avanzo del* 3. *e grana* 15. *al* 4. 50. *fu creduta equa, ed abbracciabile* - unde concludit -

 Que-

Questo fondo produce presentemente annui Ducati 106 e baj. 50. di fruttato, datli quali, toltine Ducati trenta per la fondiaria dovuta allo Stato, e circa Ducati sei per il Procuratore, che invigila per l' esazione, ed altro, che ivi occorre, essendo il Fondo circa venticinque miglia distante dalla Patria del Supplicante, restanoaggregati alla disposizione della Sig. Punzi annui Ducati settanta in circa.

11. Quibus præmissis, idem Vicarius Capitularis suum ita aperit sensum - *E' fuori di dubbio essere stata necessaria la convenzione convenuta nell' istromento del dì 19. Nov. 1804. e anche quella del di 1. Ottob. 1809. della quale se ne esibisce la copia, atteso colle medesime si pose in salvo la pia volontà della Testatrice D. Catarina Punzi, che stava vacillante, e soggetta a deperimento per li principj adottati in questo Regno dell' abolizione di fede Commessi, e specialmente per le due succennate disposizioni legali. Il medesimo convenio nel modo, che fu ultimato, non fu svantaggioso per il Legato pio sostenuto con energìa, e con felice successo dal Sacerdote D. Filippo Genovese, anche attente le massime, che allora correvano nel Regno. Poichè se si riflette alla ritenzione del decimo accordato in detrimento delle Messe, questa ritenzione era, ed è fondata nel dritto di allora, ed attualmente anche vigente. Se si riguarda il rilascio di annui carlini cinque in danno del pio Legato, questo vien sostenuto dal dispendio, e dubbiezza di un litigio, che era per nascere. Perciò, che concerne la lite sostenuta col Duca di Campagna, fu questa necessaria per assicurare, siccome diffatti vennero assicurati, gl' interessi del pio Legato coll' aggiudica del fondo, il fruttato del quale fatto liquidare da me da un probo Perito, ho veduto, che ascende ad annui scudi 70. circa depurati dal peso fondiario, che si corrisponde allo stato, e di Ducati sei per il Procuratore.*

12. *Circa la spesa occorsa* (sic pergit) *tanto per li suddetti due Convenj, quanto per il litigio col Duca di Campagna, che in unum ascende a Ducati 402. prelevati dalle Messe, io altro non ho potuto verificare, se non se di essersi fatte non lievi spese, che li definiti*

piti due oggetti impreteribilmente portavano. Ma vivo nell' ignoranza dell' effettivo quantitativo di esse spese. E circa tale punto, credo, che si debba stare alle assertive del ricorrente Sig. Genovesi, per essere un Sacerdote illuminato, di ottima morale, e de' migliori di questa Diocesi.

13. *Finalmente* (sic prosequitur) *per ciò, che concerne la quarta dimanda del Sig. Genovesi di fare, cioè celebrare le Messe a minore stipendio di grana venti, tassate dalla Fondatrice, metto alle savie considerazioni dell' EE. VV. la cura assunta da esso Sacerdote Genovesi, e la fatica niente indifferente sofferta di tempo in tempo per assicurare la pia disposizione nelli accidenti sopravenuti posteriormente, e non previsii dalla Testatrice, per aversene quella ragione, che per diritto se ne deve avere* - Nec prætermittit - *di riferire di aver cerziorati gli Eredi della detta fu D. Catarina Punzi, e dietro le notizie dateli delle presenti mie osservazioni, e riflessioni, li medesimi circa le loro tre domande umiliate dal Sig. Genovesi si sono rimessi a ciò, che è di diritto.*

14. Quæquum acceperit Sac. Congregatio, mihi mandavit, ut eis de rebus meam Sententiam aperiam. Facilioris studii gratia rem omnem in quatuor *Dubia* distribuam.

1.° *An, et quomodo sit consulendum SSmo pro sanatione transactionis diei primae Octobris* 1809. *in casu etc.*

2.° *An sit consulendum SSmo pro absolutione a censuris in casu etc.*

3.° *An, et quomodo sit consulendum SSmo pro absolutione quoad praeteritum, et in qua summa in casu etc.*

4.° *An, et ad quem effectum sit locus reductioni, et in qua summa in casu etc.*

15. Quum cessio remissio, transactio speciem præferant alienationis, sit hinc, ut quemadmodum alienatio, ita cessio, remissio, transactio, quæ fiat de rebus, seu juribus in pias causas erogandis, vetita sit, nisi intercedat solemnitas, et causa, quarum altera in Apostolico Beneplacito, altera in necessitate, seu evidenti ipsius causæ piæ utilitate versatur -

Urceol

Urceol de Transact. quaest. 23. num. 2, cum pluribus seq. Rot. cor. Coccin. Decis. 301. num. 1. cor, Duran. decis. 459. num. 2. et seq.

16. Nihil dicam de conventione inita die 19. Novembris 1804. quamquam enim inita fuerit extinguendi gratia litem quamdam ad Forum delata a Puntiis, ceu asseverat Vicarius Capitularis, nihil tamen datum, aut remissum fuit, quod ad pium Legatum attineret, sed ea dumtaxat, quæ sui juris erant, a Sacerdote Genovesi cessa apparent: cessum nempe in perpetuum iisdem Puntiis jus celebrandi, seu celebrare faciendi quot annis, tot Sacra, quot ad rationem - *di grani venti l' una* - conficerent Ducata annua septuaginta duo, quae admussim satis erant, ut qualibet die Sacrum celebraretur, et hoc cessum duabus adjectis legibus; altera - *di esibire in ogni mesi sei, la fede della celebrazione di tal Messa quotidiana, ad esso D. Filippo, o ai di lui Eredi, e successori, o a colui, o coloro, cui fosse stato dato l' incarico suddetto* - altera quod - *estinta la Famiglia dei detti Signori Punzi, il carico della celebrazione di tali Messe dovesse intieramente ritornare al detto Sacerdote Don Filippo, o a di lui Eredi, e Successori in perpetuo* - ampliusque in perpetuum cessa sunt Ducata sex ex illo emolumento eidem Sacerdoti Genovesi, aliisque Legatii pii Exequutoribus in annuis Ducatis viginti relicto. Nulla igitur solemnitas, nulla causa requirebatur, ut illa conventio perficeretur.

17. Secus tamen se res habet quoad alteram transactionem *die prima Octobris* 1809. inter easdem Partes exaratam. In hac non modo defuit Apostolicum Beneplacitum, verum etiam non parum detractum videtur juribus causæ piæ, quæ sarta tecta servare econtra oportebat, ut suprema Testatricis voluntas omnimodam sortiretur exequutionem. Quandoquidem suis illa præceperat hæredibus, eorumque Successoribus - *di dare terziariamente dalli primi, e precipui annui interessi delli descritti miei Capitali l' annua somma di Ducati centocinquanta al detto Sacerdote D. Filippo Genovese* - eoque defuncto, ejus hæredibus, ac Successoribus, ut ex dicta summa Ducata centum triginta erogarentur in Sacrorum celebrationem

nem - *per tutta la durata del mondo* - , et reliqua pecuniæ vis in beneficium cederet eorumdem Legati pii Exequutorum . Ex his igitur palam , et evidens fit , quod quæ pecunia præstanda erat ab hæredibus , nulli , vel minimæ detractioni ex oneribus a Suprema potestate impositis , ac imponendis subesse debuerit . Secus namque non amplius Ducata centum triginta in Sacrorum celebrationem impendi , et reliqua Ducata viginti ab Exequutoribus retineri potuissent ; atque ita fraudata esset piæ Testatricis voluntas . Contra vero in ea transactione pacto convenit - *Che la prestazione degli annui Ducati centoquarantaquattro a compimento dei Ducati 150. legati a D. Filippo Genovesi debba intendersi lorda , e soggetta alla ritenzione , e deduzione della decima , che ritengono tutti li debitori di capitali ereditarj di detta fu D. Catarina Punzi , fra quali quello assegnato a D. Filippo Genovesi , e che questa deduzione venga a minorare il numero delle Messe.*

18. Nondum satis - Voluerat , ac præceperat Catherina Punzi - *che per la più facile esazione delli suddetti annui Ducati centocinquanta , i sopradetti miei Eredi deleghino , ed assegnino la detta annua somma alli sopradetti Esecutori del mio perpetuo pio Legato dagli annui interessi di quelli de' sopradetti miei capitali , che saranno eletti , e prescelti da suddetti Esecutori del detto Legato , colla facoltà ai medesimi di variare , quante volte vorranno un tale assegnamento , sopra gli annui interessi di altri de' suddetti miei capitali , e di ottenersi l' assegnamento suddetto dal Giudice competente ; quante volte incontrassero resistenza ne' suddetti miei Eredi .*

19. Quid vero in transactione? Non modo ex illis Ducatis centum quadraginta quatuor (quum tria capita cessa pro pio legato , parem non redderent fructum) subducti caroleni viginti quinque , ea lege , ut - *di questi se ne debbano rilasciare a detti Sig. Ponzi carlini cinque , e gli altri carlini venti si debbano dedurre , e mancare dagli annui Ducati 72. per la celebrazione di una Messa giornale concessa da detto D. Filippo alla Famiglia di detti Sig. Punzi nel citato istromento dei 19. Novembre 1804.* - verum etiam dicta

tria

tria capita *in solutum* data fuere : atque hinc pacto convenit - *che il suddetto D. Filippo , suoi Eredi , e Successori in perpetuum , mai , ed anche per qualunque caso non possano domandare , ne pretendere indennità , o rimpiazzo , ancorchè per qualunque accidente si perdessero in tutto , o in parte li suddetti tre capitali dati in solutum .*

20 Ex his igitur, quæ in controversa transactione pacti sunt Contrahentes , in comperto esse videtur , non tantum abfuisse transigendi causam ; quæ versari oportebat in Legati pii utilitate , sed etiam idem Legatum non levem tulisse jacturam . Quinimmo , quamquam de transactione ageretur , quæ acta esset inter Privatos , qui nullo speciali privilegio potirentur viribus constare illa nequiret ; semel atque nulla erat ambigendi ratio , quod integra Ducata Centum triginta eroganda forent in Sacrorum celebrationem ; quodque Exequutoribus jus semper esset capita sibi cessa variandi , ac Judicem adeundi - *quante volte incontrassero resistenza nei suddetti miei Eredi* - Transactionis enim essentia , et substantia versatur potissime in incerta alea , quæ transigentes afficiat - *Qui transigit , quasi de re dubia , et lite incerta , neque finita transigit* - Sic Ulpianus *in L. 1. ff. de Transact.*

21 *V*ideo quidem in publicis i lis tabulis narratum - *La disputa maggiore tra esse Parti avuta , si è stata quella , colla quale detti Signori Punzi han preteso , che il suddetto Legato Messe già abolito a loro favore per effetto della Legge dei 19. Giugno 1807. , colla quale sta deciso , che tutti li Beneficj , Cappellanìe , e Legati pii di Messe restassero da quel giorno aboliti a favore dei Padroni , coll'obligo di far celebrare le Messe , e che solamente il D. Filippo poteva pretendere la celebrazione sua vita durante , per effetto della disposizione della Legge ;*

22 Sed itidem video scite responsum a Sacerdote Genove- *Il caso presente sia tutto diverso da quello , che suppone la Legge . La Legge suppone un Beneficio , una Cappellanìa , un Legato Pio , al quale il Beneficiato , il Cappellano , o il Celebrante sia stato nominato dai Patroni ; in questo caso ha dichiarato la libertà dei Beni a favor loro , coll' obligo delle Messe , accettan-*

do

do solamente la durata della vita di quelli nomiuati, e possessori, che si trovassero viventi. Mà che nel caso presente si trattava di un mero Legato pio dalla Testatrice fatto al detto D. Filippo, suoi Eredi, e Sncessori anche Laici in infinitum; sicchè la prestazione degli Annui Ducati centocinquanta fu sin dalla morte della Tessatrice una quota della sna Eredità separata dalla massa, formando come un Legato semplice a favore del Genovese, suoi Eredi, e Successori col peso delle Messe; ed essendo Egli colli suoi Eredi, e Successori li Legatarj perpetui inamovibili, irrevocabili, per effetto della disposizione della Testatrice, non già per nomina di detti Sig. Punzi, come suppone la Legge, era chiaro per conseguenza, che in persona del Genovesi, e de' suoi Eredi, e Successori in infinitum risiedesse il Patronato tanto attivo, quanto passivo di detto Legato pio, e perciò non fossero adattabili in questo caso li termini della Legge, la quale suppone, che li beni mai siano usciti dal dominio dei Patroni, e che questi avessero fatta la nomina di un Beneficiato, Cappellano, o Celebrante – Nec prætereundum est, quod quamquam Lex illa in casu, de quo agebatur, vires suas exerere posset, jus quidem periisset Sacerdoti Genovesi, ejusque hæredibus, ac Successoribus a Testatrice tributum; non tamen quidquam detractum esset Legato pio, cui per Sacrorum celebrationem a Puntiis omnimoda danda semper erat exequutio.

23 Hæc, et hujus generis alia, quæ obiici possent, tanti valerent, ut si secundum juris rigorem agendum foret, viribus consistere forte nequiret stipulata transactio, nec digna videretur Pontificia sanatione. *V*erum, si quæ in re nata concurrebant, perpendantur, mea fert opinio, ut, quamquam nulliter acta, Apostolicum, robur eidem adiicere mereatur. Ex iis, quæ narravi, colligitur, ex pio Legato subductos tantummodo fuisse *carolenos viginti quinque*; quinque nempe Puntiis remissos, et reliquas supputatos – *dagli annui Ducati 72. per la celebrazione di una Messa giornale concessa da D. Filippo col citato Istromento dei 19. Novembre 1804.* quæ quidem supputatio nihil detrahit Legati pii exequutioni, quæ per

celebrationem *Missae quotidianae* fieri debet a Puntiis, quibus propterea danda tantum erunt ab Exequutoribus annua Ducata septuaginta. Tria illa nomina annuum fructum gignentia in Ducat *centum quadraginta uno cum dimidio* data quidem fuerunt in solutum, eaque Lege, ut ab Exequutoribus præstanda foret decima, quam in pensitandis publicis oneribus jus erat debitoribus retinendi, tamquam quotam partem a Creditore ex lege pensitandam; sed hæc vix annua Ducata quatuor attingebat. Et quamquam ex datione facta in solutum, evenerit; ut ad recuperandum nomen Ducis di Campagna, a quo singulo in anno solvenda erant Ducata quinquaginta duo cum dimidio lis agi debuerit, et in hanc impensa dicuntur *Ducata biscentum nonaginta*, nihilo tamen minus Sacerdos Genovesi fundum adquisivit,qui annuum fructum gignit ab omni onere immunem *in Ducatis septuaginta circiter*.

24 Quamquam igitur dilata sitLegati pii exequutio,tractu tamen temporis plenior evadet. Quandoquidem ex prioribus illis capitibus piæ causæ assignatis percipitur reditus annuus in Ducatis *Octoginta novem*, a quibus, subducta decima, quæ vix attingit *Ducata duo cum dimidio*, remanent *Ducata Octoginta Sex cum dimidio*, quibus super additis Ducatis aliis *septuaginta circiter*, habetur saltem annuus reditus in *Ducatis centum quinquaginta sex*. Atque ex his subductis *Ducatis quatuor supra decem* retinendis a pii Legati Exequutoribus, suqersunt saltem *Ducata centum quadraginta duo*. Duo illa capita, tamquam nomina in solutum data, subesse quidem possunt ob rerum vices jacturæ periculo: sed animadvertere oportet, universam haereditatem Catharinæ Punzi constare ex solis nominibus annuum reditum producentibus, in *Ducatis quatuor centum*, quae propterea eidem periculo subesse queunt; contra vero pro Legato pio adquisitum esse Fundum annuum reditum gignentem in *Ducatis septuaginta circiter*, qui deficere numquam poterit.

25 Plus etiam. Quum omne fideicommissi vinculum per legem solutum jam esset; ea nomina impune alienari poterant, ac possunt a Puntiis ac si alienata

nata essent, vel imposterum alienarentur; causa pia nullum jus experiri potuisset, ac posset adversus adquirentes eo vel ipso, quod agebatur, et agitur de nominibus, quae ex lege tunc, et adhuc vigente nulli suberant, et subsunt hypothecae; ideoque actio personalis exerceri tantummodo valuisset, ac valeret adversus ipsos Alienantes; sed nihil forte ob supervenientem eorum indigentiam profutura. Sit vero, quod lex Invasoris haud redemisset haeredes ab onere adimplendi Legatum per Sacrorum celebrationem: At non adimpleta fuisset Testatricis voluntas, quae prudenti consilio perpetuos selegit ejusdem Legati pii Exequutores, ne a suis haeredibus frustratum redderetur.

26 Quae Puntii proponebant, eo spectare videbantur, ne pia eorum auctrici voluntas plenam sortiretur exequutionem. Quid vero boni sperandum infaustis illis temporibus, in quibus sacrosanta Religio despiciebatur? Ponamus tamen, quod causas tenuisset Sacerdos Genovesi. At quot gravissimi sumptus tunc profusi, omnesque subducendi ex ipso Legato pio, quod propterea ad nihilum ferme redactum esset. Nec transactio marte suo, sed Jurisconsultorum adhibito consilio, a Sacerdote Genovesi inita fuit: Ac patet ex publicis ipsius transactionis tabulis cuncta singulari sedulitate, ac studio fuisse discussa; et pro parte praedicti Sacerdotis nihil praetermissum, quod attineret ad ea profliganda, quae contra proponebantur.

27 Quisquis igitur haec omnia aequa lance perpendat, nequibit, ut reor, non reputare rem gestam tum omni doli, fraudisque suspicione carere, tum justam, utilem, ac propemodum necessariam non defuisse causam, ut illa transactio perficeretur, ne secus pium Legatum multiplici lite jactatum omnino periclitaretur. Sola autem, et si *levissima* de incerto litis exitu *dubitatio*, dummodo absit dolus, et calumnia, causam transigendi justissimam suppeditat, efficitque, ne transactio super re clara cecidisse dicatur. *Urceol. de Transact. quaest.* 2. *num.* 40. *Rot. in Fulginaten. Nullitatis Transactionis* 12. *Maii* 1806. 56. *cor. R. P. D. Tassoni* Quinimmo,

si dolus, et fraus abesse videatur, solus a litibus et expensis recessus justam, e legittimam causam praebet ineundae transactionis. *Vot. ad Pandeit. lib. 2. tit. 16. num. 11. Vinnius de Transact. cap. 4. num. 4. et seq. Si quidem*, ut belle inquit *Cassiodorus Var. lib. 1. epist. 5. - In immensum trahi non decet finita per transactionem litigia dum tutus inter procellas humanas constitutus est portus, quem si homines fervida voluntate praetereunt, in undosis jurgiis errabunt.*

28 Venio ad *Secundum Dubium*, a quo me paucis expedio. Agitur de transactione, quae ab Oratore inita fuit eo tempore, quo difficulter patebat accessus ad S. Sedem, ac de transactione, quae bona fide ab eodem Oratore peracta videtur. Quapropter, si forte incidit in censuras, absolvi meretur.

29 *Ad Tertium Dubium digredior*. In genere negari non posse, videtur, quod Orator ob praetermissam Sacrorum celebrationem dignus sit absolvi *quoad praeteritum*; quoniam non levem pecuniae vim certo certius impendere debuit in lites ac ad ineundam transactionem, quae gravissimo Juris consultorum adhibito consilio expleta dignoscitur, eoque pacto expleta, ut sumptus omnes subeundi forent a Sacerdote Genovesi, quod quidem pactum, tamquam integralem ipsius transactionis partem constituens, nefas est moderari, quin universa subvertatur transactio. Quaerendum igitur superest, quid, et quantum sit revera impensum. Asserit Orator in Causam transactionis initae die *prima Octobris* 1809. impendisse Ducata septuaginta duo circiter; ac in litem actam adversus Ducem di Campagna Ducata *biscentum nonaginta circiter*, et a debitore refacta tantummodo *Dacata sexaginta*, non tamen in pecunia, sed in fundo comprehensa sibi adjudicato. Addit autem Vicarius Capitularis, sibi eumdem Oratorem asseruisse, quod alia *Ducata quadraginta* impenderit in litem actam paulo post obitum Testatricis, ad quam componendam inita fuit *die* 19. *Novembris* 1804. ea conventio cujus superiori loco mentionem feci. Sic igitur impendisset Orator *Ducata duo supra quatuor centum cir-*

ci-

citer quae erogari debuissent in Sacrorum celebrationem. Sed quum nulla acceptitatio exhibita sit ab Oratore, fatetur idem Vicarius Capitularis - *Vivo nell' ignoranza dell' effettivo quantitativo di esse spese* - subdit tamen - *Credo, che si debba stare alle assertive del Ricorrente Sig. Genovese per essere un Sacerdote illuminato, di ottima morale, e de' migliori di questa Diocesi* -

30 Cum de sumptibus ageretur, in damnum cessuris Legati pii, Sacerdotis Genovesi muneris esse debebat, ut sibi caveret acceptilationibus a Tabellionibus Jurisconsultis, et Causidicis, quorum operam conduxerat, conficiendis. Sed quum inverosimile non sit tantam pecuniam in eas causas impensam fuisse, agaturque de Viro Sacerdotali charactere insignito, fraudis inscio, bonis moribus imbuto, ac de cujus fide, et integritate bene sensisse videtur vel ipsa Testatrix; absolutionem *quoad praeteritum* indulgendam esse censeo, habita ratione ad eam Missarum quantitatem, quae ad formam testamenti Catharinae Punzi celebrari debuisset ad summam usque *Ducatorum quatuorcentum*, ita tamen, ut quidquid superest (quod attinet admodum) ex annuis reditibus, ultra *Ducata centum quadraginta duo* quot annis, ac in perpetuum erogandum sit in aliarum Missarum celebrationem. Dico ultra Ducata *centum quadraginta duo*; quoniam, ceu jam exposui, quum ad peraequandam summam *Ducatorum centum quadraginta quatuor*, monetae Règni deessent caroleni *viginti quinque*, ex his per transactionem *qinque* remissi fuerunt haeredibus, et reliqui *viginti* subducti - *dagli annui Ducati 72. per la Cappellania di una Messa giornale concessa da D. Filippo alla Famiglia de' detti Sig. Punzi* - qui propterea acceptis dumtaxat *Ducatis septuaginta*, Missam quotidianam ad formam testamenti Catharinae Punzi celebrare debebunt, usque dum eadem fruantur Capellania.

31. Reliquum est, ut fiat *quarti Dubii solutio*. Instat Sacerdos Genovesi, ut eleemosyna, quam statuit testatrix *in granis viginti*, reducatur, et haec fiat reductio, ut quod ex eadem supersit eleemosina,

sibi

sibi retineat. Ejus petitioni favet Vicarius Capitularis, ratione habita ad eas, quas Orator tulit, solicitudines, ut pia testatricis dispositio suam sortiretur exequutionem. Verum si Catharina Punzi in exequutorem piae suae dispositionis Oratorem selegit, eique facultatem tribuit nominandi alios, qui deinde hoc officium exercerent; si praeterea annua Ducata viginti (quamquam deinde per conventionem initam cum Puntiis reducta ad ducata quatuordecim) eidem aliisque futuris exequutoribus in perpetuum reliquit, palam, et evidens est, Oratorem cum operam dedit, ne pium illud legatum intercideret, quae sui muneris erant, exequutum esse. Contra vero non amplius piae testatricis voluntati daretur exequutio, sed illam commutare oporteret, quoties diminueretur eleemosyna, quam ipsa designavit pro Missarum celebratione; quae tamen commutatio fieri nequit, nisi necessaria vel utilis causa cuncurrat.

32. Omnia exposui, quae ad rem mihi mandatam attinebant; meamque sententiam aperui, quam tamen subiicere profiteor sublimiori EE. VV. judicio, quarum manus umiliter deosculor.

Dubia proponuntur.

I. *An, et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro sanatione transactionis diei* 19. *Novembris* 1804. *in casu etc.*

II. *An, et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro sanatione transactionis diei* 1. *Octobris* 1809. *in casu etc.*

III. *An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione a censuris in casu etc.*

IV. *An, et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro absolutione quoad praeteritum, et in qua summa in casu etc.*

V. *An, et ad quem effectum sit locus reductioni, et in qua summa in casu etc.*

Ad I. Affirmative.

Ad II. Et III. Affirmative juxta votum Eminentissimi Relatoris.

Ad IV. Dilata, et scribatur Episcopo juxta mentem.

Ad V. Negative juxta votum Eminentissimi Relatoris.

RO-

ROMANA REDUCTIONIS. Venerabilem Archiconfraternitatem *del Confalone* Urbis, Matthaeus Ghirlandoni in extremis tabulis anni 1734. haeredem universalem instituit. Ejus Patrimonium constabat ex Locis Montium, et annuo censu scutorum 19. 90. in sorte scut. 796. et annuatim reddebat scuta 1468. 83., voluitque, ut ex his sequentia onera implerentur. Nimirum, ut quinque Missae quotidianae celebrarentur; ut octo dotes scutor. 25. pro qualibet, et vestes nuncupat. *Roversi in scut.* 5. unicuique dotatae dum, vel in Domino, vel in Saeculo nuberent darentur - *volendo, che tutte unite il giorno della Madonna Santissima della Candelora vadano nella Chiesa di S. Agostino a fare le loro devozioni in suffragio de' Benefattori con assistere ad una Messa bassa all' Altare Maggiore di detta Chiesa* -, ut solverentur scut. 8. pro remuneratione Aeditui Ecclesiae S. Augustini, et scut. 40. titulo utensilium pro 5. quotidianis Missis. Stipendium scutorum 100. receptori redituum; scuta 40. Archiconfraternitati in praemium ejus Deputatorum, quos ternos nominavit, eisque adimplementum onerum commisit; ut eleemosyna annuatim largiretur pro qua peculiarem fundum destinavit, etsi aliquid superextaret in *captivorum redemptionem*, pauperumque subsidium erogaretur, et ad demonstrandam ejus voluntatem, ut legata antea ordinata praelative adimpleri deberent, hisce verbis suam clausit dispositionem, *volendo però, che si soddisfaccino i sopraddetti pesi.* *Sess. 25. cap. 4. de Reform.*

Omnium horum onerum implementum requirebat annua scuta 765. 14. quae summa vix superabat medietatem redituum scut. 1468. 83. + ita ut administratores superextantem summam in scutis septingentis et ultra commode in captivorum redemptionem erogarunt usque ad annum 1798.

Ast cum eo tempore subverso Pontificio Regimine suspensa est solutio fructuum Locorum Montium, ac deperditum in Sacra Sede factum ex pecuniis, quae in solutione dotium eroganda erant; hinc neque testamentaria Ghirlandari dispositio neque so-

lu-

lutio dotium ab illo tempore promissarum potuit impleri, quae Dotes debitum haereditatis constituunt in summa scut. 1200.

Restituta Supremi Principis providentia fructuum locorum Montium exigentia modernus haereditatis Ghirlandari reditus non excedit annua scuta 712. 47. $\frac{1}{1}$ ut constat ex calculo ratiocinatoris. Cum hic reditus non aequet scuta 765. 14. ad quae (comprehenso legato pro pauperibus Albani juxta vero antiquos Locorum Montium fructus) annua onera rediguntur; ita Primicerius, et Deputati postularunt, ut pia implerentur legata, sed ad aequandam passivam differentiam scutorum 55. 66. $\frac{1}{1}$ inter introitum, et exitum, tolleretur onus vestium octo dotandis puellis in scutis quinque pro qualibet unde annua scuta quadraginta redirent; et pro reliqua deficienti summa eleemosyna pro pauperibus Albani minueretur. Insuper postularunt novas dotes non esse conferendas, donec jam antea collatae, et non solutae, quae summam perfectam conflant scutor. 1200. non solverentur.

Precibus Emo Protectori remissis, ut in primis audiret Confratres per secreta suffragia, ait, Primicerium Deputatosque censuisse, non expedire secreta suffragia Confratrum super re ad ipsos minime pertinenti exquirere cum nullum sit Confratrum interesse in administranda haereditate pii Fundatoris, qui ad effugendas exequtionis suae voluntatis ambages universae sodalitatis consilia non curare declaravit his verbis - *dichiaro, e voglio, che di questa mia eredità ne abbiano sempre ad essere li meri, ed assoluti dispotici l'Eminentissimo Sig. Cardinal Protettore, con tre dei primi Sigg. Deputati più anziani di detta Confraternita.*

Nequit dubitari, quod cum actuales reditus haereditatis Ghirlandari absque ulla administratorum culpa impares evaserint ad substinenda omnia praefata onera juxta mensuram fructuum qui defuerunt, legata quoque esse diminuenda *ad text. in l. si nomen debitoris 32. §. uni ex haeredibus, vers. item rogo ff. de legat. 3.*, et ut millies haec S. Congregatio praesertim *in Ferrarien. 13. Februarii 1751.* At

am-

ambigi poterit super quo legato reductio sit decernenda.

Verum enim vero antequam ad examen hoc accedant EE. PP. animadvertendum est, annua Legata juxta calculum exhibitum ideo ascendere ad summam scut. 765. 14., quia interea numeratur eleemosyna pro pauperibus Albani assignata in annuis scut. 37. 14. Pro hoc Legato Testator, ut superius memini, Domum Albani positam, ejusque pretium in locis Montium investiendum destinavit, itaut cum hi fructus hodie minores sint, sequitur, ut non amplius scuta 37. 14. sed tantum scuta 17. 75. percipiantur. A statu etiam passivo demenda sunt Annua scuta 3. pro Sacrista Ecclesiae S. Augustini inter Testamenti onera minime scripta. Si ergo reducatur eleemosyna pro Pauperibus Civitatis Albani ad scuta 17. 75. quot sunt reditus LL. MM. a Testatore assignati, minuetur exitus in scut. 19. 39. ita ut pro implemento omnium onerum non scuta 765. 14. sed tantum scuta 745. 75. requirantur.

Porro actualis hujusce haereditatis reditus, qui utpote constitutus in fructibus LL. MM. et Census diminutionem non patiuntur, sunt in annuis Scutis 712. 47 ½. Hinc facile colligitur exitum superare introitum in scutis 33. 27 ½.

Diminutis reditibus ita ut impares evaserint ad ferenda onera ipsa onera reducenda esse saepe saepius tradidit S. Congregatio praesertim in *Romana Comutationis voluntatis 27. Februarii* 1734. Eminentissimus Protector una cum Administratoribus esset in voto, ut adimatur Legatum octo vestium dotatis praestandarum in scutis 5. pro qualibet, quod scuta 40. constituit. Et re ipsa cum Legatum maxime in dotatione consistat si scuta 5. adimantur, quae potius quamdam extrinsecam pompam in solemni actu traditionis schedarum dotalium praesseferunt; substantia tamen manet Legati. Accedit etiam alia ratio quam affert Eminentissimus Protector: *dicitur, Puellas civili ortu praeditas etsi dotes recipiant tamen ad evitandum illarum vestium usum libenter subsidium earumdem pauperibus, ac viliori-*

bus puellis cedere, ut eae in Ecclesiastica coeremonia a Testatore volita interveniant tamquam repraesentantes ipsas dotatas. Ex hoc tollerato abusu emanat ad Mensam Eucharisticam pro benefaciente suffragando non accedere dotatas, seu beneficio affectas, sed alias personas conductas.

Verum objici posset, subsidium illarum vestium fuisse ordinatum a Testatore ante Legatum scutorum 48. pro Sacrista, et utensilibus S. Augustini, et alterum Legatum scutor. 40. favore Archiconfraternitatis; ideoque cum juxta Testatoris ordinem, quo Legata enumeravit, praesumi debeat posteriora minori in pretio habita ab ipso fuisse; haec potius posteriora, quam praecedens vestium legatum, esse adimenda. At tenue Legatum Scutorum Octo favore Sacristae non vere gratuitum, sed compensativum, et quasi pro mercede laboris haberi debet. Sic enim ait Testator - *al P. Sagrestano scudi Otto l'Anno per gratitudine, e riconoscimento delle fatiche, che avrà in questa mia disposizione* - Legatum vero Scutorum 40. Sacrario praefati Templi tribuitur titulo utensilium pro quinque Sacrificiis Missae in eodem Templo quotidie celebrandis absumendorum. Testator itaque potiusquam largitionem debiti solutionem ordinavit, et nisi ille consuluisset, Canonicae Leges idem debitum ex haereditariis fructibus satisfacere praecepissent.

Eadem difficultas in medium afferri posset quoad alterum Legatum Scutorum 40. favore Confraternitatis *del Confalone*, quod pariter posterius ordine est legato Vestium. At hoc etiam legatum aliquid remunerationis praesefert in haec verba - *al Luogo Pio del Confalone di Roma per ragion di legato si paghino ogni anno scudi 40. per l'incomodo, che avrà detta Compagnia, e per essa li tre Sig. Deputati della medesima nell' adempire alla presente mia disposizione* - Cum labores etiam ex Divino praecepto mercedem mereantur nimis durum foret praemium hoc Confraternitati auferre. Nihil enim aliud ex haereditate lucri caperet, nihilque ipsi remaneret, quam jura, et honor Deputatorum sodalitatis. Quapropter potius justum videtur Legatum Vestium

octo

ecto dotalis assignatum, quam scuta 40. Sodalitati relicta, licet posteriori in sede a Testatore posita esse abroganda.

At *cum* (ait Eminentissimus Praefectus) *praefatarum Vestium ademptio scuta 40. haereditati parcat, et pro aequanda Summa coeterorum Legatorum ex nuper exposito calculo scuta 33 27 ½ sat esse constet ita ex illius Legati suppressione scuta 6. 72 ½ remanent, haec summa vel exigua ut Testatoris voluntas rigida adimpleatur verti debet in Captivorum redemptionem, quia ille in Articulis 14. et 21. Testamenti super extantes in illam causam erogari ordinavit.*

Quoad aliud Legatum eleemosynae Albani Pauperibus distribuendae, de qua Oratores Reductionem implorant, jam praemonui, Testatorem Domum Albani pro ejus dote assignasse, seu illius pretium, quod in Locis Montium 12 $\frac{50}{555}$ juxta praeceptum expressum in Artic. 8. Testamenti fuit investitum. Cum igitur Legatum super speciali fundo fuerit taxative impositum, secernendi sunt ejusdem fundi fructus ab aliis haereditariis, et peculiari tantum ratione illius Legati adimplemento applicandi; nec aliis haereditariis reditibus uniendi sunt ut ita augmento, aut reductioni fiat locus. Cum igitur certum in facto sit ex praedictis Locis 12 $\frac{50}{555}$ nunc annua scuta 17. 75. tantum absque ulla culpa redire illius Legati reductio ab antiqua Summa scutorum 37. 14. ad minorem scutor 17. 75. ipso jure profluit prout tradit *Monacell. formol. legal. 19. tit. 20. p. l. num. 25.* et firmavit haec S. Congregatio plerumque ob imminutionem fructuum Locorum Montium in *Romana Supplementi, et Reductionis ad II. Dubium 23. Januarii* 1802. *in Romana Reductionis onerum* 21. *Augusti* 1802. *in Civit. Castell. Reduct.* 19. *Julii* 1806., et alibi.

Hactenus de reductione; nunc videant EE. PP. an alteri Oratorum petitioni sit indulgendum, nimirum ut novae dotes non conferantur, nisi antea collatae solutae fuerint.

Ex exhibito Cathalogo patent nomina Puellarum, et tempora queis usque ad annum 1798. dotes colla-

tae sunt. Harum debitum ad summam scutor. 1200. ascendit. Ast longe fortasse imminuetur, quia nonnullae ex dotatis ante status electionem lumina clauserint, vel quia ita processerint in diebus suis, ut spes evanuerint illas amplius nupturas fore.

Hanc Deputatorum petitionem probat Emus Protector, qui etiam methodum proponit, qua tum collatis, tum conferendis dotibus sit consultum. Ita ait - *Ad dignoscendam itaque veram Dotium solvendarum quantitatem expediens erit, ut post Vestrum judicium Sodalitatis Deputati typis significent, Puellas, quae Dotes usque ad annum 1798. non exegerint, praefinito in tempore illas denunciare debere, et schedulas earum collationis exhibere. Hac methodo facile deprehendetur quantitas Dotium persolvendarum illis, quae vel in Domino vel in saeculo jam nupserint, et quantitas illarum, quarum solutio adhuc non cessit, quia illae nuptiae non fuere sequutae. De hoc postremo genere fortasse nunquam amplius eveniet solutionis casus ob ingravescentem Dotatarum aetatem. Detecta ita debiti Dotium collatarum notione, et quantitate illarum, quae forent illico, solvendae, et quae adhuc non sunt numerandae iidem Deputati, relicta in suspensum nova collatione octo Dotium reditus illis assignatos in Aede Sacra deponent, et servata collationis anterioritate, numerabunt primo illas, quarum solutio jam cessit. Quoad, illas, quae adhuc ex nuptiarum defectu non sunt pensitandae, Depositum firmum manebit, donec nuptiae sequantur. Expleto pro omnibus Dotibus persolvendis Deposito, si tractu temporis obiret aliqua, cujus Doti eo Deposito provisum foret, nova Dotis collatio explebitur. Hinc mihi videtur, sat esse Archiconfraternitatis Rectoribus praecipere, ne alias Dotes conferant, nisi collatae solvantur, quia ipsi illarum notionum praesidio mensuram temporis deprehendent postquam nova collatio erit incohanda.*

Dubia proponuntur

I. An *et quomodo sit locus reductioni in casu ec.*

II. *An adimi debeant scuta quinque Puellis Dotatis pro Vestibus vulgo* - Roversi -

III. *An*

III. *An et quomodo providendum sit pro Dotibus jam collatis, et adhuc non solutis, in casu ec.*

Ad I. Affirmative ita ut reducta eleemosyna favore pauperum Albanensium ad ratam, fructuum qui exguntur ex LL.MM. destinatis pro Legato, et demptis annuis scutis tribus jam superadditis favore Sacristæ S. Augustini quidquid deerit dematur ex annuo emolumento Exactoris.

Ad II. Provisum in Primo.

Ad III. Affirmative juxta Votum Emi Protectoris.

CIVITATIS CASTELLANAE UNIONIS CAPELLANIAE

Petrus Ciani in testamento condito anno 1756. hæredem universalem scripsit Ecclesiam B. Mariæ Virginis - *del Ruscello* - quæ extat prope Oppidum Vallerani in Diœcesi Civitatis Castellanæ, relicto usufructu, quoad viveret, Uxori suæ Paulinæ, cui injunxit - *possa, e debba nominare un Cappellano Sacerdote, o Chierico a suo arbitrio, ed assegnarli un annuo assegnamento di scudi Cinquanta con obligo però, che il Cappellano, che elegerà, o nominerà debba celebrare, o far celebrare per suffragio dell' anima mia, de' miei defonti Genitori una Messa quotidiana nell' Altar Maggiore della Ven. Chiesa del Ruscello, ed un Anniversario l' anno nel giorno della mia morte in perpetuo* - Post Uxoris mortem jus nominandi tribuit suo Exequtori Testamentario Dominico Manfredi, ejusque Filiis, quibus substituit Bonaventuram Floridi. Attenta renunciatione tum Dominici Manfredi approbata per Rescriptum S. M. Pii VI. tum Bonaventuræ Floridi, jus hoc nominandi Capellanum devolutum est ad ipsam Ecclesiam B. Virginis - *del Ruscello* hæredem proprietariam.

Sess. 23. Cap. 6 de Reform.

Sunt in hac Ecclesia quatuor Capellani cum onore Choralis assistentiæ singulis Sabathis, ac diebus Festis, et celebrandi 152. Missas pro unoquoque absque designatione Ecclesiæ; quorum *Primus* qui etiam Sacristiæ, et Custodis Ecclesiæ munere gravatur, habet annuum reditum scutor. 56. 70. *Se-*

Secundus et Tertius cum obligatione excipiendi Confessiones scut. 52. 40. pro quolibet ; *Quartus* denique cui nocturna Ecclesiæ custodia concredita est scut. 56. 40.

Prior, et Officiales prædictæ Ecclesiæ postularunt a SSmo, ut in proxima Capellaniæ Ciani vacatione fieret illius perpetua unio quatuor supra memoratis Capellanis, inter quos tum onus Missæ, et Anniversarii, tum reditus sc. quinquaginta in hanc Causam legatus divideretur, ut ita aucto singulis emolumento scut. 12. 50. et obligatione celebrandi Missam quotidianam in Ecclesia B. Mariæ Virginis magis accuratum, assiduumque illius Templo servitium præstarent.

Plura postulata sunt ab Episcopo in duplici requisita Informatine, ex quibus eruitur neminem esse Patronum, cujus juri nominandi præiudicium inferatur, sed in vim renunciationum tum Manfredi, tum Floridi jus omne ad Officiales, ac Moderatores prædictæ Ecclesiæ, qui unionis gratiam implorant, spectare. Retulit etiam Episcopus transmisso decennali statu introitus et exitus ex reditibus Ecclesiæ non posse ullo pacto Capellanorum augeri assignamentum. Hinc ita concludit in postrema Informatione - *Unico itaque hujus Capellaniae post mortem Victoris Purchiaroni Sacerdotis prope octogennarii actualis Capellani non exigue utilitatis Ecclesiae, et Capellanorum dignoscitur. Enim vero Sacerdotes facilius ad dictas Capellanias concurrentes invenientur, quod ad praesens non verificatur promptiores ad Chori servitium erunt, ac Missae Capellaniae Ciani inter ipsos ratatim distributae in eadem Ecclesia celebrabuntur. Ideoque petitam unionem concedi posse puto juxta praecedentem meam relationem* -

Verum enim vero defunctorum voluntates religiose sunt custodiendæ, easque servari, non quavis ex causa commutari debent ex *Can. Ultima Volnnias* 13. *quaest. 2. et leg. omniumCod. de Testamentis*. Porro in casu aliqua communtatio fieret voluntatis Petri Ciani, si petita indulgentur unio. Nam licet eadem celebrarentur suffragia in præscripta Ecclesia - *del Ruscello* - tamen novus Capellanus a Testatore vo-

li-

litus supprimeretur, qui cum sciret quatuor jam adesse Capellanos in eadem Ecclesia nihilominus eos non vocavit ad celebrationem quotidianæ Missæ, sed jussit alium designariCappellanum ab iis, quibus nominationis jus tribuit.

Sed econtra plura afferri possent exempla, in quibus juxta etiam *Trident. Concil. Sess.* 23. *Cap.* 6. *de Reform.* si justa, et necessaria causa concurrat facta est commutatio voluntatum, ut præsertim censuit S. Congregatio in *Foro Sempronien.* 4. *Maii* 1771. Certe in præsenti casu nulli infertur præjudicium, quia ob emissas renunciationes nemo est, qui ex activo jure patronatus nominationis honore fruatur. Non præjudicium infertur Ecclesiæ, cum eadem numero Sacrificia in ea quotannis offerantur quin interresse possit ab uno, vel ab alio Sacerdote celebrentur. Immo putat Episcopus, utile futurum ipsi Ecclesiæ, si ex obligatione imponenda antiquis Capellanis celebrandi quotidianam Missam in eadem Ecclesia, magis assiduum eisdem præstent servitium. Nulla demum in substantia Legati fit commutatio voluntatis, statim ac servatur numerus, et locus Missarum celebrandarum. Nec prætereundum est nullam in Testametariis Tabulis inveniri prohibitionem ne a Capellanis jam existentibus adimpleri posset legatum.

Videant ergo EE. Patres, utrum ex iis quæ ab Oratoribus adducuntur, et ab Ordinario confirmantur, probari possit *necessitas* augendi Capellanis stipendium, et *utilitas* Ecclesiæ designatæ, unde legitima commutandæ voluntatis causa emergat.

Dubium erit

An sit consulendum SSmo pro perpetua unione Capellaniae in casu ec.

Non proposita cum sequen.

MAN-

Sess. 23. Cap. 9. de Reform.

MANTUANA. Joseph Mauritius Vannini in executionem Piæ Mentis Juliæ Savelli simplex Beneficium instituit sub titulo SS. Antonii Abbatis, et Gregorii ad Altare Eorumdem Sanctorum in Ecclesia Parrochiali S. Stephani nuncupat - *la Madonna del Popolo* - cujus tam activum, quam passivum juspatronatus reservavit Familiæ Vannini, et in defectum hujus Lineæ orphanotrophio Puellarum Luzzariæ.

Onus autem imposuit unius Missæ omnibus diebus Festis, et geminarum Missarum in singulas Hebdomadas.

Unica Familiæ Vannini superstes est Marianna Vidua Maj, ad quam spectat hujusmodi Beneficii nominatio, quæque postulavit suspensionem nominationis Beneficii, donec, et quousque Petrus ejus Filius ad Conciliarem ætatem perveniret; Postulavit insuper condonationem Missarum non celebratarum a die vacationis ejusdem Beneficii ob mortem ejus ultimi Rectoris sequutam die 13. Aprilis anni 1813. usque ad annum 1817. necnon reductionem Missarum in posterum celebrandarum.

Cum Patrona supradicti Beneficii vivat in Diœcesi Mantuana, et Fundus, et Locus Pius Luzzariæ in illa Guastallæ fuerunt hinc remissæ precesOrdinariis utriusque Diœcesis.

Ex informatione Vicarii Capitularis Mantuæ consensus eruitur Archipresbyteri S. Appolloniæ, ad cujus Ecclesiam Parrochialem una cum titulo alterius Ecclesiæ Parrochialis S. Stephani simplex Beneficium, de quo agitur, translatum fuit.

Ex Beneficii institutione clare evincitur Oratricis Filium passiva vocatione donari. Ex fundis vero, quibus Beneficium constat deductis oneribus, et Missarum eleemosyna, supersunt annua circiter scutata 42. Confirmatur denique non solum Testatori propinquitas, sed etiam Oratricis extrema paupertas.

Vicarius Guastallæ ita se habet - *Et primo quidem attente lecto, atque expenso Testamento Fundationis Beneficii, opportuneque conquisitis notionibus ex parte Ad-*

Administratorum Archonotrophii Puellarum in Terra Luzzariae degentium, nihil obstare comperii, quominus Oratrix voti compos fieri ex Pontificia concessione valeat. Jus enim nominandi dicto Beneficio ad memoratum Pium Institutum, quemadmodum ex allato Testamento colligitur, non devolvitur, nisi extincta linea de Vanninis, cujus unica superstes est, praefata Marianna.

Quod vero attinet ad praesentem Oratricis statum, veritati innititur, prout certis auctoribus hausimus, non modo suae conditionis status, quem SSmo exposuit, verum etiam longe deterior facta est ipsius calamitas, qua, pendentibus adhuc precibus, solatio destituta est viri, quem eo tempore amisit, cujus auxilio, vel juvandae, vel alendae prolis maximopere indigebat.

Quae cum ita sint non parum subsidii infelicis Viduae indigentiis obventurum iri ducerem, si suprema accedente Summi Pontificis auctoritate ad fructus percipiendos admitteretur, quoadusque alter Filius, nomine Petrus aetatem a S. Concilio Tridentino praescriptam attigerit, ut ipsa expostulat.

Cum nequeat in dubium revocari tum Oratricis, tum Filii cum Fundatrice propinquitas, eorumque extrema paupertas videtur hoc in casu canonicam æquitatem locum habere, qua Patrono indigenti succurritur etiam cum nominationis, ac onerum ipsorum suspensione; Ex *Concilio namque Toletano IV. Can.* 35. habetur - *Ut Patroni eorumque Filii redacti ad inopiam ab eadem Ecclesia suffragium vitae pro temporis usu percipiant* -. Cum igitur *V*idua *V*annini ex unius, alteriusque Ordinarii Informatione maxima laboret egestate, nec habeat unde quinque Filiis alimenta suppeditet, haud injuria postulat, ut per Capellaniæ temporaneam suspensionem succurratur, ad tradita per *Lambert. de Jure Patronatus lib. 3. quaest. 2. Artic. 3. num. 8. Piring. lib. 3. Decret. tit. 38. num. 37. Reiffenstuel, ibidem n. 115. quam doctrinam excepit S. Congregatio in Camerinen 21. Augusti 1784. - In Asculana dispensationis 20. Maii 1786., et in Aquen. Cappellaniae 20. Januarii, et 3. Februarii 1787.*

Quod si haec Vobis EE. PP. suadeant suspensionem nominationis; tunc de illius tempore, et modo sta-

tuendum erit, et utrum in casu, de quo agitur, deputandus sit Ecclesiasticus Administrator, qui impleta Missarum celebratione, coeterisque satisfactis oneribus Beneficii residuales reditus Oratrici consignet in suae Familiae substentationem, donec Petrus ejus Filius ad legittimam 14. Annorum aetatem pervenerit, ut *in Asculana Dispensationis 20. Maii* 1786. Huic Juris dispositioni consona esse posset praesumpta Testatricis voluntas. Nam si voluit, ut in nominatione Capellani praelationem consequerentur - *I suoi Parenti provenienti tanto dalla Linea Mascolina, che Feminina* - Non absonum ab ejus voluntate videtur, ut non extantibus pro nunc in Familia iis, qui idonei sint ad Capellaniam consequendam suspendatur nominatio, ut potius, quam extraneis Capellanis gratificetur, paupertati consulatur Consanguineorum, quos, verosimile est, chariores habuisse.

Quod vero spectat ad condonationem Missarum, quae ab obitu ultimi Capellani, scilicet ab Anno 1813. celebratae minime fuerunt, licet id sine Oratricis culpa contigerit, quia Beneficii Bona ab Italiae Invasoribus occupata fuere, attamen cum nunc una cum Praediis fructus etiam perceperit in Summa Scutorum 263., aliaque Scuta 132. ad totum praeteritum annum 1817. percipienda supersint, ex juris rigore celebrationem Missarum, quae summam exquirunt Scutorum 190. declinare non posse videtur. At urgens necessitas alendae Familiae Summam jam perceptam in Scutis 263. certo certius jam consumpsit, itaut aut Oratrici condonanda sit, aut tamquam a silice aqua ab inopi, et consanguinea Patrona expungenda. Pluries Sacra haec Congregatio Patronorum necessitatibus opem tulit, ac praesertim *in Lucana 17. Januarii* 1789., *et in Bononien. Commutationis voluntatis 17. Septembris* 1791. Videant ergo EE. Patres, an ex perceptis, ac percipiendis fructibus quae intermissa fuerunt celebrentur sacrificia, vel potius facta condonatione Summae jam perceptae, cogenda sit Oratrix ad satisfactionem Missarum ad mensuram Summae adhuc exigendae.

Restat demum ut EE. Patres postremae Oratricis petitio-

titioni respondeant quoad reductionem Missarum in futurum. Sane temporaneae reductioni favet jam repetita necessitas alimentorum, quae suppeditari nequeunt quinque Filiis ex annuo superextante fructu Scutor. 42. At haec reductio opponitur expressae Fundatricis voluntati, quae Missam singulis diebus Festis, et duas in qualibet Hebdomada celebrandas praescripsit. Non temere, nec sine justa causa evertendae sunt Testatorum voluntates *ex Can. ultima voluntas caus. 13. quaest. 2.*

His praemissis tria proponuntur Dubia.

I. *An, et quo de tempus sit locus suspensioni nominationis in casu etc.*

II. *An, et pro qua Summa concedenda sit reductio Missarum non celebrat. ab anno 1713. usque ad exitum praeteriti anni.*

III. *An, et quomodo concedenda sit reductio Missarum in posterum celebrandarum in casu etc.*

VERULANA ERECTIONIS MONTIS PIETATIS. *Sess. 25. cap. 8. de Reform.*
Luctuosis anni 1816. Annonae calamitatibus permotus Verulanae Ecclesiae Canonicus Fulvius Perciballi erga egenos Cathedralis Ecclesiae Colonos, Frumentarium Pietatis Montem, qui iis solatii, subsidiique esset, erigendum excogitavit. Pii sui voti compos effici cupiens penes Sacram stetit Congregationem, ut erectionis legibus, conditionibusque Apostolicum accederet beneplacitum. Illud autem praenotandum in facto est, Montis hujus administrationem lubenti animo suscipere Capitulum, quin sibi quidquam mercedis pro officio praestari velit, quod omne pauperum colonorum cedit utilitati. Factum propterea est, ut in capitulari resolutione communi suffragio fuerit constitutum, ut quatuor ex Canonicis in perpetuum deputarentur sub Ordinarii directione Montis administratores, et ne quid pro locali impenderetur, Capitulum domum in hanc causam gratuito cessit. Hujus erectionis leges, et conditiones a Canonico Perciballi propositas Episcopus, et Capitulum approbarunt, quarum hic summam referam.

Prima est, ut Montis dos ex Rubris quinque Tritici

totidemque aliis Frumenti siculi, vulgo *Granturco* constituenda sit. II. Rubra isthaec mutua dari debeant colonis agrorum Capituli, ne gravi sua jactura a foeneratoribus frumentum serendum recipiant. III. Reddi debeat a mutuatariis ne dum Rubrum, quod mutuum acceperunt; sed et duodecimam praeterea ipsius partem, quam *Coppa*, o *Colmatura* dicunt. IV. Hac duodecima parte augeri debeat Montis dos usque ad triginta Rubra Tritici, aliaque 30. frumenti siculi. V. Dote sic adaucta, percipi et imposterum debeat praedicta *Culmatura*, quae eroganda erit in dotatione pauperum Filiarum eorumdem colonorum sive Monasterium ingredi, sive nubere ipsae velint, ac praeterea in remunerandis pueris illius civitatis, ejusque suburbani territorii sive masculis, sive foeminis, qui in Christianae fidei rudimentis addiscendis caeteros superassent.

Ut definiatur utrum erectio isthaec sit approbanda, et praesertim perceptio *Culmaturae* sedulo inquirendum est, quid cautum quoad lucrum vi mutui, seu quoad usuram lucratoriam a legibus sit; an foenus lucratorium, illicitumque reperiatur in interusurio Cuppae seu Culmaturae, et quibus sanctionibus sit munienda erectio, quatenus concedatur, ne temporis lapsu in vetitum declinet.

Leges omnes qua naturales, qua positivae sive ipsae sint Divinae, sive Ecclesiasticae, sive civiles omnes lucratoriam usuram prohibent, atque condemnant. Nihil enim magis naturali legi repugnans, quam lucrum ex eo percipere quod nostrum non est; prout in mutui datione evenit, qua res nostra fit aliena. Hinc *Levitici* 13. prohibetur lucratorium foenus. *Psal.* 14. qui illud peragit non introducendus dicitur in Tabernaculum Domini, et *in Psal.* 54. inter iniquitates usura reputatur; quae omnia Christus ipse confirmavit dum apud *Lucam Cap.* 6. voluit, ut mutuum daretur, quin inde quidpiam speraretur. Rectissime ergo in Cap. *Quoniam* 2. *dist.* 47., *et in Clem. unicâ de Usuris* quamplurimae contra foeneratores poenae sanciuntur, qui a jure Civili infames declarantur *L. improbum foenus* 20. *Cod. ex quibus caus. infamia irrogetur*.

Haec omnia locum habent in Usura *lucratoria* in qua ali-

aliquid supra sortem *vi mutui* dumtaxat recipitur non autem in *compensatoria* vel ob lucrum quod cessat vel damnum quod inde exoritur. Hinc, qui a Montibus Pietatis percipiuntur ultra sortem, fructus minime vetiti existimandi sunt ut Leo X. Definivit in *Const. Inter. multiplices*, post rem longe accurateque in Lateranensi Concilio disceptatam; his enim Ministrorum merces solvitur, aliaeque supplentur expensae, atque ita Montis Capitis conservationi, et indemnitati consulitur. At in praesenti casu Montis fundator Culmaturam reddi vult non ut Ministrorum et localis impensis satisfiat, haec enim omnia gratis praestantur a Capitulo, sed ut Montis dos augeatur; in quo quidem lucratoriam ex parte Montis usuram intercedere videtur.

Illicitae hujus Cuppae perceptioni utrum mederi possit, ex quo omne lucrum inde proveniens non in Montis, vel illius Fundatoris utilitatem, sed in Pauperum levamen convertitur, videant EE. Patres. Archiepiscopus Panormitanus cum quaesivisset a Summo Pontifice Alex. III. - *an possit per dispensationem pecunia recipi ad usuram et per illam pauperes, qui in Saracenorum captivitate detinentur, possint liberari* - sic respondit laudatus Pontifex *in Cap. super eo 4. de usuris - Respondemus, quod cum usurarum crimen utriusque testamenti pagina detestetur, super hoc dispensationem aliquam posse fieri non videmus, quia cum scriptura S. prohibeat pro alterius vita mentiri, multo magis prohibendus est quis, ne etiam pro redimenda vita captivi usurarum crimine involvatur* - quod ad opera quaecumque pia extendi debere Doctores autumant *Ferraris Bibl. tom. 8. Voc. usura num. 27., et 28.*

At vero plurima non desunt exempla Montium Pietatis, in quibus permittitur ut duo, vel tria pro quolibet centenario percipiantur, adjecta tamen clausula si dicta summa necessaria sit pro Ministrorum Salario ut *in Cremonen. 31. Maii 1580. et in Vercellen. 8. Octob. 1628.* definivit S. Congregatio. Verum in monte erigendo non duo, vel tria, sed decem fere pro unoquoque centenario in illa Culmaturæ reditione reciperentur, habito respectu ad frumenti pretium.

Mi-

Minime tamen prætereundum est in præsenti casu ex constitutis usuris haud gravari mutuatarium, haud lucrari mutuantem, sed omne interusurii compendium in ipsius mutuatarii, ejusque Familiæ vergit utilitatem, et commodum. Adest enim mutuatarii commodum, et utilitas qui præmente Annonæ charitate non cogeretur a fœneratoribus accipere mutuum graviori interusurio; vergit in Familiæ utilitatem, quia ejus Filiæ dotale subsidium haberent; et maximam Religioni utilitatem parat, si præmio allecti juvenes magis alacri animo ad Fidei rudimenta addiscenda incumbant.

Addit Episcopus, idem interusurium percipi in aliis Montibus frumentariis jam existentibus ejusdem Diœcesis, locorumque finitimorum, quin immo antea gravius illud erat; ad culmaturam enim, seu duodecimam partem redactum fuit a suo Antecessore; antea enim sexta pars ultra sortem, seu duo Cuppæ reddebantur a mutuatariis. Jam vero extantis consuetudinis magnam esse vim omnibus patet. Recolenda præterea hic est Bened. XIV. doctrina *de Synod. Dioeces. lib.* 10. *cap.* 5. *num.* 2. ubi refert interusurium duorum vel trium a Sac.Congregatione adaugi posse, si justa non desit causa, et reapse a Sac. Congregatione administratoribus Casalensis Pietatis Montis dum ipse Secretarii munere fungebatur, concessum fuisse ut quinque pro unoquoque Centenario reciperent ob Montis ipsius conservationem atque necessitatem ut etiam videre est in *Tom.* 1. *Resol. pag.* 28. Videant ergo Emi Patres quid in casu statuendum sit, quid etiam præscribendum, ne erectio, quæ modo Episcopo, atque Capitulo Verulano perutilis videtur, vitiosa in posterum evadat.

Dubium erit

An, et pro quo interusurio, et quomodo sit probanda erectio Montis Frumentarii in casu etc.

DIE

Die Sabathi 30. Maii 1818. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua præter alia proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

CIVITATIS CASTELLANAE UNIONIS CAPELLANIAE.

Sess. 23. cap. 6. de Reform.

An sit consulendum SS̃mo pro perpetua unione Capellaniae in casu etc.

Negative.

MANTUANA

Sess. 23. cap. 9. de Reform.

1. *An, et adquod tempus sit locus suspensioni nominationis in casu etc.*
2. *An, et pro qua summa concedenda sit reductio Missarum non celebrat. ab anno 1813. usque ad exitum praeteriti anni.*
3. *An, et quomodo concedenda sit reductio Missarum in posterum celebrandarum in casu etc.*

Ad 1. Affirmative donec Petrus ad Conciliarem ætatem perveniat, deputato Ecclesiastico Administratore, qui adimpletis omnibus oneribus superexstantes fructus Oratrici consignet.

Ad 2 Affirmative celebrata medietate Missarum omissarum ex scutis 132. exigendis, et Ordinarius curet executionem, facto verbo cum Sanctissimo in utroque.

Ad 3. Negative.

VE-

Sess. 25. cap. 8. de Reform.

VERULANA ERECTIONIS MONTIS PIETATIS

An, et pro quo interusurio, et quomodo sit probanda erectio Montis Frumentarii in casu etc.

Dilata, et proponatur alia methodus ad formam Constitutionis sa. me. Leonis X. *Inter multiplices*.

Sess. 23. cap. 1. de Reform.

NULLIUS FARFEN. Dum in humanis erat cl. me. Cardinalis Antonius Lante omnia Bona, omnesque reditus Abbatiæ Farfensis eidem commendatæ ad novennium concessit Carolo Fantozzi, et Francisco Coleine annua conventa pensione in scutis 1670. Solemne stipulatum est Instrumentum die 20. Decemb. 1814 novennalis affictus initium habituri - *dal dì primo Gennajo del venturo anno* 1815., *e finire il dì* 31. *Decembre dell' anno* 1823. - Haud fugit diligentissimum Abbatem ex Clementina constitutione, de qua in notissima *Extravagant. Ambitiosæ*, vetitam esse bonorum Ecclesiæ locationem ad novennium, nisi accedat Beneplacitum Apostolicum, hinc *cap.* 10. ejusdem Instrumenti cautum est - *che il Beneplacito Apostolico occorrente per il presente atto dovrà riportarsi dai Signori Fantozzi, e Coleine a tutto loro carico, cura, pensiero, e spesa, poichè nel caso non si ottenesse detto Beneplacito, s' intenda fatto per anni tre il presente Affitto, e così di tre in tre anni per altri due Triennj durante la vita dell' Eccza Sua Rma* (tunc enim nondum inter Purpuratos Patres fuerat cooptatus) *con li stessi patti, e condizioni, obligandosi l' Eccza Sua Rma di farne al bisogno nelli stessi termini altro Istromento* -.

Ad exitum properante primo Affictus Triennio, Conductores, qui numquam de postulando Apostolico Beneplacito solliciti fuerant, cum ad plures migrasset

set Abbas Commendatarius, preces SSmo obtulerunt, postulantes - *perchè nel caso di cui si tratta voglia degnarsi derogare alla detta formalità del Beneplacito Apostolico, onde possa l' affitto continuare sino al suo termine, vale a dire tutto l'anno 1823.* - Eorum preces remissæ fuerunt die 20. Decembris præteriti anni Vicario Apostolico, ut audito Subcollectore Spoliorum referret de annuo reditu *per decennium proximum contractui*, et de evidenti utilitate. Haud satis accurata fuit Informatio die 30. ejusdem mensis signata, in qua non ex decennali calculo certus Bonorum locatorum reditus, ut erat in Mandatis, educebatur, sed e converso ex moderno reditu decennii calculus ducebatur in hæc verba - *unendo tutte le diverse partite, il loro reddito approssimativo annuale non ascende al di là di scudi circa duemila, che per anni dieci sono circa ventimila.*

Cum vero interea ex Summi Pontificis collatione fuerit Abbatia commendata Emo, ac Rmo Dno Cardinali Ercolani rogata est ejus Sententia utque suum aperiret votum, præfixo termino Conductoribus ad deducendum jura sua in Sacra Congregatione. Hæc dies indicta est Causæ definitioni sub duplici Dubiorum formula ex communi Partium placito concordata.

Referam primo quibus rationibus Emus Abbas Oratorum petitioni assentiri recuset, addamque nonnulla ex officio, quæ necessaria arbitror ad rectam Causæ definitionem; referam secundo, ac summatim, quæ Conductores in distributa *allegatione* ad tuendam Affictus durationem proferunt.

Quoad *primum Dubium*, in quo quæritur an sit concedendum Beneplacitum Apostolicum, renuit Emus Abbas suum præstare consensum, et hinc putat locum esse non posse ut vel sanetur qui ab initio nulliter gestum est, vel confirmetur quod jam evanuit affictus, vel novus stipuletur recusante Abbate Commendatario.

Sane Locatio Conductio contractus consensualis est *ad Text. lib. 3. Inst. num. 23. de obligationibus ex consensu* in quo res consensus, et pretium ut in emptione, ac venditione essentialiter requiruntur. Uno ex hisce deficiente requisito deficit omnino contractus *leg. 1.*

 ff. de

ff. de pactis, *et in §. fin. Instit. de oblig.* Si ergo Rmus Abbas recusat locationem inire, jam nullus excogitari potest contractus, qui Apostolico Indulto firmetur. Pontificia siquidem auctoritas imploratur ad tollendum impedimentum ex parte Rei in contractum deductæ, haud quidem ad supplendum consensum, quem alter ex Contrahentibus præstare recusat.

Hic autem dissensus plurimum valet etiam ad impediendam initi jam Contractus prosecutionem. Aut enim Locatio facta dicitur ad novennium, et ex Clementina Constitutione *in Extrav. Ambitiosae de Rebus Eccles. non alienandis*, nulla fuit ab initio, quia vetitum est Ecclesiæ bona ultra triennium locare, ut centies firmavit Sacra Congregatio, ac præsertim *in Portuen. Nullitatis Contractus 27. Aprilis anni 1816. §. in I. Dubio*. Posita vero nullitate Contractus nequit illius sanatio postulari invito altero ex Contrahentibus, cui quæsitum est jus ipsum Contractum impugnandi: aut triennalis tantum inita dicitur Locatio, cum ea initium duxerit a die prima anni 1815. patet die ultima Decembris 1817. expirasse, ac proinde ad novum incoandum Triennium novus actualis Emi Abbatis consensus exquiritur.

Quod si juris dispositio, attento Emi Abbatis dissensu, opponitur prosequutioni Affictus, haud dissimile reddendum videtur judicium, si ex Instrumenti littera quid inter Partes conventum fuerit inspiciatur. *In Cap.* 10. pactum est - *nel caso non si ottenesse detto Beneplacito s'intenda fatto per tre Anni il presente Affitto, e così di tre anni in tre anni per altri due Trienni* DURANTE LA VITA DELL' ECCELLENZA SUA REVERENDISSIMA. Si ergo stipulata est relocatio de triennio in triennium *durante la vita dell' Eccellenza sua Reverendissima* - ergo a contrario sensu, si e vivis eriperetur Abbas Commendatarius, ex voluntate partium cessabat relocatio - *di tre anni in tre anni* -. A praedicta siquidem condictione pendebat nova triennalis Locatio; quae conditio cum verificata non fuerit ob decessum cl. mem. Card. Lante sub die 23. Octobris praeteriti anni, sequitur ut ex partium voluntate quantum de nova triennali locatione evanue-

nuerit *Rota coram Olivatio decis.* 118. *n.* 15., *et in Ferrarien.* 20. *Jun.* 1791 §. 1. *coram Origo.*

At vero si haec conventio prosequendi affictum - *di tre in tre anni* - adjecta dicatur, ut servaretur Locatio usque ad exitum Novennii, tunc reincideret in casum, a quo incipere non poterat, nimirum in novennalem Affictum, qui sine Apostolico beneplacito nequit stipulari. Sane tne clausulae de triennio in triennium censentur appositae ad eludendam Censuram Clementinae Constitutionis, quae iis non obstantibus suas exerit vires, ut irrita, ac illicita habeatur locatio. *Barbos. de Potest. Episc. alleg.* 95. *num.* 17., *Pacion. de locat. et conduct. Cap.* 14. §. 2. *num.* 1. *et* 2. *Rota decis.* 474. *part.* 2. *num.* 5. *tom.* 13. *recent.* et certe id actum fuisse videtur, cum nulla reservata fuerit *disdictae* facultas, ut ita non obstante laudata Constitutione locatio usque ad nonum progrederetur annum, si Abbas Commendatarius in humanis fuisset.

Contra haec objiciunt Conductores in eorum contractu haud necessarium fuisse Beneplacitum Apostolicum, ac proinde illius defectum nullitatem non gignere. Res erat de fundis locari solitis, et initus fuit Novennalis Affictus cum evidenti Ecclesiae utilitate. Probant vero fundos in contractum deductos solitum fuisse locari ex longa locationum serie ab anno 1746. usque ad praesens, in quibus fere omnibus intercessit beneplacitum Apostolicum. Utilitatem vero deducunt tum *ab extrinseco* quia praeviis Notificationibus excitati sunt Oblatores, inter quos non solum moderni Conductores tamquam meliores electi sunt, sed iis insuper aucta fuit pensio, pluraque adjecta pacta quam maxime Ecclesiae utilia; tum etiam *ab intrinseco*, collato vero Bonorum reditu cum responsione a Conductoribus promissa. Ut enim retulit Vicarius Generalis - *unendo tutte le diverse partite il loro reddito approssimativo annuale non ascende al di là di scudi* 2000. - Unde sequitur, ut soluta annuali responsione scut. 1670. vix tantum supersit, quantum pro expensis Affictus necessario requiritur. Porro ubi agitur de bonis locari solitis, et evidens est Ecclesiae utili-

 tas,

tas, Apostolicum Beneplacitum minime requiri tradunt. *Navarr. in Comment. de Alien. Res Eccles. num.* 3. *Pacion de locat., et Cond. cap.* 14. *num.* 1. *et* 2. *Rota cor. Emerix decis.* 722. *num.* 9.

Addunt etiam Conductores Contractum Locationis initum fuisse a cl. mem. Cardinali Lante uti Abbate Commendatario, et nomine ipsius Abbatiae; in eoque omnia acta gestaque in majorem ipsius Abbatiae utilitatem; atque inde concludunt hujusmodi contractum vi sua obligare etiam successores in Beneficio ad tradita per *Mantic. de Tacitis lib.* 5. *tit.* 13. *num.* 1. *ad* 16., *Rota in recent. decis.* 770. *num.* 2. *part.* 2. *et in Romana* Stagni 30. *Martii* 1753. *coram Molines.*

Quod vero spectat ad *Secundum Dubium* in eo sunt Conductores, ut sibi saltem currentis Trienni tempore servetur Affictus. Ut enim ipsi ajunt, conventio inter Partes habita est, ut si non intercederet Beneplacitum Apostolicum pro confirmatione Contractus Novennalis, tunc locatio facta intelligeretur de triênnio in triennium. Tot ergo fuerunt Locationes, quot Triennii. Cum ergo exacto primo triennio, novum Triennium initium habuerit consentiente quodammodo defuncto Abbate, qui aliquam pensionis partem pro futuro triennio anticipate exegerat, et approbante subcollectore Spolii, qui nomine Camerae, dum Abbatia vacans erat, de novi Triennii pensione disposuit, sequitur ut nequeant Conductores ante exitum currentis Triennii a locatione deturbari. Nam Sacri Canones, et Apostolicae Constitutiones licitas, validasque declarant Triennales Locationes absque ulla Pontificii Indulti necessitate.

Quod si haec obtinent *ex jure*; eo magis locum sibi vindicant *ex aequitate*; Afferunt Conductores Testium depositiones, ut probent in primo Triennio plurimis damnis obnoxios fuisse tum quia - *pochissimo ha potuto introitare per diritto di decima, e per diritto di corrisposta* - tum quia imminutus fuit Molendinorum proventus - *a motivo dell'Alluvione de Fiumi* - Hinc deducunt nimis durum esse, et contra aequitatem quam semper tuetur Ecle-

cle-

clesia, si prohibeantur frui novo triennio, in quo omnis eorum spes sarciendi damni posita est.

Post haec, aliaque fuse deducta in allegatione Conductorum dignentur EE. Patres deliberare.

Dubia.

I. *An sit concedendum Beneplacitum Apostolicum in casu etc.*

Et quatenus Negative

II. *An, et pro quo tempore sit locus continuationi Affictus in casu etc.*

Ad primum: Negative, et amplius.

Ad secundum: Affirmative pro currenti anno tantum.

PLACENTINA CONCORDIAE: Ut quae infelicissimis Ecclesiae temporibus anno 1812. in Castro Arquati Placentinae Dioecesis immutata fuerunt quoad Curam Animarum, et illius Collegiatae Capitulum, iterum ad Canonicas regulas, et antiquum ordinem, splendoremque revocarentur, concordia communi Partium placito inita est, cujus approbatio petitur a Sacra Congregatione. Quid actum tunc fuerit, quid nunc agendum proponatur habent EE. Patres ex elucubratissimo Voto Emi, ac Rmi Pacca, quod ad literam refero. *Sess. 21. cap. 7. de Reform.*

In oppido Castri Arquati Placentinae Dioecesis adest perretusta, atque insignis Ecclesia Deo, ac Beatissimae Virgini Mariae in Coelum Assumptae dicata. Haec sane ante saeculum XV. in Collegiatam Ecclesiam jam erecta, anno 1440. Archipresbytero, quatuor Canonicis, totidemque Beneficiatis constabat. Frater Alexius Ordinis S. Francisci, uti vocant, de Observantia, qui tum temporis Placentinam Cathedram maxima cum laude, regebat, animo cogitavit abusus omnes, qui in praefata Ecclesia irrepserant, cum circa Missarum celebrationem, tum multo magis circa Paraeciae administra-

strationem prorsus extirpare, ut divino cultui, atque animarum saluti consuleretur. Convocatis itaque a vigilantissimo Episcopo *capitulariter*, uti ajunt, Archipraesbytero, Canonicis, ac Beneficiatis plures leges, pluresque conditiones unanimi omnium consensu statutae fuerunt, inter quas primas obtinet erectio quatuor, uti vocanti *Mansionariorum*, quibus actualis Paraeciae cura committeretur, habituali, quam dicunt, cura Archipraesbytero, atque Canonicis relicta.

Ut res tanti momenti, nulla interjecta mora, absolvi, posset, quatuor Beneficiatorum Praebendae nemine prorsus discrepante, immo Capitulo plenis suffragiis assentiente, in *Mansionarias* illico commutatae fuerunt, atque Beneficiati inter Mansionarios fuerunt adscripti, ea lege, ut *Ecclesiae* (verbis statutorum Ecclesiae hac in re utor) *deservire, Ecclesiastica Sacramenta ministrare, et curam, et regimen animarum habere tam circa Confessiones, Baptismum, Eucharistiam, quam alias, et sollicite, atque attente vigilare, et dicere, et facere teneantur* - Agnovit sane Episcopus hujus generis praebendas adeo tenues fructus quotannis reddere, ut Mansionarii ea, qua par erat, dignitate commissa munia explere non possent. Quid tum? Annuente Capitulo duabus aliis praebendis, quarum altera de Capitaneis nuncupabatur altera vero *Cappella di Casanna* vocabatur, Mansionarios ditavit. Neque id satis. Ad praebendam vulgo *Capella di Casanna* molendinum olim spectabat, quod in *Contrada* uti ajunt de *Vicclo* situm erat. Statutum itaque fuit, ut expensis *Capituli*, *et recuperari debeat, si possit per dictos Mansionarios, sive per aliquem eorum, et si recuperabitur, sit, et esse debeat eorumdem Mansionariorum* - uti legitur in Ecclesiae Statutis antea commemoratis.

Res ita se habuit quatuor ferme Saeculorum spatio, ab anno nempe 1440. ad annum usque 1812. Praeteritis namque temporibus Mansionarii, et verbi Dei annunciatione, et assidua Sacramentorum administratione, et mira in proximos charitate, et in componendis inter Parochianos dissidiis dexteri-

tate

tate tantam diligentiam, tantamque animi sodalitatem adhibuerunt, ut eorum nutibus ipsi pendebant, illorumque monitis omnino obtemperabant. Ab hac autem agendi methodo ne latum quidem unguem discesserunt, qui Mansionariorum munere extremis hisce temporibus fungebantur. Testes hac in re habemus omni exceptione majores, integrum nempe Capitulum Castri Arquati. Sacerdotes, quos vocant, Praebendarios Collegiatae Ecclesiae servitio addictis Terrae Gubernatorem, Municipalis Consilii Praesidem, Consiliarios Municipales, atque sodalitatum Rectores, qui uno ore testantur, Mansionarios parochialia munera absolvisse - *colla massima soddisfazione di questo pubblico hanno adempito con soddisfazione del pubblico alle loro obbligazioni con tutto lo zelo, premura, ed assiduità.* -

In eamdem sententiam conveniunt cum exteri Sacerdotes Congregationis Missionis qui in praefato Castro sese conferebant, ut Sacris Missionibus operam darent, tum etiam Sacerdotes Cleri Saecularis, qui ad Verbum Divinum Populo concionandum quadragesimali tempore Terram Castri Arquati petebant. Sed nondum finis: Quotquot adsunt finitimarum Ecclesiarum Rectores *S. Laurentii Bacedupi Roccaepelzannae, Lasunasci, Gabbini Florenzelae, Lugnanoli, ac Vigali Marchionis* ad sidera usque extollunt Mansionariorum in Parochialibus muneribus exequendis diligentiam, prudentiam, ac sedulitatem - *conformemente allo spirito della Chiesa, e con quella saviezza, ed utilità Spirituale di quella popolazione, che poteva desiderarsi; cosicchè i Vicarj, come Pastori riconoscevano, e dirigevano saggiamente le loro pecore, e queste conoscevano i loro Pastori.*

Verum quis crederet! Reverendissimus Fallot de Beaumont, qui anno 1812. Placentinae Cathedrae praeerat, Leges omnes, omniaque Ecclesiae Collegiatae Castri Arquati, quatuor fere Saeculorum observantia roborata, proprio lubitu, proprioque arbitratu penitus evertit, ac profligavit. Hoc itaque anno, quo Summus Catholicae Ecclesiae Pastor a Sua Sede jam depulsus Summo bonorum omnium

luctu

luctu carceribus detinebatur, atque Canonicis vetitum prorsus erat absque vitae, vel saltem Collegiatae discrimine Capituli jura tueri, atque defendere, praefatus Episcopus duo tulit Decreta, alterum die 7. Aprilis, alterum vero die 11. Junii, vi quorum Mansionarios primo suppressit, atque abolevit, qui tanto animarum profectu Paraeciam, uti antea diximus, administrabant: deinde vero Capitulum cura, quam vocant, habituali privavit, quam statuta, anno 1440. exarata eidem addixerant, atque res judicata a bo. me. Pisani Episcopo Placentino lata confirmaverat. *Novum quoque Parochialem ut verbis Decretorum hac in re utar titulum, perpetuum, ac collativum suppresso quovis alio titulo* in Collegiata Ecclesia erexit, cui non solum redditus omnes Mansioniarum jam suppressarum addixit, verum etiam annuos fructus Archipraesbyteralis Praebendae, quae unica est Collegiatae Ecclesiae Dignitas, adscripsit, ea tamen lege, ut quousque Dominicus Croci, qui tum temporis Archipraesbyterali Dignitate potiebatur, vitam in terris ageret, annuos redditus perciperat, ac jura praefatae Dignitati competentia exerceret: hoc autem e vivis erepto, novo parochiali titulo unita illico censeretur. Haec autem omnia a Reverendissimo Episcopo patrata fuerunt, nullo hac super re Patronorum consensu adhibito, nullo Capituli assensu requisito, nulla denique venia a S. Sede impetrata.

Ne autem Mansionariis suppressis, Populus Castri Arquati Sacramentorum administratione privaretur Reverendissimus Episcopus eodem Decreto diei 7. Aprilis Paraeciae, Aeconomum atque administratorem constituit Antonium Mariam Potestà, qui in eadem Collegiata Ecclesia Canonicalem Praebendam, quam vocant de *Petra* obtinebat, iis adjectis conditionibus, ut praefatum Canonicatum libere, ut statim exequutus fuit, dimitteret quem eodem, uti ajunt, contextu Josepho Potestà ipsius ex fratre nepoti Episcopus contulit, cui etiam pensionis nomine libras mille monetae Parmensis ex annuis Mansionariarum redditibus persolvendas addidit, *intuitu*

ut Decreti verbis utar (*laudabilis servitutis per eum praestitae ratione Mansioniariae ab eo obtentae, quam sub hodierno die in manibus nostris sponte, ac libere resignavit, et intuitu etiam tenuitatis redditiuum ejusdem Canonicalis Praebendae* (de Petra). Deinde vero Aeconomum Potestà, qui ob liberam Canonicatus resignationem ex albo Canonicorum Ecclesiae Collegiatae Castri Arquati ipso jure expunctus extiterat, praefatus Episcopus proprio marte Canonicum honorarium ejusdem Collegiatae Ecclesiae elegit, ac nominavit, *cum assignatione* (sunt verba praedicti Decreti) *Stalli in Choro, et facultate induendi insignia, prout caeteri Ecclesiae Canonici, et cum aliis praerogativis Canonicis hujusmodi de jure, et praxi competentibus* - *Neque* id satis: Posteriori Decreto diei 18. Junii Episcopus mandavit, ut Aeconomus Potestà cum in choro, tum etiam in Capitulo primum locum post Archipresbyteralem Dignitatem occuparet, atque Archipresbytero Croci absente, istius vices obiret; hoc autem ad superos evolato, in suppressae Dignitatis Stallum migraret in maximam caeterorum Canonicorum perniciem, atque in evidentem Sacrorum Canonum contemptum.

Sed majora supersunt. Eodem Decreto, quo Antonius Potestà Parochialis Ecclesiae Aeconomus renunciatus fuit, futurus quoque ejusdem Ecclesiae Parochus fuit nominatus, atque institutus nullo convocato concursu nulloque praehabito examine. Qua de re quisque in jurisprudentia Canonica quoque modo versatus intelliget, hujus generis Decreta nullitatem undique praeseferre. Agnoverunt sane Archipresbyter Croci, atque reliqui Canonici Collegiatae Ecclesiae Castri Arquati Decreta hujusmodi minimi habenda esse. Verum calamitosissimae temporum vicissitudines silentium Capitulo indixerunt, *giacchè le circostanze di allora non permettevano di far sentire il menomo, benchè giusto reclamo senza manifesto pericolo dell' esistenza Capitolare* uti praesefert Resolutio Capitularis diei 3. Maii 1814. Vix autem Deo opitulante, antiquus rerum ordo redintegratus fuit. Canonici *capitulariter* uti ajunt, con-

vocati, duos e gremio elegerunt, ut Placentiam, Parmamque etiam, si opus esset, peterent, atque Supremo Pontifici ab exilio omnium Populorum plausu, atque laetitia remeanti, Capituli nomine preces offerrent, ut Decreta a Reverendissimo Fallot de Beaumont lata revocaret; Supremum Ecclesiae Caput rem examini hujusce Sacrae Congregationis ablegavit, quae die 2. Julii anni 1814. (Episcopo a Placentina Sede absente) a Vicario Generali informationem, ac votum expetivit, auditis praesertim Capitulo Patronis Archipresbytero, et novo Parocho omnibusque praefixo termine ad deducenda jura sua in Sacra Congregatione.

Porro enim Vicarius Generalis vir ceteroquin scientia, ac virtute praeditus, vel ut morem gereret Episcopo cujus vices in Placentina Ecclesia obibat, vel potius ad rem si fieri posset, amice componendam, integro anno informationis, ac Voti transmissionem distulit. Interea temporis salus Dominici Croci, qui munere Archipresbyteralis Dignitatis in Ecclesia Collegiata Castri Arquati fungebatur, in discrimen vocabatur Canonici itaque hanc S. Congregationem adierunt, *che in caso di vacanza di detta Dignità, si venga provisoriamente all'elezione di un Economo*, quousque S. Congregatio hac super re judicium ferret. Die itaque 26. Novembris praefati anni 1814. a S. Cangregatione responsum fuit - *Scribatur Episcopo, ut in casu Vacationis Praebendae suspendatur unio*. Mense deinde Januarii anni sequentis 1815. Antonius Maria Potestà, ac Josephus istius ex fratre nepos supplicem Libellum S. Congregationi obtulerunt, ut - *qualunque sieno le future disposizioni alle istanze fatte dal Capitolo, sia provveduto alla sussistenza insieme, e decoro dei supplicanti*. Huic autem instantiae Sacra Congregatio, ut par erat, rescripsit - *Habebitur ratio in adventu Informationis Episcopi, et uniatur*.

Tandem aliquando Concordia inter partes inita die 11. Julii anni 1816. in causa fuit, ut Vicarius Generalis suam informationem ac Votum S. Congregationi trasmitteret. Primo quidem curas omnes in-

intendit in defendendo, ut par erat, Episcopo, vel quia *divisio curae inter quatuor Vicarios frequentibus collisionibus subjacebat*, *vel quia aderat occulta alia, multoque gravior consideratio in Decretis non exprimenda, suppressionis nempe, quae tunc proxima habebatur, totius Capituli, intereratque, ut saltem redditus quatuor Vicariatuum sub uno collecti titulo Parocchiali, atque Archipresbyterali praeservarentur, vel denique quia Canonici plenum consensum Episcopali providentiae cum gratulatione praestiterant*. Deinde vero de Concordia, quam informationi adjungit haec habet „ Verumtamen nulli jam querelae est locus, dum „ res in integrum restitui, ac in melius etiam reformari posse visum est, placitis conditionibus, „ quas ut multum aequas, habituali Parochiali „ Capitulo non adversas, actuali penes Canonicos „ Vicarios admodum decoras, honoris, ac dignitatis Archipresbyteralis sollicitas, servitio chori „ bene coaptatas, omnibus oneribus faciendis maxime providas, singulis demum hodiernis actoribus convenientissimas, ac ab ipsomet Reverendissimo Episcopo suis litteris ad me scriptis laudatas. Finem informationi imponit - *Ut Apostolico Beneplacito obfirmari Sapientissimo voto „ vestro impetretis humiliter exoro*.

Decem Capitibus Concodia de qua agitur constat. Primo quidem Antonius Potesà suum præstat assensum *per la rinunzia, del titolo Parochiale, e dei beni, e provenienti delle quattro Mensonarie soppresse, che ne formano a tenore del decreto dei* 27. *Aprile* 1812. *la dotazione, ea lege, uti capite* 2. *additur* -, *che lo stesso Sig. Potestà sia provveduto dell' Arcipretura, e del beneficio semplice - de Vicaria vacanti - per morte del fu Arciprete Domenico Croci, e ritenuta insieme la Canonica unione da farsi dallo stesso beneficio all' Arcipretura* - Tertio Vero Concordiæ capipite, *cura ha'ituali* Paræciæ Capitulo - *come fu sempre in addietro*, relicta, Actualis curæ exercitium vice quatuor Mansionariorum - *che l'esercitavano avanti il Decreto* - quatuor Canonicis committatur. Sequentibus deinde Capitibus 4. 5. et 6. ferme habetur

tur

tur de dotatione Canonicatuum ad Vicarios spectantium, alter namque a bonis ac redditibus Mansionariæ S. *Francisci* alter vero a præbenda, quam vocant de *Caniarellis* ad Mensionarios etiam pertinente erigi debent. Cum autem præbenda hujusmodi juripatronatūi Familiæ Fezzi subsit, ab actuali Patrono opportunus præstatur consensus. Reliquæ vero duæ Mansionariæ altera *S. Joannis Baptistae*, altera quam appellant de *Molino*, tenues fructus quotannis reddunt; qua de re - *si riterranno per semplici Mansionarie corali disonerate dal peso della Cura*.

Ad absolvendum Canonicatuum Vicarialium; uti ajunt numerum Canonici Petrus Rocca, et Joannes Palotta, quorum alter Præbendam Canonicalem S. Marci obtinet, alter vero *S. Catarinae* - *sufficientemente dotate* suum assensum præbent ut in numero Canonicatuum Vicarialium recenseantur, ea lege, *che l' una, e l' altra conserveranno il rispettivo titolo, e la rispettiva prebenda, ed assumeranno per se, e loro successori in perpetuo l' obligo di esercitare la cura di anime.* Capite vero septimo agitur de actuali curæ exercitio absolvendo *per turno, e nello stesso modo, con cui veniva esercitato dai quattro Maasionarj* - Octavum Caput verba facit de eorumdem Canonicatuum collatione - *secondo le regole del Gius Canonico, e previo concorso - Salvi i dritti esercibili dai Patroni, ed il jus quesito dai Canonici Rocca, e Salotti pei quali bastano l' esame, ed approvazione alla cura delle anime* - Reliqua duo Concordiæ Capita circa consensum interesse habentium ac traditionem Concordiæ Vicario Generali versantur. Cum autem Emi Patres dignati fuerint concordiam hujusmodi meo examini subijcere, ut meum qualecumque votum hac super re ederem. Censerem utique sequenti dubio rem totam absolvendam esse.

An Concordia, de qua agitur sit confirmanda, vel infirmanda in casu ec.

Existimo itaque pro mea ingenii tenuitate respondendum esse affirmative ad primam partem, et negative ad secundam, et ad D. Secretarium cum Sanctissimo

Con-

Concordia namque, quæ lites abrumpit, antiquum rerum ordinem in pristinum restituit, utilitatem Ecclesiæ affert, atque ab Episcopo maximis laudibus extollitur, est confirmanda, Atqui concordia, de qua agitur hi omnibus dotibus refertur, ut affirmat Vicarius Generalis in sua informatione ad S. Coongregationem trasmissa, Ergo hæc confirmanda erit. His accedit, concordiam hujusmodi super lite incerta, ac nondum absoluta versari, ac præterea vi ejusdem hinc inde aliquid datur, vel promittitur, aliquid retinetur ac remittitur. Antonius namque Potestà, qui vi Decreti Episcopalis, quod adhuc examini S. Congregationis subest, Parochiali titulo insignitus fuerat, ac mansionariarum reditibus, locupletus utrasque Capitulo cedit ac renunciat: econtra Capitulum Archipresbyteralem Dignitatem Parrochiali titulo jam unitam eidem Potestà concedit. Jam vero transactiones, atque concordiæ super lite incerta exaratæ, in quibus aliquid hinc inde datur vel remittitur, confirmari debent, *ut post Text in Leg. Tale Pactum* §.1. *ff. de Pact. Leg. Si causa cognita Cod. de transact.* firmat S. Congregatio *in Ariminen.* 21. *Aprilis* 1794. §. *Fidei commissaria.*

Sed Singula Concordiæ capita percurramus. De Pmo, ac secudo nulla dubitatio oriri potest, quin confirmationem mereantur, uti paulo antea probavimus. In tertio vero concordiæ capite in quo, antiquus rerum ordo redintegratur, nulla subest difficultas. Capitulo enim 1. cura *habitualis* Paræciæ adscribitur, quam statuta an. 1440. addixerant, quamque resjudicata bo. me. Pisani Episcopi Placentini in contradictorio judicio confirmaverat. Jam vero neminem latet statuta rejudicata roborata servanda esse. Deinde vero in pristinum Vicarii perpetui restituuntur, qui quatuor fere Sæculorum Spatio Paræciam maxima cum laude administrarunt. Non inficior loco Mansionariorum Canonicos ad hoc munus assumi. Hæc autem personarum *novatio* in evidentem Ecclesiæ utilitatem cedit. Uti enim animadvertit Vicarius Generalis in sua informatione actualis cura penes Canonicos Vicarios admodum decora dejudicari debet. *Mansi-*

sionarii siquidem, uti Servitores Capituli parvam, ac nullam obtinebant, qua Vicarii Parochiales, in populo reverentiam atque auctoritatem. Tenuitas quoque Praebendarum in causa erat, ut saepius diuque vacarent Mansionariae cum vix novelli Presbyteri eam appeterent. Verum Canonicalis dignitas maximo in honore habetur apud Oppidanos Castri Arquati; qua de re Canonici Vicarii majori obsequio a Populo afficiuntur. Canonicales quoque Vicariæ, de quarum dotatione sermonem habent capita 4. 5. et 6. Concordiæ, sufficientibus reditibus adeo dicantur, ut Canonici ea, qua par est dignitate commissa munia absolvere possent. Si ergo, uti observat Vicarius Generalis, res non solum in integrum restitutæ fuerunt; verum etiam in *melius* fuerunt reformatæ, juris dispositio exigit, uti hujus generis Concordia Beneplacito Apostolico roboretur.

Remanet, ut de capite septimo concordiæ verba faciamus: reliqua enim 8. 9. 10. vel Canonicis Sanctionibus ita adhærent, vel recte rationi adeo sese conformant, ut ad decernendam eorumdem confirmationem examine non indigeant. Capite itaque septimo statuitur - *Li quattro Canonici Vicarii eserciteranno la cura dell'anime della Parrocchia di Castel Arquato per Turno, e nello stesso modo, con cui veniva esercitata dagli antichi quattro Mansionarii*. Prima quidem fronte caput hujusmodi Tridentini Decretis refragari videtur. *A capite enim 4. Sess.21. de Reform.* non obscure eruitur unicuique Ecclesiæ Parrocchiali unum tantummodo Rectorem præficiendum esse quod si unus Rector non possit sufficere Sacramentis ministrandis, et cultui divino peragendo; tunc Rectores tot Sacerdotes ad hoc munus sibi adjungant, quot sufficiant ad Sacramenta exhibenda, et cultum divinum celebrandum: rationem affert idem Tridentinum *Cap. de Ref. Sess.* 25. quia animarum rectoribus oves suas præcepto divino cognoscere mandatum est: qua de re administratio Curæ Parochialis per turnum, uti ajunt, efficit, ut Vicarii oves non agnoscant, oves vero Vicarios uti animarum Pastores cognoscere nequeant, uti legitur in Episcopali Decreto diei 7. Aprilis 1812.

Por-

Tertio enim difficultas vim suam obtineret, si longeva quatuor Sæculorum observantia non obsisteret. Ab anno 1440. ad diem usque 7. Aprilis anni 1812. Mansionarii per *turnum* Parœciam administrarunt ea diligentia, eaque animi sedulitate, ut eorum prudentiam, zelum, atque in componendis Parochianorum controversiis dexteritatem tam incolæ, quam ceteri admirati fuerunt, uti in Facti Serie probavimus quinimmo finitimarum Ecclesiarum Rectores testantur, Mansionarios parochialia munia tanto animarum profecto, tantaque utilitate executos fuisse, *cosicchè i Vicarii come Pastori riconoscevano, e diriggevano saggiamente le loro pecore, e queste conoscevano i loro Pastori*. Si itaque tanto Sæculorum intervallo cura actualis per turnum a Mansionariis administrata nullum incomodum spirituali Parochianorum saluti attulit: affirmandum ne erit id evenire, cum cum Parœcia a dignioribus Canonicis per turnum regetur? Administratio Parœciæ Castri Arquati per *turnum*, uti ajunt, initium habuit, uti antea diximus anno 1440. qua de re Sæculo, et eo amplius publicationem Tridentini præcellit: Attamen rerum ordo anno 1440. a Fratre Alexio Episcopo Placentino firmatus, nunquam immutatus fuit, sed ad hæc fere usque tempora integre perseveravit, quamvis tria fere Sæcula a Tridentini publicatione effluxerint. Quis autem ignorat consuetudinem etiam contra leges fere trium Sæculorum spatio tam maximi habendam esse, utpote quæ, uti jura statuunt, ac Doctores affirmant, meliorem titulum de mundo præseferunt?

His addamus oportet, uti Canonici in Supplici libello exponunt, in finitimis Diœcesibus di *Parma*, di *Bussetto*, e di *S. Donnino* curam actualem a Vicariis per turnum administrari. Jam vero si hic ordo immutatur in Castro Arquati, et in prædictis Diœcesibus novari deberet. Quot inde dissidia, lites, quærimoniæ in maximum Ecclesiarum discrimen. Hæc, mea Sententia, tanti sunt, ut confirmationem Concordiæ optime conficiant. Si vero Emi Patres in re tanti momenti existiment hodiernum Episcopum Placentinum hoc super negocio interrogare, qui cum in Civitate

ipsa

ipsa Placentinæ ortum suum duxerit sinceram facti informationem præstare poterit, ultro assentior.

Dubium erit

An concordia, de qua agitur, sit confirmanda, vel infirmanda in casu etc.

Dilata, et scribatur Episcopo juxta mentem.

Sess. 25. Cap. 4. de Reform.

LUNEN. SARZANEN. REDUCTIONIS, et SANATIONIS. Plurimis Legatis Piis præsertim Missarum ex antiquis fundationibus gravatam hæreditatem reliquit Marcus Roccus Gibboni suis Filiis Leonardo, et Francisco, qui ea Legatorum onera, reditusque inter se divisere. Tres Franciscus Filios reliquit Jacobum videlicet, Camillam, et Theresiam, qui etiam a Patruo Leonardo hæredes fuerunt instituti.

Cum anno 1797. quoddam editum fuisset a *Provisorio*; ut ajunt, Regimine Januensis ditionis decretum, quo unicuique hæredi facultas fiebat propriam hæreditatem redimendi; ac vindicandi a piis Legatis, oneribusque Missarum - *pagando il quarto del Capitale ragguagliandolo al quattro per cento corrispondente all' onere da applicarsi a beneficio dell'Ospedale della Città, o Luogo di chi avrà imposto l' onere medesimo, ed in mancanza a beneficio di quello del Luogo più vicino, e nella Centrale dello Spedale di Pammattone* - Jacobus, Camilla, et Theresia comuni placito nonnulla bona ad Leonardi hæreditatem spectantia alienarunt. Ex hac venditione exactam summam Libellarum 3713. et solidorum 13. Januensium, quæ fere adæquant Scuta quingentum triginta Hospitali *Levanti* Diæcesis Sarzanensis persolverunt; et hoc modo ab onere satisfaciendi legata Missarum 469. ad Patrui hæreditatem pertinentia sese exemptos putarunt. Redemptum tamen non fuit Legatum Novendialium in honorem B. Mariæ Virginis *di Caravaggio*, et octo Missarum in hu-

hujus festo celebrandarum ab eodem Patruo relictum, nec non Legatum annuum Libellarum viginti unius, quarum quatuor pro duplici Officio Defunctorum, et reliqua duodecim in panis, vel pecuniæ distributione ex Avi dispositione erogari debebant. Hac redemptione peracta in tres partes divisa est hæreditas inter Jacobum, Camillam, et Theresiam.

Camillæ Vir Alphonsus Venturini a suo Leviro Jacobo nonnulla ex iis bonis (reliqua enim in alios jam erant alienata), quæ valorem constituunt Romanorum scutorum 1500. oneroso vitalitii census titulo acquisivit - *con varj carichi*, *e pesi* (ut in supplici Libello ipse exponit); *ma coll' espressa dichiarazione in questi precisi termini concepita, che tutti gli oneri di Legati pii, che posavano sopra i Beni pervenuti in esso Signor Gibboni per l' Eredità del fù Leonardo Gibboni sono stati da esso redenti unitamente agli altri Coeredi* (Sororibus nempe supramemoratis) *come apparisce dagli Atti dell' allora Municipalità, che si conservano in questo Archivio di Levanto* -.

Quamquam Mense Aprilis anni 1812. Jacobus ex hac vita migrasset attamen nonnisi mense Julio anni proxime insequentis 1815. bonorum possessionem adeptus est Venturini, ac statim curavit, ut adimplerentur, nedum Legata non redempta, quæ superius retuli, sed et aliud decem et septem Missarum sibi cognitum, quod ad Bona Uxoris, et Gloris spectat. Ut tamen conscientiæ suæ consuleret, preces Alphonsus SSmo obtulit, quibus non solum plenariam absolutionem præteritarum omissionum petiit, sed etiam reductionem omnium onerum gravantium hæreditatem Leonardi, quam Levir Jacob, Uxor Camilla, ejusque Soror Theresia acquisierunt, firmis remanentibus Legatis minime redemptis, quoad bona Jacobi, et alio septemdecim Missarum quoad bona Camillæ, et Theresiæ.

Quæsitum est, ut de hisce precibus accurate referret Episcopus, qui ex informatione Sacerdotis Faraggiana in id specialiter deputati, confirmat quæ superius exposui; additque - *Riesce moralmente impossibile di verificare attualmente lo stato*, e *numero preciso de Legati, che realmente possono gravare sopra i Beni*

pervenuti nel supplicante Venturini tanto dal fu Gibboni, che dalle Sorelle Gibboni, attesa l' antichità dell' origine di detti Legati, le divisioni, e suddivisioni dei rami di detta Famiglia, la perdita di varj Fondi sottoposti alli stessi Legati, motivo per cui il Venturini si è determinato d' implorare dal S. Padre una plenaria assoluzione da ogni onere per calma di sua coscienza, meno quelli, che si è dichiarato di adempire, e che piacesse al S. Padre d' imporgli -

Hinc Pontificiæ indulgentiæ Oratorem dignum arbitratur in hæc verba - *Sembra, che la dimanda del Venturini possa essere esaudita, non tanto in vista della buona fede di esso, e delle ragioni risultanti dalla presente espressione, come ancora di quella del suo Autore, il quale in sostanza ha erogata una somma a favore dell' opera dell' Ospedale con intenzione di liberarsi dai Legati, cosicchè a convalidare una tale affrancazione null' altro manchi, che l' autorità legittima del S. Padre. Della quale assoluzione, e riduzione sembra ancora meritevole il Venturini, attese le sue limitate sostanze, e numerosa famiglia a contar dal Luglio* 1814. *epoca del possesso da lui preso di detti beni in poi, giacchè per l' addietro egli non era tenuto a verun onere nè in diritto, nè in coscienza, perchè non godeva l' usufrutto de Beni sottoposti a detti Legati* -

Inquirendum primum videtur an per *affrancationem* factam à Jacobo una cum Sororibus extincta fuerint Legata. Constat in facto hujusmodi affrancationem causam habuisse a Laica Potestate Provisorii Guberni Januensis, quæ facultatem fecit hæredibus quibuscumque redimendi Legata Pia soluta favore Hospitalis quarta parte Capitalis. Reapse Jacobus una cum Sororibus, cum quibus hæreditatem Leonardi Gibboni diviserat, hanc liberationem emere posse putavit solutis Hospitali Levanti Libellis 3713. et sol. 13. quæ respondent scutis Romanis circiter 530. quæ collegit ex venditione nonnullorum Bonorum ex Leonardi hæreditate provenientium, super quibus Missarum onera erant imposita.

At nemo ignorat, Fundos Piis Legatis obnoxios vendi non posse, nec ipsa Legata in aliud pium opus converti, nisi accedat Sedis Apostolicæ authoritas ex notissi-

tissima *Extrav. ambitiosae de rebus Eccl. non alienan. et ex Clementina qui contigit de Religiosis Domibus*. Nullitate igitur laborare videtur hæc præsumpta liberatio, quæ ab illegittima prorsus authoritate profluit, et vi cujus venditi sunt Fundi, quorum alienatio prohibita erat. Nec suffragari videtur Oratori, quod modo iidem fundi sint penes tertios Possessores, itaut ob deficientiam Fundorum perempta dici debeant Pia Legata. Nihili enim semper habuit Sacra Congregatio deficientiam Bonorum, quæ ex culpa ipsius gravati oriebatur, nec unquam vel absolutionem, vel reductionem concessit, nisi cum perspectum esset deficientiam redituum sine culpa moderni possessoris obvenisse ita cæteris missis in *Romana Reductionis onerum 17. Iulii 1807. et in Sutrina 13. Septembris 1806.*

Verum enim vero hic liberationis actus non mere voluntarius fuit, nec ex Oratoris mala fide provenit, sed ex quadam necessitate, et ex laudabili Causa, ne scilicet bona legatis obnoxia a Laico, et illegitimo Gubernio usurparentur, et in profanos, ac vetitos usus converterentur. Hinc sibi blanditur Orator, rem utilem gessisse, ac in tanto rerum Ecclesiasticorum naufragio arripuisse tabulam videtur, cum nonnullorum Bonorum prætium solvit Piæ Domui Hospitalis *Levanti*, atque ita tum ipsa bona, tum pecuniam ab Usurpatorum unguibus vindicavit. Videant ex his Emi Patres an satis probata sit Oratoris, ejusque Sororum bona fides, an legitima dici debeat alienatio, quæ partem fundi legatis ademit, ita ut Orator ab onere adimplendi legata solutus dici debeat, vel saltem respectu illius bona fide imploranda nunc sit Summi Pontificis auctoritas pro sanatione contractus, ut quemadmodum pro prætensa affrancatione quarta tantum Capitalis soluta fuit Hospitali, ita pariter pro quarta tantum parte diminuantur legata.

Quod si nec legitimam fuisse affrancationem putaverint EE. Patres, nec modo locum esse petendæ sanationi, tunc erit inquirendum an jure, vel ne reductionem onerum postulet Orator. Certum in facto est ipsum nunc possidere nonnulla Bona ex hæreditate Leonardi Gibboni derivata in Jacobum Gibboni, quæ antiquorum Legatorum satisfactioni erant obnoxia quæque ipse

a Jacobo acquisivit oneroso titulo Vitalitii census soluta Summa Scutorum 1500. Certum pariter in jure est, Bona hæreditaria ita hypothecæ vinculo obligari pro legatorum satisfactione, ut etiam si ad extraneos quovis titulo transire contingat, non ideo ab eodem vinculo dissolvantur *S. Congr. in Hieracen. Applicationis Subsidii Dotalis, et Reductionis Missarum 25. Junii 1803. et in Romana Legati Missarum 23. Julii 1816.* Hinc sequitur, ut Orator nequeat onus fundis ab eo acquisitis infixum declinare; nec possit illorum reductionem postulare, nisi probet, illorum reditus Legatorum satisfactioni impares esse. Sacra Congregatio in *Segnesien. 16. Aprilis 1791.*

Quis sit certus annuus reditus Bonorum ab Oratore acquisitorum ignoratur; sed cum constet ea adepta fuisse solutis Scutis mille quingentum, si huic summæ legalis tantum fructus tribuatur facile consequenter, ut præsto sit annuus reditus pro satisfactione Missarum ad manualem, cum illæ non excedant numerum 469. ut constat ex Testamento Leonardi Gibboni, qui pervetusta suorum Authorum Legata enumerat atque confirmat.

At vero non omnia bona Leonardi Gibboni transierunt in Jacobum, a quo Orator partem tantum illorum soluto pretio acquisivit. Reliquia enim Bona transierunt in Sorores Camillam, et Theresiam. Videtur hinc justitiæ consonum esse ut quemadmodum Orator non omnia Bona retinet, ita non omnia onera sustinere cogatur Sacra Congregatio *in Romana Reductionis Onerum 17. Julii 1802.* Nec prætereundum est, quod Jacobus plurima Bona in ipsum a Leonardo Gibboni derivata alienavit favore extraneornm prius quam superextantia Bona venderet Oratori; hinc nova exurgit ratio diminuendi Missarum numerum quoad Oratorem, ne ipse solus ferre cogatur onus, quod inter omnes acquirentes esset erciscundum.

Porro nonnulla ex antiquis Legatis certos habebant fundos a Testatoribus adsignatos, qui aut perempti, aut alienati, aut inter diversas lineas Familiæ Gibboni divisi fuerunt. In tanta rerum obscuritate, ac jurium confusione, ipsa Legatorum, et existentiæ fundorum incertitudo favere videtur Oratori, qui personam *Tertii Possessoris* præsefert, ne ad legatorum integram

gram satisfactionem adigatur - *Pasqualig. de Sacrific. Missae tom. 2. q. 1175. num. 2. 4. quaest. 1178. n. 7., et q. 1179. n. 5. S. Cong. in Vigleran. Reductionis Missarum 21. Aprilis* 1794. Ut enim refert Episcopus ex ore Sacerdotis Faraggiana - *Riesce moralmente impossibile di verificare attualmente lo stato preciso de' Legati , che realmente possono gravare sopra i Beni pervenuti nel Supplicante Venturini , atteso l'antichità dell' origine de' Legati , le divisioni , e suddivisioni de' rami di detta Famiglia, la perdita di varj fondi sottoposti agli stessi Legati.*

Demum habenda est ratio absolutionis , et condonationis quoad præteritas omissiones , quia Orator , qui bona Jacobi Gibboni vitalitii titulo acquisivit adiecto declaratione - *che tutti gli oneri di Legati pii , che posavano sopra i Beni pervenuti in esso Sig. Gibboni per l'Eredità del fù Giacomo Leonardo Gibboni , sono stati da esso redenti unitamente agli altri Coeredi , come apparisce dagli atti dell' allora Municipalità , che si conservano in questo Archivio di Levante* - a die captæ bonorum possessionis nimirum ab Anno 1815. Missarum satisfactionem prætermisit . Ut sibi Supremæ Auctoritatis indulgentia succurratur, bonam fidem, ac titulum ex prædicto contractu mutuare præsumit. Sane hisce in casibus Sacra Congregatio condonationem , et absolutionem concessit , ut præsertim *in Bononien. Servitii Chori 24. Novembris* 1787.

Dubia proponuntur

1. *An , et pro qua summa sustineatur affrancatio in casu etc.*

Et quatenus negative

2. *An sit consulendum Sanctissimo pro illius sanatione in casu etc.*

Et quatenus negative

3. *An , et quomodo sit locus reductioni legatorum Missarum in casu etc.*
4. *An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione quoad praeteritas omissiones in casu etc.*

Non proposita cum sequentibus.

Sess. 25. cap. 4. de Ref.

ALBIGANEN. REDUCTIONIS, ET SANATIONIS. Joannes Baptista, et Joannes Franciscus Sassi Germani Fratres ex Multeto Diœcesis Albinganensis testamento condito anno 1635. suis hæredibus jusserunt primus ut duo Oratoria a se incepta perficerentur: alter vero præter alia pia Legata, ut Missæ Sacrum quotidie offeretur, ter scilicet quavis hebdomada ad Altare Sancti Andreæ, cœteris vero diebus in Sacello SSmæ Conceptionis nec non ut Capellanus esset deputandus ad nutum omovibilis, qui præter Missarum celebrationem Christianæ Fidei Litterarumque rudimenta pueros edoceret; adjecto onere - *quod dicto Sacerdoti solvantur Duplices vigintiquatuor aureae stampae Hispaniae videlicet Duplices duodecim in fine cujuslibet semestris* - quin tamen ullus pro piarum hujusmodi dispositionum adimplemento certus constitueretur fundus. Recte omnia usque ab initio adimpleta sunt inter se deinceps partiti sunt hæredes una cum oneribus bona, utque duplicis Oratorii conservationi dotique consulerent duo comuni placito constituerunt Oliveta, quæ reddere solent annua scuta 235. Missas celebrandi onus, solvendique Celebranti stipendium unusquisque pro rata portionum hæreditatis assumpsit; quod adamussim impletum est ad annum usque 1798.

Hoc tempore, ut in proximo antecedenti *Lunen-Sarzanen. Reductionis Onerum, et Misssarum* retuli, unicuique hæredi a Revolutionario Januensi Regimine potestas facta fuit redimendi Legata Pia, quarta parte totius hæreditatis publico Hospitali, vel in propria Urbe, vel viciniori Loco existenti persoluta. Id se assequi posse autumarunt fratrum Sassi hæredes Dominicus Asdente, et Robertus Curli si seipsos reales ac personales Debitores constituerent erga Hospitale Portus Mauritii Scutorum 1177.

Res ita composita est, ut prædicti hæredes solverent Provisorii Gubernii Representantibus, qui tunc audiebant - *Municipalisti* - Libellas 7656. tradendas Hospitali Portus Mauritii, ut constat ex publico Instrumento diei 25. Septembris 1798. ad effectum assequendi liberationem ab onere piorum Legatorum, et

ae-

eadem die Administratores ejusdem Hospitalis duo crearent Census librarum 3828. pro quolibet quorum Debitores sese constituerunt tum Robertus Curli, tum Dominicus Asdenti constitutis fundis ad formam Constitutionis S. Pii V. ut pariter constat ex duobus Instrumentis eadem die 25. Septembris obsignatis. Ab hac ipsa die finem habuit celebratio Missæ quotidianæ. Pristinum tamen splendorem duo Oratoria servarunt, pro quorum manutentione, et ornatu duo assignata fuerunt Oliveta, ut superius exposui.

Rebus postea compositis optantes Oratores Curli, et Asdenti propriæ Conscientiæ consulere Sanctissimum supplices adierunt, postulantes absolutionem quoad præteritas omissiones reductionem Missæ quotidianæ quoad futurum, utque firma remanente assignatione duorum prædiorum pro manutentione duplicis Oratorii quidquid ex illorum fructibus superesset, impendi liceret in extinctionem prædicti debiti librarum 7646. sive scut. Roman. 1177. Preces de more remissæ fuerunt ad Episcopum, qui superius exposita confirmans testatur de gravissima Oratorum paupertate ob omissionem fructuum locorum Montium, aliorumque redituum, tum ob pensiones solvendas Sororibus Monialibus aliisque in Matrimonio collocandis.

Hæc autem præsertim habet Episcopus in sua Infirmatione – *Fundatorum haereditas plures divisiones, vicesque subiit ab anno 1635. vix notas ipsis Oratoribus. Porsio quae ipsis contigit tota consistit in quadam Domo nullius reditus. In una Vinea: et in Olivetis: ejus valor aestimari potest 10000. Scutorum Romanorum. Reditus incertus: quia dependens a fructu Olivarum: de quo dictum est mentietur opus Olivae, et revera a quindecim annis ut notissimum est fallax; et Modicus fuit: expensae autem pro cultura ultra impositiones excessivae. Expensae pro adimplemento onerum, ultra fructum praediorum ad manutenda, et ornanda Oratoria sunt scutorum Romanorum 73. circiter. Nullus fundus alienatus fuit pro redemptione Missae quotidianae, sed solvendum est debitum 1177. Scutorum Hospitali Portus Mauritii pro quo vexantur Oratores. Testatores nullam summam àssignu-*

gnarunt pro manutentione Oratoriorum: sed generice gravarunt eorum haereditatem. Summa quae erogari deberet pro Missis omissis esset librarum 8760. monetae Genuae: seu scutorum Roman. 1255. quibus si uniantur quae Hospitali Portus Mauritii debentur summam conficiunt scutorum 2433. quae magnam partem haereditatis absorberet.

Hisce *in facto* præmissis cum *in jure* eadem rationum momenta locum habeant, quæ superius adnotanda censui in *Lunen. Sarzanen.* ne actum agere videar, proponam sequentia dirimenda.

Dubia

I. *An, et quomodo sit consulendum SSmo pro absolutione, et condonatione quoad praeteritum in casu ec.*

II. *An, et quomodo sit locus reductioni Missarum quoad futurum in casu ec.*

III. *An, et quomodo sit providendum quoad erogationem fructuum duorum praediorum assignat pro manutentione duplicis Oratorii in casu ec.*

Sess. 22. cap. 6. de reform.

URBEVETANA JURISPATRONATUS Faustina qm Baptistæ postremis tabulis, quibus Christopharum Justiniani hæredem instituit, ligavit sc. 700. Ven. Capellæ Altaris Majoris Ecclesiæ S. Josephi Universitatis Lignariorum in Urbevetana Civitate, erectionem jubens Capellaniæ cum onere Missæ quotidianæ, reservato tamen Christopharo, ejusque hæredibus Lineæ tum Masculinæ, tum Fœmininæ nominandi jure. Labentibus deinceps annis Capellania in Beneficium conversa est, præsentandi jus apud nobiles Viros Messini pertransiit, qui hodienum Capellanum Aloysium Jermini presentarunt ab Episcopo Canonice institutum.

Ve-

Verum cum Fratres Messini ab Antonio Ciccognani sui patronatus jura lædi viderent supplices Sacram Congregationem adierunt. Ad exitum enim vergente anno 1809. una cum reliquis Universitatibus, et illa S. Josephi Liguariorum Urbisveteris suppressa fuit, cujus bona ab Emo Lante tunc temporis Pontificii aerarii Præfecto eidem Ciccognani in Emphyteusim concessa fuere. Hic tamen Capellano pro celebratione Missarum persolvere recusat fructus sc. 700. (qui ad sc. 25. assurgunt) ab universitate, donec stetit, unoquoque anno nulla mora solutos. Hinc plura querelarum capita a Patronis contra Emphiteutam delata sunt, tum quia contra mentem Testatricis, et Patronorum voluntatem recusat solutionem fructum pii Legati pro celebratione Missarum, quas ipse dictitat per alios Sacerdotes satisfacere; tum quia turpe captavit lucrum in Missarum celebratione, diminuta celebranti Eleemosyna; tum demum quia contra legem fundationis, et nullo a Patronis requisito consensu transtulit Capellaniam ab Ecclesia S. Josephi, in qua erecta erat ad Ecclesiam S. Caroli nuncupatam. Hæc omnia plene confirmat vigilantissimus illius Urbis Episcopus, qui Sacrorum Canonum sanctiones ab Emphyteuta violari conqueritur in sua Informatione.

Et re quidem vera nihil in jure Canonico exploratius quam quod non sint commutandæ ultimæ Defunctorum voluntates, nisi justa, et necessaria causa subsit, quæ comutationem suadeat, ut ex *Can. ultima voluntas caus.* 13. *quaest.* 2. *Cap. Quia Monasterium de Relig. Dom. Conc. Trib. Sess.* 21. *cap.*4. *Sess.* 22. *cap.* 6. *Sess.* 23. *cap.* 18. *de Reform.*, et Sacra Congregatio *in Romana Commutat. voluntatis* 14. *Jun.* 1806. Illud præterea compertum exploratumque est, Patronorum jura absque ipsorum consensu nullimode esse lædenda prout *in Romana Transact., et Unionis* 17.*Junii* 1779. definivit Sac. Congregatio. Tandem juxta doctrinam Benedicti XIV. *de Synod. Dioec. lib.* 5. *cap.* 9. ab Ecclesia respuitur turpe illud mercimonium, quod quis peragit sibi retinens partem Eleemosynae Missae ab alio celebrandae. Idque confirmavit laudatus S. Pontifex in Constit. *Quanta cura* poenam etiam

excomunicationis si Laicus, et suspensionis si Clericus, vel Sacerdos hoc vetitum lucrum captare praesumat.

Hic tamen pro Emphyteuta animadverti posset translationem Capellaniae ab Ecclesia S. Josephi ad Ecclesiam S. Caroli fecisse Ciccognanum auctorante Summo Pontifice, qui Testatorum voluntati derogare absque dubio potest. In contractus namque Emphyteutici artic. 6. legitur - *la lodata E. S. Reverendissima* (Erarii nempe Praefectus) *trasferisce tutti gli obblighi di Messe, Legati di Limosine, e Capellanie anche di Iuspatronato, e meramente Laiche, che si trovino nelle Chiese delle Università soppresse di S. Orsola, della Cava, e di S. Giuseppe nelle dette Chiese de' SS. Bernardo, e Carlo* - Articulo nono conceditur eidem potestas satisfaciendi Oneribus Missarum non diebus a Testatoribus praescriptis, sed diebus, qui ipsi opportuniores visi fuerint pro Populi commodo, quod etiam de Capellania Messini declaratur articulo decimo proxime insequenti, in cujus fine legitur - *al qual' effetto la Santità di Nostro Signore deroga a tutte le Costituzioni, ed altro occorrente* -

Attamen haec habet Episcopus in sua Informatione - *Contractus idem quantum pertinet ad pia Legata fuit a Thesaurario remissus pro executione Ordinario, qui permissu Eminentissimi Secretarii Status facto verbo cum Sanctissimo noluit executionem dare, quia laesa sunt jura Ordinarii, et Sanctissimae Ecclesiasticae Leges violatae* - His omnibus addunt Patroni, Ciccognanum nec ea praestitisse, ad quae sese solemniter obligaverat in contractu cum Thesaurario generali stipulato. Non enim celebrare fecit Missas Beneficii, quod onus ei imponebatur in Articulis 3. et 9. ut enim ait Episcopus - *Constat ex libro Missarum, quem vidi* (*quamvis idem Episcopali revisioni praesentare nolit*) *omissam fuisse ab anno 1809. usque ad 1814. celebrationem Missarum 332.*

Hinc plura petunt tum Episcopus, tum Patroni nimirum, ut Capellania juxta mentem Testatricis iterum trans-

transferatur ad Ecclesiam S. Josephi, in qua publicus cultus cum Populi frequentia exercetur, ut integra remaneant Patronorum jura, Capellano sine diminutione scuta 25. annua solvantur pro Missarum celebratione; quarum implementi probatio Ordinario exhibeatur, prout ante Universitatis suppressionem servabatur; utque Ciccognanius cogatur praedium, vel tot Census enunciatae Universitatis constituere, unde tum Dotis Scutor. 700. tum fructuum Scutor. 25. securitati provideatur.

Quid contra haec omnia Ciccognanus afferre possit me fugit EE. PP. Duo enim fere anni elapsi sunt, ex quibus Episcopus eidem ex Mandato Sacrae Congregationis terminum viginti dierum indixit ad deducendo jura sua. Quanti ergo facienda sint, quae ab Episcopo, Patronis, et Capellano adducta sunt EE. PP. sapientiae erit judicare.

Dubia ergo erunt

I. *An beneficium, de quo agitur, restitui debeat ad Ecclesiam S. Josephi juxta illius fundationem in casu etc.*

II. *An, et quae summa solvenda sit Capellano a Patronis nominato pro implemento oneris Missarum in casu etc.*

III. *An, et quomodo sit cogendus Emphyteuta Ciccognani ad satisfactionem Missarum huc usque omissarum in casu etc*

IV. *An, et quomodo sit providendum in futurum securitati tum sortis, tum fructuum in casu etc.*

Sess. 22. Cap. 11. de Reform.

JANUEN. Prædia quedam cum parva Domo sita in suburbio Bisamnii prope Januam ad Oram Orientalem valoris Lirarum Trium milium ducentarum, hoc est Scutorum Quingentorum, cum dimidio, aliudque prædiolum pariter in Suburbio Bisamnii positum ab Joanne, et Aloysio Fratribus Montebruni acquisitum; Tabernamque in ipsa Januensi Civitate sitam Sacerdos Joannes Baptista Regio Monacus Olivetanus Superior Monasterii S. Hieronymi Loci *Quarto* Diœces. Januensis orat ut facultatem obtineat affrancandi, et erogandi pretium in expensas necessarias pro instauratione Monasterii, et ejusdem Ecclesiæ.

Tabernæ utile dominium gaudet Joannes Baptista Calcagno pro annuo Canone Lirarum Januensium 88. monetæ Canonis Scutorum Romanorum 17. 50: circiter. Summa pro redemptione oblata est Librarum 3000. sive circiter Scuta 460.

Accedit Canon L. 13. 19. paulo excedens Scuta tria super exigua domo, et agro in Suburbio Bisamnii posito. Summa oblata est Librarum 950. sc. 84. 50. Tertius denique est Canon L. 4. 13. 4. Scuti fere Unius super Bonis pariter in Suburbio Bisamnii positis a Joanne, et Aloysio Fratribus Montebruni acquisitis, ejusque valor pro affrancatione est Librarum 1016. Scutorum circiter 156. 33.

Instantiæ favet Januensis Generalis Vicarius in duplici Informatione, quarum accuratior est novissima. Auditis enim interesse habentibus, sumptisque magis opportunis notionibus refert: Tecta Monasterii magna ex parte esse reficienda, quamplures deesse Portas, et Fenestras; Cœnaculum, et Coquinaria denuo paranda, Ecclesiam sacra suppellectili instruendam, Chorum denique esse restaurandum: addiditque hujusmoni affrancationes esse per se evidenter utiles, sed eo vel magis quia hisce temporibus *Canones evaserunt difficillimae ex actionis, ac ut plurimum nonnisi post litis dispendium exigi possunt: addendum praeterea quod bona Emphyteutica anteactis temporum vicissitu-*

di-

dinibus persaepe vendita fuerunt tamquam libera, *ac in varios Possessores transiisse etiam divisa*, *atque confusa*, *itaut quandoque nequeat verificari eorumdem ubicatio*, *et sic depereant*..

Directi dominii abdicatio vera est alienatio, ideoque requiritur evidens Ecclesiæ utilitas, ut permittatur *Clement.I. de rebus Eccles. non alienandis,Fagnan. in lib.3. Decret.Cap.Nulli eod. tit.n.8. et 27.,et ut definivit S.Congregatio Concilii praesertim in Feretrana 18. Julii 1789.* Utrum in nostro Themate utilis sit ex iis EE. Patres dijudicabunt quæ exposuit Vicarius Generalis, et ex eo quod addit, nempe, quod solum allatas, sed et alias affrancationes usque ad summam scutorum vere necessarium ad reparationem Monasterii, et Ecclesiæ ab EE. Vestris prolandas censet, maxime quia Orator, ac Monaci parati sunt deponere quotannis ratam scutorum CentumRomanorum pro reintegratione summæ ex affrancatione retrahendæ. Nulla alia, ut ipse refert, præsto sunt medio supplendi adeo necessariis reparationibus, ex quarum defectu prohibentur Monachi ad Monasteriumredire.

Non solum ergo utilitas, sed etiam urgens necessitas affrancationem suadere videtur, præsertim cum reditus Monasterii non excedant annuam summam scutorum tercentum, quibus vix diurnæ Monasterii expensæ, ac Monacorum alimentis suppleri potest.

Taxa, ait idem Vicarius, *persolvi solita est praeter Laudemium decem* pro singulo Centenario justi pretii, detracta quarta parte, si bona fuerint, prout in præsenti casu, Masculis tantum in Emphyteusim tradita. Utile dominium, ac per consequens etiam directum in dimidia parte valoris fundi constituunt *Rosent. de Feud. Cap. 11.Conc. 12. num. 3. Peregr. de Jure Fisc. lib. 5. tit. 1. de publicat. bonorum num. 71.* Res est de Bonis in Emphiteusim in perpetuum concessis, nec ulla, ut refert idem Vicarius; adest spes devolutionis favore Monasterii si placet EE. Patribus petitæ affrancationi assentiri, statuenda etiam erit annua quota ab Oratoribus deponenda, quam ipsi offerunt in Scutis Centum in redintegrationem pretii ex prædi-

ctis

ctis affrancationibus retrahendi, ut ita utiliori, ac tutiori facto investimento, et urgenti necessitati reparationem occurratur, et in posterum augeatur Canonum alienandorum fructus.

Dubium erit

An, et quomodo sit locus affrancationi Bonorum in casu etc.

Die Sabathi 20. Junii 1818. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua præter alia proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

LUNEN. SARZANEN. REDUCTIONIS, ET SANATIONIS. *Sess. 25. c. 4. de Refor.*

I. *An, et pro qua summa sustineatur affrancatio in casu etc.*

Et quatenus negative.

II. *An sit consulendum SS̃mo pro illius Sanatione in casu etc.*

Et quatenus negative.

III. *An, et quomodo sit locus reductioni Legatorum Missarum in casu etc.*

IV. *An sit consulendum SSmo pro absolutione quoad praeteritas omissiones in casu etc.*

Ad I., II., et III. Negative.

Ad IV. Ad D. Secretarium cum SS̃mo juxta mentem.

ALBINGANEN. REDUCTIONIS, ET SANATIONIS. *Sess. 25. c. 4. de Refor.*

I. *An, et quomodo sit consulendum SSmo pro absolutione, et condonatione quoad praeteritum in casu etc.*

II. *An, et quomodo sit locus Reductioni Missarum quoad futurum in casu etc.*

III. *An*

III. *An, et quomodo sit providendum quoad erogationem fructuum duorum praediorum assignatorum pro manutentione duplicis Oratorii in casu ec.*

Ad I. Ad D. Secretarium cum SSño juxta mentem.
Ad III. Negative.
Ad III. Affirmative, deputato per Episcopum Ecclesiastico Administratore, qui, peractis omnibus impensis pro manutentione ad formam Fundationis, superextantes redditus eroget in extinctionem Censuum favore Hospitalis usque ad integram illorum solidationem.

Sess. 22. c. 6. de Refor.

URBEVETANA JURISPATRONATUS.

I. *An beneficium, de quo agitur restitui debeat ad Ecclesiam S. Josephi juxta illius fundationem in casu etc.*
II. *An, et quae summa solvenda sit Capellano a Patronis nominato pro implemento oneris Missarum in casu etc.*
III. *An, et quomodo sit cogendus Emphyteuta Ciccognani ad satisfactionem Missarum huc usque omissarum in casu etc.*
IV. *An, et quomodo sit providendum in futurum securitati tum sortis, tum fructuum in casu etc.*

Ad I. Affirmative, facto verbo cum SSmo.
Ad II. Affirmative ad formam Fundationis pro annua summa scutorum 25.
Ad III. Affirmative, et Episcopus constito sibi de quantitate Missarum omissarum: ad quem effectum omni juris, et facti remedio cogat Emphyteutem ad exibendum Librum Missarum, mandet per ipsum deponi summam correspondentem, et ipse Episcopus curet illarum satisfactionem ad formam Fundationis.
Ad IV. Affirmative prout de jure.

Sess. 22. c. 11. de Refor.

JANUEN.

An, et quomodo sit locus affrancationi bonorum in casu etc.

In casu de quo agitur Affirmative juxta votum Ordinarii.

RO-

ROMANA CAPELLANIAE. Impetrato novæ Audientiæ beneficio iterum proponitur hæc causa, de qua reditum est judicium in Congregatione 11. Aprilis proxime præteriti sub Dubio - *An constet de re judicata, seu potius de Census restitutionis in integrum in casu etc.* - edito Rescripto - *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam* - Cum nequeant litigantes ob inopiam Typis impressam allegationem EE. Patribus exhibere, præter ea, quæ exposita fuere in folio diei 13 Julii 1816. quod reassumere precor, nonnulla addam, quæ mihi ex utraque parte allata fuere. *Sess. 25. c. 7. de Refor.*

Haud sollicita est Theresia Fiori tueri Rescripta annorum 1812 et 1815, quibus temporaneam suspensionem Missarum obtinuit; sed nullo obreptionis, et subreptionis vitio laborare contendit duo præcedentia Rescripta dierum 15 et 29. Januarii anni 1804. Licet enim ex errore in primo supplici libello exposuerit unicam possidere Domum - *al Vicolo del Maltempo* - quotidianæ Missæ onere gravatam, attamen vix errore detecto fassa est in altero supplici Libello, alias esse Domos pro securitate Pii legati in supplementum obligatas, quin tamen ob plurimum æs alienum a Viro suo contractum posset hoc pium opus exequi, præsertim cum trium filiorum alimentis impar esset ipsius patrimonium. Porro hæc omnia Summo Pontifici exposita cum vera essent, eique placuerit petitam indulgere reductionem, nefas erat hanc concessionem ex suprema Ecclesiastica authoritate manantem in discrimen revocare.

Probatam vero dicit Vidua Fiori suam paupertatem nedum ex attestatione Parochi, sed eo magis a statu activo, et passivo hæreditatis, ex quo patet detractis oneribus superesse tantum annua scuta 111. 67. ½ ex qua summa subduci deberent eleemosinæ pro legato Missarum, videlicet annua scut. 80. unde remanerent scuta 31. 67. ½ tantum, quæ certe imparia sunt pro alimentis sibi, et duabus Nepotibus necessariis. Posita vero Paupertate Patroni frequens est, ut ei ex reditibus Piorum Legatorum succurratur. *Lambert. de jurepatr. lib. 3. qu. 3. art. 6. num. 2. Surd. de alim. tit. 4. quaest. 18. num. 28.*

At contra pro Ven. Sodalitio affertur, plurima reticita fuisse Summo Pontifici, quæ si novisset, eum cauto certius a concedenda gratia retraxissent. Licet enim in secundo supplici Libello fassa fuerit Mulier alias esse domos in supplementum pro legato obligatas, non solum exhibitus minime fuit calculus annui introitus, et exitus, ex quo posset Summus Pontifex noscere, an vires hæreditariæ ferre possent Legati implementum, sed imo assertum est, Domorum reditum a fructu æris alieni ita compensari - *per cui non ne ricava la povera Oratrice il frullato, anzi deve soccombere alle spese di Acconcimi, ed altro* - Porro retento etiam calculo ab ipsa Muliere Ven. Sodalitii Moderatoribus exhibito, ex quo libera supersunt annua scuta 111. 67. $\frac{1}{2}$ additisque aliis scutis 36. pro pensione Domus hæreditariæ a Vidua habitatæ, superextans quantitas erit in scut. 147. 67. $\frac{1}{2}$ a qua deducto annuo legato scut. 80. habebit mulier pro alimentis reliqua scuta 67. 67. $\frac{1}{2}$.

Igitur etiamsi minime augeatur annuus reditus ex veriori calculo, tantum tamen superest, quantum satis est pro alimentis Viduæ, quæ nec descendit a Testatore, nec ullo cum eo consanguineitatis vinculo conjungitur, sed prorsus extranea est, ipsiusque vera paupertas ex prædicto annuo superextante reditu excluditur.

Cætera ad causam definiendam habent EE. PP. in prædicto folio diei 13. Julii 1816. ut possint respondere.

Dubio

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc.

In decisis, et amplius.

AM-

AMPURIEN., ET CIVITATEN. VISITATIONIS SS. LIMINUM - Placuit in hac Causa, quæ sub triplici Dubiorum formula proposita fuit in Congregatione diei 14. Junii præteriti anni respondere - *Dilata, et scribatur Episcopo ad mentem* - mens autem fuit - *Ut referat, an agatur de Collegiatis existentibus in Oppidis insignibus, in quibus Clerus sit numerosus, et quatenus affirmative, referat auditis Parochis, qui pensionibus sunt gravandi, an eas sustinere valeant, et an Canonicatus S. Mariae Gratiarum sit erectus in Collegiata Templi, nec non quare in prima Praebendae Theologalis collatione dispensandum sit concursui et qualitati Magistri in S. Theologia quoad eligendum.* *Sess. 5. cap. 1. de Refor.*

Datis in id litteris Episcopo, ita ille refert.

- Perlectis ea, qua par est, reverentia, epistolis Eminentiæ Tuæ Rmæ diei 14. Junii currentis anni una - cum adjuncta facti serie circa Canonicatus Theologales juxta Concilii Tridentini præscriptum noviter erigendos in duabus Collegiatis Insignibus Loci - de Nulvi Amparien., nec non loci de Templo Civitaten. Diæcesium unitarum, utque dubiis in eisdem contentis pro debito satisfacere curem, referam idcirco Emæ Tuæ Rmæ, antedictas Collegiatas - in Oppidis Insignibus existere, et in quibus Clerus, et Populus est numerosus, ac in utrisque duo - existunt Monasteria Virorum: in oppido nempe de - Templo plusquam quinquaginta simplices Sacerdotes adnumerantur præter Decanum, et octo Canonicos, quibus animarum cura incumbit a prima - erectione, nec non Canonicatum, et Præbendam - S. Mariæ Gratiarum, duos Canonicatus jurispatronatus laicalis, et Canonicatum Organistam, totidemque Cappellanos portionarios in ministerio curæ - animarum a Capitulo accitos. Ita pariter et in oppido de Nulvi præter Decanum, et quinque Canonicos Parochos, alii quatuor extant Canonici juris - patronatus Laicalis, ac decem Beneficia simplicia - cum cura animarum, ac viginti simplices Sacerdotes, ex quibus duo in utroque Jure Laureati.

- Ita pariter duorum Parochorum assensum oppidi nempe de Aggius, et de Bortigiadas minime exquirendum esse censeo pro imponenda utrisque ex nunc

- pro tunc, et quoties illa duo Beneficia Parochialia
- vacare contigerit, tenui viginti quinque scutorum
- hujus monetæ pensione, si vel ipse pro munere
- meo Sacr. Congregationem certiorem reddam præ-
- dicta duo Beneficia de sufficienti congrua fuisse
- provisa ad honestam Parochorum sustentationem,
- nec non unicum Canonicatum cum titulo Præ-
- bendæ Sanctæ Mariae Gratiarum in Ecclesia Colle-
- giata Templensi fore, et esse erectum, nullum-
- que eidem prœter Divinam Psalmodiam adnexum
- onus, eumdemque Canonicatum, et Præbendam
- quoquomodo vacaturam, Canonico Theologali
- Templensi uniendam, et applicandam esse censeo,
- eo tantum tempore, et modo, quo in relatione
- status Ecclesiæ proponendum esse existimavi. At-
- que ad ultimam quod attinet dubitationem, ideir-
- co in prima Canonicatus Theologalis collatione dis-
- pensandum esse duco super concursu, et quali-
- tate Magistri in Sacra Theologia, quoad eligendum,
- ut cito procederem ad ejusdem Canonicatus colla-
- tionem in Ecclesia Collegiata Nulvensi, ubi ex Ca-
- nonicis ad praesens ibidem existentibus unus est in
- utroque jure Laureatus, qui lubens et volens præ-
- dictum onus sustinere non dedignatur, eumque
- ad ea munia obeunda idoneum reputo, nullusque
- alius in Capitulo, et extra Sacræ Theologiæ Magi-
- ster ad præsens sit renunciatus. Quod non idem
- pro Canonico Theologo Templensi erit observan-
- dum, ea de causa, quia non illico ad ejusmodi
- Canonicatus collationem sit deveniendum, sed da-
- to casu, quo aliquis ex Canonicatibus in ea Eccle-
- sia erectis vacare contigerit, eoque adveniente a
- forma concursus pro prima vice, si fassit, rece-
- dendum esse postulo, prævio tantum coram tri-
- bus Examinatoribus Sinodalibus examine, prout in
- Bulla erectionis Collegiatæ prædictæ procæteris Ca-
- nonicatibus præscribitur.

Dignentur igitur Emi Patres, reassumpto Folio Congregationis 14. Junii præteriti anni deliberare. Dubia.

I. *An, et quomodo sit locus erectioni Praebendae Theo-*

Theologalis in Collegiata Ecclesia Templi, et in Collegiata Nulvi in casu etc.

Et quatenus affermative.

II. *An, et quomodo sit providendum congruae earumdem Praebendarum in casu etc.*

III. *An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ad effectum conferendi Praebendam Theologalem in Collegiata Nulvi extra concursum, et Doctori in utroque iure in casu etc.*

Dilata ad sequentem.

PRAENESTINA cum Surronis Oppidi in aspera Montis rupe positi quatuor, et octoginta familiae, quibus grave nimis erat serotinus ad montis verticem reditus, hic, et illic dispersæ in inferiori valle morarentur, proprio ære Ecclesiam sub titulo SS̃mi Cordis Jesu construxere, ut in ea Missae Sacrum unoquoque festo facilius audirent. Verum tum ob Paraeciae sub titulo S. Petri in Montis vertice positae distantiam, tum ob viae asperitatem fiebat, ut parvuli fidei rudimenta ignorarent, et aegroti sine Sacramentorum subsidio ex hac vita decederent. Erectio hinc novae Paraeciae in Ecclesia Sanctissimi Cordis Jesu a pluribus Episcopis praeoptata ab Em̃o Viro felicis memoriae Marco Antonio Columna ab hac Sacra Congregatione delegato canonice fuit absoluta anno 1788. opem ferente pientissimo illius Nepote Magno Comestabili Philippo Columna.

Sess. 7. Cap. 6. de Reform.

Quid

Quod tunc expositum, et quae conditiones propositae ac probatae fuerint pro novae Paraeciae erectione patet ex supplici Libello Emi tunc temporis Episcopi bullae erectionis adnexo, cujus partem hic referam, ut facilius exorta controversia dirimatur – *Nella ridetta Terra del Serrone oltre l' Arciprete vi sono altri sei Beneficiati tutti di nomina dell' Eccma Casa Colonna, i quali hanno il peso per turno di celebrare per comodo del Popolo nei dì festivi la prima Messa senz' applicazione, cantare la Parochiale, dire l'ultima, ed uno di Essi deve celebrare nella Chiesa Rurale di San Quirico, e resta all' ultimo Beneficiato il peso di assistere alla Sagrestia, per le quali obligazioni vi è il riparto della Messa commune frà i Beneficiati, che risiedono. L'Eccmo Patrono consente di unire una vacante Prebenda all'altra di un Beneficiato, che si nominarebbe nuovo Paroco, CON CHE PARTECIPI DI UNA SOLA PORZIONE DELL' ACCENNATA MASSA, E RESTI ESENTE DAI DESCRITTI PESI a riserva di quello di celebrare PER ALIUM la Messa nella Chiesa Rurale, il che sembra giusto, assumendo a vantaggio dello stesso Popolo disperso in Campagna il gravissimo peso della Cura alla spesso nominata nuova Parocchia, presta anche il suo consenso il moderno Arciprete, confessandone l'urgente bisogno, e perciò il Cardinal Vescovo supplicante prega umilmente la Santità Vostra, acciò si degni autorizzare il presente Piano, onde mai sia contradetto dai Beneficiati, nè dai Successori Patroni* –

Precibus de more eidem Emo Episcopo ablegatis, retulit ille tum Cathedralis Capituli, tum Archipraesbiteri assensum novae erigendae Paraeciae, dissensum vero Beneficiatorum in haec verba – *Hoc ipsum non sentiunt Beneficiati Ecclesiae Surronensis, seu potius non sentire conatur Beneficiatus Laurentius Baldassarri, qui eo est ingenio, ut bona fere semper oppugnet, vera legat argutius, ac aliena (praesertim saecularia) quaerat, et turbet . . . . . AEgro tandem fert animo, quod futurus Parochus partem Massae retineat sine obligatione celebrandi per turnum Missam primam, solemnem, et ultimam festivis diebus;*

ve-

verum Missae hujusmodi manuali eleemosyna ex ipsa Massa persolvuntur, proindeque refugit Beneficiatorum interesse - Hinc die 12. Decembris 1787. Pontificium prodiit Rescriptum quo - *SSmus D N. audita relatione infrascripti Secretarii, attentisque narratis supradictis Emi Episcopi Oratoris precibus benigne annuit iuxta petita, etiam quoad unionem per Rescriptum, ac si Litterae Apostolicae expeditae fuissent reservato honore matrici iuxta superius descriptum votum ejusdem Emi Episcopi* -

Statim inde nimirum die 8. Januarii 1788. in exequutione Pontificii Rescripti servatis servandis facta est dismembratio, et novae Paraeciae erectio in Ecclesia SSmi Cordis Jesu; pro cujus dote assignata, ac perpetuo unita fuere duo beneficia, alterum vacans, alterum possessum a Beneficiato Liborio Sale, qui in novum Parochum est institutus - *insimul cum unica tantum parte Massae Communis, ex qua detrahi debeant Sacra Missarum celebrandarum pro legato Ioannis, et Pompiliae Verzetti, quae implentibus cum eleemosyna manuali ex ipsa Massa persolvi debeat* - eidemque novo Parocho onus impositum fuit - *manutentionis suae Ecclesiae, et Sacristiae, ac insuper celebrandi per turnum cum aliis Beneficiatis Missam in Ecclesia S. Quirici per Sacerdotem in sui locum deputandum.* -

Sed insequenti anno cum a reliquis Beneficiatis turbae excitatae fuissent, ut cogeretur novus Parochus Sale ad celebrationem *ultimae* Missae in Matrici Ecclesia, Cardinalis Episcopus in actu Visitationis ita decrevit - *Falso contendunt quinque Beneficiati Parochum novae Paraesiae obstrictum esse per turnum ad Meridianam satisfaciendam, prout tenetur accedere ad Ecclesiam Ruralem S. Quirici, dum id manifeste repugnat Legi erectionis eiusdem Paraeciae: hinc mandavit per Archipresbyterum, Beneficiatos, et Parochum Novae Curae omnino Sacrum agi statuto tempore in rurali Ecclesia S. Quirici sub paena iuliorum viginti usibus piis applicandorum, ac pariter eosdem excepto Parocho sub ipsa teneri ad celebrationem Missae Meridianae.*

Quam-

Quamquam post hoc decretum nulla amplius novo Paroco allata fuerit molestia a Beneficiatis ad annum usque 1803. toto videlicet tempore, quo Prænestinam Ecclesiam gubernarunt Cardinales tum Columna, tum Antonelli, non destiterunt tamen Capitulares Parochi nomen in Turno ponere, licet nemo illius suppleret vices, quo factum est, ut saepe saepius deficeret celebratio Missarum maximo cum animarum damno. Anno autem prædicto 1803. cum Prænestinam Cathedram regeret Emus Cardinalis Mattei, nunc meritissimus Sacri Collegii Decanus, et ad ejus aures pervenirent quærelæ - *perchè spesso nei giorni festivi mancano le Messe, che secondo l sopraesposto Turno si devono celebrare con disturbo, e detrimento del Popolo, che perciò non ha potuto soddisfare al Precetto Ecclesiastico* - pro eo quo pollet zelo Divini cultus, et animarum salutis, quo nemini secundus, jussit decreto Visitationis diei 27. Octobris 1803. *che lo stesso turno sia inviolabilmente osservato, autorizzando il Camerlengo della Massa comune pro tempore di destinare altro Sacerdote libero in luogo di qualche Beneficiato mancante a dire la Messa nella Chiesa Arcipretale coll' elemosina di baj. quindici, e nella distante Chiesa rurale di S. Quirico coll' elemosina di baj. Trenta a spese, e danno del Beneficiato mancante, sulla di cui quota dovrà ritenersi* - Insuper adjecit - *finalmente ordiniamo, che tutti i Benefìciati, eccettuato il Paroco di Campagna, che deve impiegarsi a doveri della sua Cura siano tenuti assistere alla Messa Cantata, ed altre funzioni della Chiesa Arcipretale, secondo l' immemorabile consuetudine sotto pena della puntatura.*

Ex hoc Visitationis decreto, in quo expresse nominatus non fuit Parochus quoad obligationem satisfacendi Missas *de turno*, sed tantum quoad illius exemptionem personalis assistentiæ - *alla Messa Cantata, ed altre funzioni della Chiesa Arcipretale* - iterum efferbuit quæstio ex parte Beneficiatorum, qui putabant illum in decreti sanctione comprehensum, et ex parte Parochi, qui vigore Bullæ Erectionis Pareciæ sese exemptum contendebat a censura illius Decreti, in

quo

quo expresse nominatus non fuerat. Acta est hujusmodi quæstio apud ipsum Emum Episcopum, qui *ex peculiaribus rationibus* litteras dedit Vicario Foraneo sub die 8. Januarii 1806. his verbis - *Mi sono giunti dei riclami per parte dei Beneficiati, che risiedono nel Paese contro codesto Sig. Curato Sale, perchè non intende assoggettarsi al Decreto di Visita dei 27 Ottobre 1803. in quella parte; che fissa la tangente da ritenersi dalla Massa comune, a favore di chi resta destinato dal Camerlengo a celebrare le Messe di Turno in luogo de Beneficiati mancanti. Intese le Parti interessate, ed esaminate le ragioni, che ha saputo addurre il Curato Sale a sua giustificazione, ho creduto risolvere, che l' accennato Decreto abbia il suo effetto e che però non potendo il Curato celebrare personalmente le Messe di Turno abbia a perdere dalla Massa quanto secondo la fissata elemosina corrisponde alle di lui mancanze, incominciando dal giorno del Decreto, col quale non ostante la decorsa consuetudine per giusti motivi fu Esso incluso nel Turno.* - Et idipsum confirmavit ejus Vicarius Generalis novis litteris diei 26. Martii Sequentis anni 1807.

Quid actum fuerit in vim hujus declarationis ignorat hodiernus Vicarius Generalis tum ob præteritam rerum publicarum eversionem, tum ob interitum Parochi Sale anno 1813. Certum tamen est præsentem Parochum Joannem Antonium Capponi a Vicario Capitulari canonice institutum fuisse - *cum omnibus juribus, et pertinentis suis* (Parœciæ nempe) *latius expressis in erectione* - Hic per aliquod tempus Missas de turno satisfacere non detrectavit, donec cognita Bulla Erectionis ad hanc Sacram Congregationem recursum habuit ineunte præterito anno, postulans nedum exemptionem a tribus dictis Missis, sed restitutionem punctaturarum, quas Beneficiati ex portione Massæ sibi pertinente retinuere.

Multa ex utraque parte magna animorum contentione decucta sunt coram Vicario Generali Emi Episcopi, a quo petita est informatio, quæque summatim referam. Sed prius præmonendum est, Beneficiatos timentes Rescriptum Ponteficium diei 12. Decembris

 1787

1787. quo novæ Paræciæ erectio probata est, impedimento esse, ne contra erectionis leges onus Missarum Parocho imponeretur, pertierunt a SSmo *la grazia de aperitione Oris per l' esame del riferito Rescritto*, votique compotes facti sunt ex novo Rescripto diei 12. Februarii proximi præteriti, quo - *SSmus benigne remissit preces eidem Sacrae Congregationi cum clausula etiam de aperitione Oris adversus Rescriptum, de quo agitur, prout, et qualemus de jure.* -

Contendunt Beneficiati Erectionis Decretum, si ejus tantum littera inspiciatur, injustum, obreptitium, et subreptitium esse, quod proinde executionem minime mereri posset. Si enim Parocus eximeretur a Turno celebrationis Missarum, et nihilominus perciperet partem Massæ Communis, reliqui Beneficiati majori gravarentur onere, ipseque Parochus locupletaretur cum illorum jactura contra *Text. in Regul.* 48. *Locupletari de reg. jur. in* 6. Eo enim frequentius rediret circulus Missarum, a quarum satisfactione Parochus declararetur immunis; cum econtra si Parochus per alium suam impleret vicem, servata esset lex fundationis Beneficiorum cum onere trium Missarum diebus Festis, quin cogerentur contra justitiam reliqui Beneficiati deficientiam Parochi supplere. Non ergo *realem* exemptionem cum aliorum damno, sed tantum *personalem* ob incompatibilitatem indultam fuisse Parocho in erectione novæ Paræciæ dicendum videtur.

Sed addunt etiam nihili faciendum esse, quod in erectione novæ Paræciæ, onus tantum impositum fuerit futuro Parocho Missam celebrandi per alium in Rurali Ecclesia S. Quirici, non vero primam, solemnem, et ultimam in Ecclesia Matrici, quia hæc aliarum Missarum exemptio causam habuit ex falso supposito, quod e communi Massa detraheretur eleemosyna manualis pro Missis a Beneficiatis celebrandis. Retulit enim in suo Voto Clar. mem. Card. Columna - *Egro tandem fert animo* (Beneficiatorum opponentium tunc antesignanus) quod futurus *Parochus partem Massae retineat sine obligatione celebran-*

brandi per turnum Missam primam, solemnem, et ultimam festivis diebus; verum Missae hujusmodi manuali eleemosyna ex ipsa Massa persolvuntur - Cum ergo exulet a vero, quod manuali eleemosyna succurratur Beneficiatis celebrantibus supradictas Missas; sequitur, ut Pontificium Rescriptum vitio subreptionis, et obreptionis sit obnoxium. Accedit observantia, quia nomen Parochi descriptum est in albo vulgo - *Turno* licet Missas neque celebraverit, neque celebrare fecerit; accedit etiam Decretum in actu Visitationis ab Emo Mattei latum, quo juxta censuram Sacrosancti Concilii Tridentini *Sess.* 7. *Cap.* 6. *et Sess.* 25. *Cap.* 9. *de Reformat.*: jussit ut - *lo stesso Turno sia affisso, ed inviolabilmente osservato*.

Econtra Parochus præsidium suæ exemptionis mutuatur ab omnibus actis in erectione solemniter gestis, et a Summo Pontifice prævia Resolutione hujus Sacræ Congregationis probatis. Ibi enim in Supplici libello exponitur Beneficiatos - *hanno il peso per turno di celebrare la prima Messa senza applicazione, cantar la Parocchiale, e dire l' ultima, ed uno di essi deve celebrare nella Chiesa Rurale di S. Quirico* - Novus vero Parochus constituendus proponitur ea conditione, ut *resti esente dai descritti pesi a riserva di quello di celebrare per alium la Messa nella Chiesa Rurale, il che sembra giusto assumendo a vantaggio dello stesso Popolo disperso in Campagna il gravissimo peso della Cura* - Huic postulationi in omnibus benigne annuit SSmus *juxta petita*; lataque est Sententia Ordinarii in exequutionem; et erectionem, adjecto onere Missæ tantum in Ecclesia Rurali celebrandæ.

Hanc porro erectionem tam solemniter, et Causa cognita factam, et cui accesserat Pontificiæ Sanctionis robur, nec potuit, nec voluit vel destruere, vel reformare Emus Mattei. Si enim res est de decreto lato in actu Visitationis; nulla in eo excidit mentio novi Curati, sed tantum generalibus verbis utens Episcopus *Turnum* Missarum servari mandavit - *ordiniamo, che lo stesso Turno sia affisso nella Sagrestia della Chiesa*

Arcipretale, e sia inviolabilmente osservato - ita ut si quis ex Beneficiatis in celebranda Missa deficeret, jus esset Camerario - *di destinare altro Sacerdote libera in luogo di qualunque Beneficiato mancante a dir la Messa nella Chiesa Arcipretale coll'elemosina di baj.* 15. - At qui dici non poterat novus Parochus - *mancante di dir la Messa nella Chiesa Arcipretale* - qui tamquam Parochus cogebatur in Ecclesia SS.mi Cordis Jesu Sacrum pro populo facere. Manet ergo nihilum ex hoc decreto innovatum fuisse, sed præscripta tantum methodus servanda inter Beneficiatos hoc onere gravatos, ne illorum culpa, aut negligentia in diebus festis deficeret Missæ Sacrificium - *con disturbo, e detrimento del Popolo* - Quod si triennio post nimirum anno 1806. idem Emus Episcopus datis Vicario Foraneo litteris declaravit - *che non potendo il Curato celebrare personalmente le Messe di Turno abbia a perdere dalla Massa quanto secondo la fissata elemosina corrisponde alle di lui mancanze, incominciando dal giorno del decreto, col quale non ostante la decorsa consuetudine per giusti motivi fù esso incluso nel Turno* - patet amplius hic non agi de decreto Sacræ Visitationis; adjectaque verba *per giusti motivi* suadent ex peculiaribus rationibus, actualem forsan illius temporis Parochum respicientibus, declarationem factam fuisse, non vero statutam legem a futuris Parochis perpetuo servandam.

Nec injustam, utpote cum alterius jactura, suam exemptionem dicit Parochus. Dum enim novæ Paræciæ duo Beneficia unita fuerunt pro dote, adjecta insuper est una tantum pars ex comuni Massa, relicta altera parte in commodum Beneficiatorum. Habent ergo Beneficiati in hac altera parte, quæ ipsis accrevit, compensationem pro Missis, quæ frequentius in anno celebrare debent sine applicatione, ac proinde immerito conqueruntur de eo, quod ipsis non nocet, et alteri prodest.

Quo vero ad obreptionis, et subreptionis vitium, quo Beneficiati contendunt laborare Pontificium pro erectione Rescriptum, ita ex Parochi juribus respondet Vicarius Generalis in sua informatione - *Objiciunt Capi-*

pitulares obreptionis, et subreptionis vitium infictum in Voto Eñi Episcopi, ejusque lambem reponunt in eo praesertim quod is asseruerit, Missas primam, solemnem, et ultimam per Turnum celebrandas manuali eleemosyna ex massa communi detrahenda persolvi, quod falsitate praesumunt laborare, statim ac hujusmodi Missae sine applicatione celebrantur.

Verissima haec est exposita in dicto Voto assertio, sed non timeo, quin sit referenda ad legatum Missarum qu. Joannis Versetii Sacerdotis, et Pompiliae Mattei adimplendum per Beneficiatos, quibus sic adimplentibus cum eleemosyna manuali ex ipsa Massa sunt Missae persolvendae. Non alia mente, ac verbis expressum id reperimus in dicta Bulla Erectionis ibi -.... *Univit omnia, et singula, et quaecumque Bona, et jura quomodolibet spectantia ad duo Beneficia, quae perantea fundata reperiebantur in dicta Parochiali Ecclesia S. Petri, primum nempe, quod possidebat Felix Sacerdos Marsilj, alterum vero modo possessum a Rev. D. Liborio Sale insimul una cum unica tantum parte Massae Communis, EX QUA DETRAHI DEBEANT SACRA MISSARUM CELEBRANDA PRO LEGATO QU. JOANNIS, ET POMPILIAE VERSETTI, QUAE IMPLENTIBUS CUM ELEEMOSYNA MANUALI EX IPSA MASSA PERSOLVI DEBEANT.*

Revera nedum Missae hujus legati, sed etiam aliorum legatorum Massae communi adhaerentium manuali eleemosyna perantea persolvebantur ex ipsa Massa detrahenda. Hoc modo cuilibet Beneficiato, seu alieri Sacerdoti adimplenti onera Missarum etiam non celebrando Missam neque primam, neque solemnem, nec ultimam in dicta Ecclesia S. Petri, sed in quacumque alia Missae celebratae ex ipsa Massa solvebantur. Nam onus celebrandi Missas primam, solemnem, et ultimam adimpletur per turnum tamquam onus pure adnexum Massae Communi commodo tantum Populi vel applicando Missas pro dictis Legatis, vel applicando pro aliis ad Massam non pertinentibus, vel applicando Missas Adventitias, vel alias quascumque manuales. Istud onus est mere celebrandi statutas Missas

sas ad Populi commoditatem, et non eas applicandi, nisi ad libitum Beneficiatorum. Nunc autem non sic: dictae Missae, et omnium Legatorum Massae communis pro aequali numero inter Beneficiatos, et Parochum Ecclesiae SS̄mi Cordis Jesu distribuuntur, et pro adimplemento applicantur. Actu non solvuntur a Massa, sed in fine Anni Massae reditus, quibus solvi ut antea deberent, pro aequali portione distribuuntur. -

Quin succensendum sit, quod in erectione novæ Parœciæ Beneficiati refragaverint suum præbere assensum, et quod hæc erectio adversetur voluntati Piorum defunctorum, qui Legata Missarum adimplenda reliquerunt. Eorum enim consensus non requirebatur, quia animarum cura residet penes Archipresbyterum, qui dismembrationi assentitus est; dissensus vero impune despici poterat, quia SS. Tridentina Synodus confirmans, quæ jam Summus Pontifex Alexander III. in sua Constitutione, quæ incipit *ad audientiam*, facultatem dedit Episcopis, ut tamquam Apostolicæ Sedis Delegati - *in iis Ecclesiis, in quibus ob locorum distantiam, sive difficultatem Parochiani sine magno incomodo ad percipienda Sacramenta, et Divina Officia audienda accedere non possunt, novas Paroecias, etiam inviiis Rectoribus constituere possint* - Si hæc præstare poterat Episcopus, *invito etiam Parocho*, eo magis, magisque id ipsum decernere poterat Sacra hæc Congregatio postulante Episcopo, annuente Archipræsbytero, et confirmante Summo Pontifice.

Nec quidquam putat Parochus detractum fuisse voluntati Fundatorum per Rescriptum Sanctissimi, qui cæteroquin plenissima potitur facultate derogandi Testatorum voluntati, si justa, ac rationabilis causa concurrat *ex Text. in Canon. Unic. Caus.* 10. *quaest.* 3. *Capit. Quia Monasteria de Religiosis Domibus*, *et S. Trident. Concil.* §. 22. *Cap.* 6. *de Reform.* Aut enim Missæ celebrandæ adnexæ specialiter sunt duobus Beneficiis novo Parocho tributis, et certum in jure est, rem transire cum suo onere, ac proinde eas satisfacere teneretur Parochus, qui Beneficiorum percipit fru-

fructus ; aut unitæ reperiuntur ipsi Massæ communi, quemadmodum contigit quoad legata Joannis , et Pompiliæ Verzetti , et illarum satisfactio ex Massa ante divisionem detrahenda erit ; aut hæc Pia legata peculiares habent fundos , quos cum non possideat novus Parochus contra justitiam peteretur adimplementum ab ipso Parocho , qui ut refert Eñi Episcopi Vicarius satis tenui congrua providetur .

Hæc præcipua sunt rationum momenta , quibus inter se contendunt Beneficiati , et Parochus . Nunc restat, ut Eñi Patres sub infrascripta Dubiorum formula quæstionem dirimere dignentur.

1. *An intret arbitrium pro aperitione Oris adversus Rescriptum diei 12. Decembris 1787. in casu etc.*
2. *An Parochus Ecclesiae SSmi Cordis Jesu teneatur ad turnum Missae Primae , solemnis , et ultimae per alium celebrandae in Ecclesia Archipraesbyterati in casu etc.*

Et quatenus negative

3. *An restituendae sint Parocho Capponi eleemosynae ab ipso solutae pro dictis Missis in casu etc.*

Ad I., et II. Negative .
Ad III. Affirmative a die recursus Parochi Capponi .

ROMANA REDUCTIONIS . Cum primum proposita fuit hæc Causa in Congregatione diei 11. Aprilis 1807. fuse , ac docte exposita sunt ab Eñio , et Rño de Gregorio tunc temporis Secretario , quæ vel in facto , vel in jure animadvertenda erant ad rectam illius definitionem,ut patet ex illius diei *Folio*,quod hic facilioris studii gratia excribimus. *Sess.25. Cap,4. de Reform.*

" A Sorore sua Anna Maria Roma legavit Petrus Remi-
" gius Frater in Testamentariis tabulis 15.Martii 1726.-
- *Una lampada di Argento del valore di scudi Duecen-*
- *to da collocarsi avanti l' Altare , ossia Capella della*
Man-

- *Madonna Santissima de Sette Dolori nella Chiesa di*
- *San Marcello di Roma, quale poi dovrà in perpetuo*
- *mantenersi accesa a spese dell' Eredità di Esso Testa-*
- *tore, e che per soddisfazione di detto Legato, e manteni-*
- *mento di d. Lampada debba solamente restare ipote-*
- *cato, e vincolato il primo Appartamento della Casa*
- *di esso Testatore, posta in Roma alle Tre Cannelle,*
- *volendo, che il rimanente della sua Eredità resti li-*
- *bero per detta sua Erede, e di lei Eredi, senza che*
- *sia sottoposto a detto peso* - Fratris pietatem æmulata
- ta est Anna Maria in Testamento scripto eodem an-
- no 1726. in quo Bernardino Antonio Romani hæredi
- instituto jussit, ut lampadem aliam ardere faceret ad
- Aram Virginis Dolorosæ in Ecclesia S. Marcelli,
- juxta ac ejus Vir in Testamento mandaverat. Quo
- vero utrumque Legatum ab hærede præstaretur, vo-
- luit, ut duo Loca Montium hæres compararet -
- *per assegnarli cioè un Luogo per ciascheduna di esse*
- *Lampade alla suddetta Chiesa, e RR. PP. Serviti di*
- *di S. Marcello, acciò col frutto di detti due Luoghi di*
- *Monte si debbano mantenere, e siano sempre mante-*
- *nute, e continuamente accese le dette due Lampade;*
- *senza che detto Erede, e di lei Eredità sia, e possa*
- *esser tenuta, ed obligata a verun' altra cosa* -
- Actum porro est de acceptatione utriusque Legati inter
- hæredem Romani, et PP. Servitas, qui rogato In-
- strumento die 16. Septembris anni 1727. nulla tamen
- impetrata venia a Superiore Ordinis utrumque ac-
ceptarunt legatum, aucta dote ad alia centes. 83. ul-
- tra duo LL. Montium, ex quorum fructibus Patres
- Servitæ spoponderunt implementum - *coll' espressa*
- *dichiarazione, che con il presente assegnamento, e*
- *costituzione di detto Fondo essa Chiesa, e Padri di*
- *S. Marcello non possa mai in alcun tempo pretendere*
- *altro assegnamento, o supplemento, ne altro anche per*
- *casi fortuiti di estrazzione, soppressione o altri acciden-*
- *ti, che potessero avvenire sopra li sudd. Luoghi di Monte*
- *anco ex facto Principis; ma in tal caso possano valer-*
- *si essi RR. PP. di quelle vie, e ragioni giuridiche,*
- *che gli competino, eccettuato di ritornare contro esso*

Si-

- *Signor Bernardino Antonio Romani*, *e suoi Succes-*
- *sori.*
- Cum a publica rerum perturbatione non semper una
- alteraque Lampas accensa fuerit, et fructus, qui
- nunc ex fundo Locorum Montium percipiuntur im-
- pares sint oneri ferendo, tum ab hac Sacra Congre-
- gatione deprecatus est Prior Conventus S. Marcelli,
- et absolutionem quoad præteritum, et reductionem
- quoad futurum. Exquisitum est *Votum* P. Procura-
- toris Generalis, qui exposita opportunis confirmans
- documentis, addens se non potuisse *audire haeredes*
- *Besnardini Antonii Romani quia praecise nescitur*,
- *qui fuerint*, *praesumitur vero eos fuisse Dominicum,*
- *aliosque ex Familia Lussardi*, *a quibus Advocatus*
- *Monaldini anno* 1740. *emit Domum pertinentem quon-*
- *dam ad Petrum Remigium Roma dictam* alle tre Can-
- nelle. *Dixi praesumitur*, *quia Bernardinus Anto-*
- *nius Romani dum praedictam domum renunciavit fa-*
- *vore propinquorum Annae Roma*, *eos minime nomi-*
- *navit*, *quamquam etsi eos nominasset, neque sic habe-*
- *retur intentum*. *Nam essent quidem ii propinqui An-*
- *nae Roma non vero haeredes Bernardini Antonii Ro-*
- *mani*. *Observo etiam parvum interesse hujusmodi*
- *haeredes quaerere cum Rhemigius Roma solum par-*
- *tem Domus* alle tre Cannelle *pro lampadis manuten-*
- *tione hypothecaverit*, *reliqua haereditate libere reli-*
- *cta*. *Advocatus Monaldini*, *qui Domum* alle tre Can-
- nelle *emit interrogatus de hujusmodi hypotheca*
- *nihil plane post sex menses respondit*. *Impensa ve*
- *re necessaria ad manutentionem lampadum tam de die*
- *quam de nocte sumendo praetium olei etiam infra me-*
- *dium est scutorum sex*, *et assium sexaginta sex cir-*
- *citer. Nam uti ex accuratis diligentiis constat pro*
- *qualibet lampade necessariae sunt quotannis mensu-*
- *rae Olei*, *vulgo Boccali decem et octo cum dimidio*,
- *et forte quid amplius*. *Si ergo statuatur pretium pro*
- *qualibet mensura Juliorum trium*, *et assium sex quod*
- *videtur esse infra medium*, *jam pro qualibet lampade*
- *impensa erit annuatim scutatorum sex*, *et assium*
- *sexaginta sex*, *et pro duabus Lampadibus scutorum*
- *Tresdecim*, *et assium triginta duorum*. *Addere de-*

 beo

- *beo multis adhibitis diligentiis non fuisse repertam li-*
- *centiam superiorum Ordinis pro acceptando Legato*
- *forte quia necessaria haereditas non fuit, cum non*
- *ageretur de onere Missarum*.
- Ex his die 25. Februarii proxime præteriti rescriptum
- prodiit *Quoad praeteritum pro gratia absolutionis, et*
- *condonationis arbitrio, et conscientiae Patris Gene-*
- *ralis, et quoad futurum ponatur in folio firma inte-*
- *rim remanente manutentione lampadum ad formam*
- *fundationis, et emissae obligationis usque ad exitum*
- *instantiae* - Nunc igitur de reductione quoad futu-
- rum quærendum tantum erit. Cum nunc fructus
- Locorum Montium exigantur pro duplici quinta par-
- te tantum; profecto ex duobus Locis Montium 83.
- cent. un ter. percipiuntur ad scuta *tria*, et obul. *qua-*
- *draginta*, quæ non satis sunt ad manutentionem
- utriusque lampadis pro quibus ut diu, noctuque ar-
- deant, requiritur impensa scutorum *tresdecim*, et
- assium *trigintaduorum*. Si ergo diminuti sunt fru-
- ctus fundi, unde implendum erat legatum, sane
- reductio concedenda videtur, cum si fructus Lega-
- ti sint impares oneri, semper Sacra Congregatio
- reductionem concedere solet, ut *in Auximana Re-*
- *ductionis* 17. *Augusti* 1796. *et in Romana* 15. *Septem-*
- *bris* 1802. In præsenti tamen re duo obstare videntur
- quominus Patres Servitæ reductionem consequantur;
- scilicet, quod Patres Servitæ pro Legato Rhemigii Ro-
- ma supplementum petere possint, si fructus Legati di-
- minuti sunt; rursus quod eis obstet acceptatio quo-
- ad Legatum Annæ Roma, quominus reductionem
- exorare possint. Hæc accuratius investiganda sunt.
- Nam Rhemigius Roma legavit *una lampada, la quale*
- *dovrà mantenersi perpetuamente accesa a spese dell'*
- *Eredità di esso Testatore, e che per sodisfazione di*
- *detto Legato debba SOLAMENTE restare ipoteca-*
- *to, e vincolato il primo Appartamento della Casa di esso*
- *Testatore posta in Roma alle tre Cannelle*. - Quare
- si legatum implendum esset - *a spese dell' Eredità* -
- et præcise ex fructibus portionis Domus hypotheca-
- tæ nisi impares oneri demonstrentur pensiones, non
- erit locus reductioni, et Patres Servitæ Domum hy-

po-

- pothecatam persequi possunt. Neque hæreditas Rhe-
- migii liberata est ab hoc onere ex eo quod Anna So-
- ror, et hæres Rhemigii in suo Testamento jussit ut
- PP. Servitis pro hoc Legato fratris traderetur *un Luo-*
- *go di Monte.* Nam cum Remigius non legaverit spe-
- ciem seu certum fundum, nec jusserit hæredi, ut fun-
- dum traderet sane ex facta assignatione, et traditio-
- ne fundi non liberatur hæres, qui si traditus fundus
- diminuatur ad supplendum tenetur id, quod imple
- mento Legati deficit ex doctrina *Benedicti XIV. de*
- *Synod. Diaeces. lib.* 13. *Cap. ultim. num.* 33. Quare
- Patres Servitæ si lateant hæredes Rhemigii po-
- terunt actione hypothecaria persequi domum ob-
- noxiam, quin necesse sit pro hoc legato con-
- cedere reductionem, quæ semper denegatur,
- ubi adsit obligatus qui ad supplendum teneatur
- ut late discusso articulo definivit Sacra Congregatio
- *in Lucana Reductionis Missarum* 15. *Decembris* 1685.
- Neque, quominus hoc supplementum consequan-
- tur Patres Servitæ, impedimento est acceptatio unius
- Loci Montis pro fundo Legati Rhemigii. Nam in
- illo Instrumento Anni 1727. quo hæc acceptatio
- emissa est, cautum legitur, ut si quid adversi tu-
- lissent assignata Locorum Montium - *possano va-*
- *lersi essi Reverendi Padri di quelle vie, e ragioni*
- *giuridiche, che gli competono, eccettuato che di ri-*
- *tornare contro di esso Sig. Bernardino, e suoi ec.* -
- Hoc igitur Locorum Montium malum, possunt ex
- ipso pacto Patres Servitæ uti jure suo contra Do-
- mum hypothecatam, neque eis acceptatio ullum im-
- pedimentum parat.

- Quoad alterum vero Legatum Annæ Roma obstare vi-
- detur Patruum acceptatio. Nam Anna jussit ut tra-
- deretur certus fundus, scilicet *un Luogo di Monte,*
- *senza che detto Erede, o di lei Eredità passa essere*
- *in avvenire tenuta, ed obbligata a verun altra cosa* -
- Dum itaque Bernardinus Antonius Romani hæres
- Annæ nedum tradidit fundum unius Loci Montis a
- Testatrice assignati, sed etiam auxit et Patres Servi-
- tæ illum acceptarunt ea conditione - *Che con il pre-*
- *sente assegnamento, e costituzione di detto Fondo*

- *essa Chiesa, e Padri di S. Marcello non possano mai*
- *in alcun tempo pretendere altro assegnamento, o*
- *supplemento anche per casi fortuiti d'estrazione, sop-*
- *pressione, o altri accidenti, che potessero venire so-*
- *pra li suddetti Luoghi di Monte anche ex facto Prin-*
- *cipis* - jam ex his sequitur, ut, quemadmodum
- hæres Annæ omnino liberatus est: ita Patres Servi-
- tæ non obstante diminutione Fundi legatum imple-
- re teneantur. Nam post acceptatum ex contractu,
- et exequutum perdiu Legatum non est locus redu-
- ctioni licet impares sint fructus Legati, ut statuit
- Sacra Congregatio *in Bergomen. Reductionis* 10.
- *Julii* 1728.

- Summum tamen hoc esset jus, quæ pro ratione tem-
- porum ad injuriam redire posset. Quamquam enim
- Patres Servitiæ ex contractu legatum acceptaverint
- et casus fortuitos in se susceperint; hoc tamen
- spoponderunt ne hæredi molestiam inferrent, num-
- quam vero ut beneficio reductionis valedicerent,
- cum imo sibi caverint - *in tal caso possano valersi*
- *essi RR. Padri di quelle vie, e ragioni giuridiche,*
- *che gli competono* - Si igitur nunc diminutis nulla
- Patruum culpa fructibus Locorum Montium, et
- aucto pretio Olei contractus ad læsionem redit, pro-
- fecto eis patefacta est via ad reductionem petendam,
- quæ hisce concurrentibus concessit Sacra Congre-
- gatio licet ageretur de oneribus per contractum ac-
- ceptatis, *ut in Syracusana Missarum* 10. *Martii*
- 1739., *in Albinganen.* 12. *Decembris* 1778. *in Anco-*
- *nitana Missarum* 16. *Martii* 1782. Maxime cum ac-
- ceptatio hujusmodi facta sit nedum nulla præeunte
- Superiorum Ordinis licentia, quæ forsan in Lega-
- tis tantum Missarum præscribitur; sed etiam nul-
- la impetrata venia Apostolica, quæ requirebatur
- omnino in contractu, quo Ecclesiæ conditio dete-
- rior fieri poterat.

- Si ex his reductionem quoad Legatum Annæ Roma
- concedendam esse censeant Eñi Patres, tum præ
- oculis habeant ex fundo unius Loci Montis 41. cen-
- tes circiter redire Scutum *unum*, et obulos *septua-*
- *ginta* et expensam pro manutentione lampadis re-

qui-

- quiri in annuis Scutis *sex* et assibus *sexaginta*, ut
- proinde pro ratione fructuum, qui percipiuntur
- locus esse poterit implemento Legati.

Placuit Sacræ huic Congregationi ad dictam diem 11. Aprilis 1807. rescribere - *Negative quoad Legatum Rhemigii, et Patres utantur jure suo contra quos, et prout de jure; quo vero ad Legatum Annae affirmative pro ratione redituum* - Priusquam Patres Servitæ in vim supradicti Rescripti actionem experirentur in judicio, vel contra hæredes Rhemigii, quos ignorabant, vel contra hypothecatæ Domus Possessorem, hunc extrajudicialiter interpellarunt. Sed effectu vacuam reddiderunt eorum diligentiam tum extrema Possessoris paupertas, tum maxime notissimæ rerum omnium vicissitudines. Summum igitur adierunt Pontificem, sive illius Delegatum Apostolicum (jam tunc enim Princeps Urbs suo viduato Pastore alieno licet invita serviebat imperio) eique exposuerunt - *Stimarono dunque gli Oratori, lasciata l'indagine degli Eredi di Bernardino Romani d'interpellare l'attuale possessore della Casa ipotecata. Ma questi mostrandosi renitente, e non stimandosi obligato ad alcuna contribuzione, gli Oratori, atteso lo stato miserabilissimo in cui esso è caduto, non hanno mai promosso contro di esso alcun atto giudiziale. Ed ora per la di lui impotenza, considerando come impossibile il soccorso riservato alla ipoteca, ricorrono alla Santità Vostra affinchè voglia degnarsi di conformare il Legato di Remigio al Legato di Anna, cosicchè come per il secondo, anche per il primo siano tenuti pro ratione redituum* - et voti compotes facti sunt Rescripto diei 13. Januarii 1810 - *Ex speciali Apostolica facultate delegata committimus Patri Generali Ordinis Servorum Beatae Mariae Virginis, ut, veris existentibus narratis, constitoque prius sibi de inutilitate actionis experiundae ad formam Rescripti* 11. *Aprilis* 1807. *pro suo arbitrio, et conscientia enunciatum onus, donec Oratores Supplementum recuperabunt gratis reducere ac maderari possit, et valeat.*

At novas iteravit preces Vicarius Generalis Servorum, cujus *arbitrio*, et *conscientiae* commissum erat superius relatum Apostolicum Rescriptum, exponens adhuc

adhuc ignorari qui sint, et ubi vitam ducant hæredes Fundatoris Pii Legati, Domum, cujus prima contignatio pro dicto Legato obligata erat, in tertium Possessorem ex formali concursu Creditorum transiisse, inutilem proinde esse judicii aleam tentare, ac postulans ab Emis Patribus, ut - *si degnino mettere del pari il Legato di Remigio col Legato di Anna; cio è siccome benignamente accordarono per questo la riduzione pro ratione reditum, così vogliansi degnare per quello. Nè perciò l'Altare della Beata Vergine resterà sproveduto di lumi, essendovi a tal' effetto qualche altro Legato.*

Exquisitis Informatione, et voto a Procuratore Generali Ordinis confirmat ipse, quæ in facto exposita fuere in folio diei 11. Aprilis 1807. quæque postea evenerant; additque Patres Servitas publico Instrumento Anni 1727. acceptasse unum, alterumque legatum a Bernardino Romani Hærede Annæ Mariæ juxta illius Testamentum, et in correspectivitatem Cessionis duorum Locorum Montium cum Centesimis 83. $\frac{1}{3}$ adjecto pacto, ut non possent unquam - *pretendere altro assegnamento, nè altro, anche per casi fortuiti di estrazzione, soppressione, o altri accidenti, che potessero venire sopra detti Luoghi di Monte anche ex facto Principis* - quin ulla facta fuerit in instrumento mentio hypothecæ, quæ pro primo Legato primæ lampadis constituta fuerat in Testamento Petri Rhemigii. Hinc concludit tum ex littera Testamenti, tum ex pacto instrumentali utilem exerceri non posse actionem contra prædictos hæredes, etiamsi nota esset illorum existentia.

Sed etiam aut inutilem, aut saltem valde dispendiosam, ac difficilis exitus putat litem instituendam contra Advocatum Timotei, qui in Concursu Creditorum Domum tamquam liberam adeptus est, in vim testamentariæ hypothecæ, quæ numquam publicis Codicibus inscripta fuit.

Rem igitur ita in suo Voto perstringit - *Valde nobis expedire existimo petitam gratiam reductionis: video enim viam non suppetere ad petendum supplementum, saltem sine magnis litibus, et difficultatibus. Juvat referre integrum Textum Testamenti Remigii legan-*

gantis unam lampadem post mortem Sororis - la quale poi dovrà in perpetuo mantenersi accesa a spese dell' Eredità di esso Testatore. Item vuole ordina, e dichiara, che per soddisfazione di detto Legato, e mantenimento di detta lampada debba solamente restare ipotecato, e vincolato il primo appartamento della Casa di esso Testatore posta in Roma alle Tre Cannelle, volendo che il rimanente della sua Eredità resti libero per la sua Erede, e di lei Eredi, senza che sia sottoposto a detto peso -

Cum Haeredes Rhemigii (qui sunt haeredes Bernardini Romani) sint ignoti : cumque Domum non possideant, mihi videtur non habere locum contra ipsos actio personalis . Licet enim Testator suam dispositionem exordiatur a constitutione, et manutentione lampadis, et a spese dell' Eredità ; conceptis tamen, et repetitis verbis omnino videtur fundum Appartamenti taxative designare : qui aliunde plusquam sufficiens est ad expensam pro lampade .

Actio realis contra Domum, ut minimum obnoxia esset infinitis litibus cum Adversario acerrimo . Si legatum firmitatem habet ab acceptatione : si acceptatio facta fuit in supra recitatis terminis : si donatarii Bernardini Romani, et sequentes emptores bona fide acceperunt Domum ut liberam ab hoc onere : si modernus Possessor Domum recepit in Creditorum concursu pro longe majori suo Credito : si demum per nonaginta annos nulla mota fuit quaestio judicialis : non video quomodo de facili esset evadendum a lititibus, quae item deinceps essent inevitabiles, et perpetuae pro quantitate supplementi annui -

Post haec videant Emi Patres utrum in casu, de quo agitur, aliquid ex juris rigore sit relaxandum, ne Oratores cogantur magis sumptibus incertam tentare judicii aleam .

Dubium erit

An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu ec.

Non proposita cum sequenti .

OVE-

Sess. 14. cap. 7 de Reform.

OVETANA IRREGULARITATIS Sæviente in Hispania bello, quod postremis luctuosissimis annis Europam fere universam miserrime invaserat Cohors a nationalibus instituta fuit, cujus munus esset, Milites, qui a Patria defecissent colligendi, revocandique ad officium. Hujus Agminis dux, nomine *Sargente Comandante* factus est quidam Cajetanus Alvarezius de la Campa Ovetanæ Diœcesis, qui cum antea inter Monachos Cistercienses accenseri expostulasset, temporum circumstantiis impeditus ad defensionem Patriæ ab injustis Invasoribus aggressæ militiæ suum dederat nomen. Dum igitur munere suo fungeretur, ductus fuit ad illum transfuga quidam clamante Populo ejusque mortem petente, ne periculum esset novæ trasmigrationis ad hostes, neve impunitatis spe cæteri ad id crimen patrandum allicerentur. Hisce vocibus, clamoribusque permotus Alvarezius consensum suum præbuit, ut infelix ille morti traderetur, quod illico absque ulla judicii forma, ne militari quidem exequutum fuit.

Bello interim Deo opitulante Maximo ad finem perducto, rebusque compositis, iterum suum desiderium aperuit Alvarezius ad Monachos redeundi, quod cum ob ætatem minime illi concessum fuisset, inter Sæculares Clericos cooptari posse sibi satis visum est; quapropter a SSmo postulavit dispensationem ab irregularitate. Ejus precibus Episcopo remissis, quæ superius exposui ille confirmat, et Oratorem Apostolica indulgentia dignum arbitratur.

Sacra Ecclesiæ Disciplina semper a Sacris Ordinibus repulit voluntarios homicidas exemplo a veteri Divina lege sumpto *Exodi* 21. *cap.* 1. Hinc Sacra Tridentina Synodus statuit *Sess.* 14. *cap.* 7. *de Ref. ut qui sua voluntate homicidium perpetraverit, etiamsi crimen id nec ordine judiciario probetur, nec alia ratione publicum, sed occultum fuerit, nullo tempore ad Sacros Ordines promoveri possit*, quam Tridentinæ Synodus dispositionem Canones præcesserant *Cap. suscepimus de homicidio C. de caetero dist.* 50. Nec id ad solos pro-

propria manu interficientes extenditur, sed etiam ad Mandantes, et consulentes, quomodocumque cooperantes, et ad illos etiam, prout in præsenti casu, qui obligati ex justitia impedire homicidium, non impediunt *arg. cap.* 6. §. *illi etiam de homicidio* quod magis dicendum est de eo, qui cum homicidium injustum impedire debeat, non solum non impedit, sed immo ut exequatur suum præbet consensum, et injuste nulla servata judicii forma, auctoritate sua exequi jubet. Hanc doctrinam pluries amplexa est Sacra hæc Congregatio, uti præsertim *in Caesenat. irregularit.* 29. *Aprilis* 1702. *Bisuntina* 22. *Aprilis* 1719 quæ in casu huic simillimo, quin etiam minus immani dispensationem Josepho Pollet uti ad Sacros ordines promoveri posset denegavit.

At vero plurimum in præsenti casu dandum videtur acerbissimis temporibus, et extremo Patriæ, imo totius Nationis periculo, ac necessariæ defensioni, ut quæ maxima impendebant mala averterentur, neve infelix ille homo iterum ad inimicos confugiens majora in suos Concives damna moliretur. *His permotus*, inquit Episcopus, *Orator Militibus praecepit, vel potius assensum praebuit, ut eum occiderent; quod factum est in loco deserto, hora noctis intempesta, itaut quamvis publice constet de hominis illius occisione, ignoratum tamen fuerit, et est, quis eum occiderit aut occidi mandaverit; quinimo hujus facinoris praemium, et laudem apud belli Duces alter tulit: ea enim erat eorum temporum calamitas. Oratoris vita, et mores probatissimi sunt, et fuerunt, quippe qui antequam militiae adscriberetur in Patriae defensionem, habitum Religionis induere voluit, et admissus a Monachis Cisterciensibus propositum suum adimplere nequivit propter superveniens tyrannicum bellum, quo finito iterum a Monachis admitti desideravit; sed cum jam grandaevus esset, obtinere non potuit, et ad Sacros Ordines promoveri exoptat, peracta poenitentia, et confessione generali statim ac à Militia recessit. Dignum propterea eum judico, cui a SSmo D. Nostro benigne ac misericorditer provideatur.*

Videant Emi Patres num in casu, de quo agitur, licet agatur de *Promovendo*, aliquid de Juris Canonici rigore per Supremam Clavium Potestatem sit relaxandum

Dubium erit

An sit consulendum SSmo pro dispensatione in casu ec.

Die Sabathi 11. *Julii* 1818. *in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua præter alia proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.*

ROMANA REDUCTIONIS.

Sess. 25. c. 4. de Refor.

An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu etc.

Prævi recessu a decisis, quoad Legatum Remigii pro gratia reductionis ad rationem redituum, et ponatur in Tabella.

OVETANA IRREGULARITATIS.

Sess. 14. c. 7. de Refor.

An sit consulendum SSmo pro dispensatione, in casu etc.

Dilata, et scribatur Episcopo pro nova Informatione, et referat de ætate Oratoris, ejusque idoneitate præsertim quoad scientiam, nec non de Ecclesiæ utilitate, et necessitate.

Sess. 5. c. 1. de Refor.

AMPARIEN., ET CIVITATEN. VISITATIONIS SS. LIMINUM.

Proposita hac Causa in præterita Congregatioue, responsum fuit - *Dilata adsequentem* - Iterum igitur hodie proponitur, ut dignentur EE. PP. reassumptis præteritis Foliis respondere Dubiis.

I. *An, et quomodo sit locus erectioni Praebendae Theologalis in Collegiata Ecclesia Templi, et in Collegiata Nulvi, in casu etc.*

Et quatenus affirmative.

II. *An, et quomodo sit providendum congruae earumdem Praebendarum in casu etc.*

III. *An sit consulendum SSmo pro dispensatione ad effectum conferendi Praebendam Theologalem in Collegiata Nulvi extra concursum, et Doctori in utroque jure in casu etc.*

Ad I. Affirmative juxta votum Episcopi, et ad Dominum Secretarium cum SSmo.

Ad II. Affirmative juxta votum Episcopi.

Ad III. Affirmative pro hac prima collatione tantum.

Sess. 25. c. 5. de Refor.

COMACLEN: A tempore, cujus non extat memoria in Comacli Civitate unica est Paræcia Archipresbytero illius Cathedralis curæ commendata, qui semper in exercitio sui muneris nonnullos Capellanos Curatos adjutores habuit. Nulli erant Canonici cum anno 1570. postulante tunc temporis Episcopo S. M. Pius V. erigi mandavit duos Canonicatus, *qui una cum eodem Archipresbytero Ecclesiae praefatae deservire, oneraque illi incumbentia supportare juxta providam ordinationem per eumdem Episcopum desuper faciendam debeant* - ut constat ex litteris Apostolicis decimo Kalendas Julii ejusdem anni, in quibus ut duo

no-

novi erigendi Canonicatus congruam haberent Præbendam, jussit SSmus Pontifex, ut ex fructibus Archipresbyteratus medietas dismembraretur, quæ inter novos Canonicos æquis portionibus divideretur.

Meminit de hac erectione in Actis Sacræ Visitationis peractæ de anno 1574. Episcopus Sacrati - *quo divinus cultus augeretur, et Archipresbyter se in sacrorum administratione, et Ecclesiae obsequio praedictis Canonicis pro Coadjutoribus uteretur, quibus plurimum indigere repertus est* - Latet tamen inter antiquitatis tenebras, quibus præcise conditionibus hi duo Canonici Archipresbytero coadjuvare tenerentur, licet id statuendum mandasset S. Pius V. - *juxta providam ordinationem per eumdem Episcopum desuper faciendam* -

Meminit etiam Episcopus Borea anno 1654. in decreto erectionis duorum Canonicatuum in hæc verba - *Fuerunt antiquitus, ab annis scilicet septuaginta quatuor circa erecti duo Canonicatus, ut Canonici Archipresbyterum ipsum in administratione Sacramentorum coadjuvarent, illiusque Coadjutores essent, quibus pro illorum congrua portione, seu praebenda assignata fuit medietas fructuum dicti Archipresbyteratus* -

Triennio post, nimirum anno 1657. unus ex duobus Canonicatibus, quem tunc possidebat Sacerdos Cassianus Simoni, in Præbendam Pœnitentieriæ erectus est ex decreto hujus Sacræ Congregationis.

Tandem de utriusque Canonicatus primæva erectione meminit Episcopus Lugaresi de anno 1745. referens - *Cum Acta exequutorialia Bullae S. Pii V. inveniri minime potuerint, ignoreturque sub cujus Sancti titulo institutus fuerit alter ex his duobus Canonicatibus, Illmus Visitator decrevit imposterum hujus Praebendae Bullas, et acta inscribenda sub invocatione, et titulo Canonicatus S. Pii Quinti.*

Iste Canonicatus ex vi Apostolicae Institutionis debuisset habere onus coadjuvandi Archipresbytero, sed quia ab Episcopo decernendum supererat in quo deberet adjumentum, nec ulla invenitur memoria de oneribus in prima collatione specificatis, ideo reservandum erit ad occasionem novae collationis expendere quid juris fue-

fuerit cum modernus possessor nullo gravamine, nec ullius Missae taxatum illum habuerit, pacificeque possederit –

Patet insuper ex Parochialibus Codicibus tum Baptismatum, tum Matrimoniorum Canonicos, præsertim illum, qui a S. M. Pio V. nomen accepit, suam Archipresbytero præstasse operam in *Sacramentorum* Administratione. Ita actum est usque dum defuncto Canonico Philippo Fogli ex Apostolica collatione Canonicus renunciatus est Cajetanus Samaritani, contraquem Archipresbyter Gentili apud Sacram Congregationem conquestus est, quod – *Sembra voglia ora esimersi dal sodisfare all' obligo ingiuntogli dalla Costituzione Apostolica, abbenchè percepisca la quarta parte delle rendite dell' Arcipretura*.

Rogata est nuper defuncti Episcopi Sententia, qui votum suum aperuit contra Archipresbyteri instantiam. Illius literæ per extensum referuntur in *Summario* Canonici Samaritani. Utrisque litigantibus præfixus est terminus usque a præterito anno ad deducendum jura sua. Statuta, et pluries prorogata fuit dies Propositionis, in qua tum ex parte Archipresbyteri Gentili tum ex altera Canonici Samaritani typis impressæ distribuentur Allegationes, quarum præcipua capita breviter attingam.

In eo potissimum sunt Archipresbyteri Defensores, ut obligationem coadjuvandi in Cura Animarum quoad Canonicatum nuncupatum S. Pii V. derivent ex perceptione Decimarum, aliorumque redituum Archipresbyteratus. Certum siquidem ajunt, *in facto* est, hujusmodi Canonicatus Possessores pro sua Præbenda habere *trientem* omnium redituum, qui olim ad Archipresbyterum spectabant, sequitur inde, ut vicissim vocati sint ad ferenda onera Parochialia, seu, quod idem est, ut teneantur Archipresbytero in animarum cura auxilium præstare. Contra enim justitiæ, et æquitatis leges esset, si is qui ex participatione Decimarum, aliorumque redituum sentit comodum, posset impune onus coadjuvandi Parochum in cura animarum a se repellere. Præsertim hæc Naturalis, Civilis, et Canonici juris regula obtinere deberet in hac Causa, in qua haud

res

res est de simplici participatione alicujus reditus Parochialis, sed tota Præbenda Canonicatus constituitur in participatione quartæ partis fructuum Archipresbyteratus. Ita re mature discussa in contradictorio judicio respondit Sacra hæc Congregatio in *Farfen. Decimarum* 1. *Septembris* 1691. *in Montis Falisci onerum Parochialium* 8. *Maii* 1706, *et in Policastren.* 29. *Februarii*, *et* 14. *Martii* 1744.

Juris dispositioni amicam præbere manum contendunt *S.* Pontificis Pii V. voluntatem, quia in erectione Canonicatus hanc legem imposuit - *qui una cum eodem Archipresbytero Ecclesiae praefatae deservire*, *oneraque illi incumbentia supportare debeant* - Hæc autem lex supportandi onera adnexa Præbendæ, a qua fiebat dismembratio, impune negligi nequit juxta præscriptum in S. Tridentina Sinodo. *Sess.* 25. *Cap.* 6. *de Refor.* Ad destruendam enim fundationis legem ad avertenda onera in ipsa fundatione imposita, nec, nimirum valent Partium placita, et conventiones, nec quævis vel longissima in contrarium observantiae quæ tamquam abusus, et corruptela a S. Tridentin. Concilio improbatur, et semper hæc Sacra Congregatio fundationis leges ab inductis abusibus, et quavis contraria desuetudine vindicavit. Ita *in Nullius S. Aedisti* 11. *Junii* 1644. *in Mediolanen Jurium Parochialium* 3. *Decembris* 1735., *in Ronana Cappellaniarum* 30. *Julii* 1768. *in Amerina Decreti Visitationis quoad Praeceptum Paschale* 10. *Septembris* 1803.

Quin etiam non solum nihil sibi Archipresbyter timendum putat, a quavis contraria observantia, quæ etiam Centum Annorum cursum excederet, si fundationis legibus adversaretur, sed etiam putat, tota fundatione, usque ad obitum Canonici Philippi Fogli qui Samaritanum proxime præcessit; actus intercessisse, ex quibus constet reapse ab initio unum, alterumque Canonicum operam suam in adjuvando Archipresbytero impendisse, et postea uno erecto in Præbendam Penitentiariam, alterum sub titulo S. Pii V. hoc ipsum continuo præstitisse. Id probat ex libris tum Baptismatum, tum Matrimoniorum, ex quibus eruitur sæpe sæpius Canonicos Sacramenta hujusmodi ministrasse, ac illorum collationem propria

pria manu adnotasse. Quin dici valeat hoc ipsum Canonicos præstitisse tamquam Capellanos Curatos ab Archipresbytero assumptos, non autem tamquam Canonicos ex sibi injuncta in fundatione lege, quia in quavis dubitatione ea sumenda est interpretatio, quæ magis congruit juris dispositioni, et Bullæ erectionis.

Contra vero Defensores Canonici Samaritani contendunt tum BullamErectionis tumConsuetudinem favere exemptioni ab onere coadiuvandi Archipresbyterum. Agebatur de onere imponendo, et quidem gravissimo, quia secumferebat curam animarum. Cum igitur hoc onus expressis verbis in Bulla erectionis impositum non fuerit Canonicatibus erigendis, nequeunt ii ex quavis interpretatione eo gravari cum semper in dubiis libertati potius, quam servituti Beneficiorum favendum sit, ut post SS. Trident.Synodum - *in Sess.* 25. *Cap.* 5. *de Reform. tradunt Ricc. in praxi for. Eccles' part.* 4. *resol.* 468. *num.* 2. *Lotter. de re. Benefic. lib.* 1' *quaest.* 23. *num.* 10., *et Corrad. in praxi Benef. lib.* 2. *Cap.* 10. *num.* 150.

Licet enim in erectionis Bulla S. Pius V. jusserit, ut novi Canonici *una cum Archipresbytero Ecclesiae deservire, oneraque illi incumbentia supportare tenerentur*, aut hæc onera cohibenda sunt ad simplex Chori servitium, quod apprime congruit qulitati Beneficii Canonicalis, aut si placeat ad alia onera trahere, cum id penderet a præscriptione ordinarii per ea quæ sequuntur verba - *juxta providam ordinationem per eumdem Episcopum desuper faciendam* - dicendum videtur, nullum aliud onus impositum fuisse, quia numquam Episcopi unius, alteriusque Sæculi quidquam novi oneris hujusce Canonicis imposuerunt, Consuetudinem vero favere Canonico Samaritani autumant illius Defensores ex quo cum actum est de erigendo uno ex Canonicatibus in Præbendam Pænitentiam nec verbum excidit de cura Animarum, nec requisitus fuit consensus Archipresbyteri, qui certe necessarius videbatur, statim ac hoc adjutore in animarum cura perpetuo privabatur,

Accedit etiam quod Episcopus Lugeresi in Sacra Visitatione peracta de Anno 1745. expresse declaravit, *nul-*

nullam inveniri memoriam de oneribus in prima collatione specificatis, et illius temporis Possessorem *nullo gravamine*, *nec unius Missae laxatum Canonicatum habuisse*, *et specifice possidere*: hinc infertur ante annum 1745. Canonicatum liberum fuisse, ac sine ullo onere ad hæc usque tempora permansisse. Plusquam ergo quadragenarius circulus expletus est, qui legitimam consuetudinem satis est constituere *Engel. in jus Canon. lib.* 1. *de consuet: num.* 14. *Piton. discept. Eccles.* 50. *Tom.* 2. *num.* 11. *Corrad. prax Benef. lib.* 2. *Cap.* 6. *num.* 21., et Rota *in Laodien Jurisdictionis super* 1. *Dubio* 3. *Martii* 1766. §. 10. *coram de Comitibus*. Hanc autem consuetudinem magni faciendam esse arbitratur, quia non in linea *praescriptiva*, sed in linea tantum *interpretativa* ab ipsis introducitur, nimirum ut ex hac consuetudine erui possit; quid summus Pontifex in Bulla Erectionis voluerit, quid illius Exequtores Episcopi senserint de oneribus Canonicatui adnexis *Menoch. Cons.* 137. *num.* 10. *Corrad. Prax. Benefic lib.* 2. *Cap.* 10. *num.* 135., et Sacra Congregatio *in Nullius Ferentilli Visitationis SS. Liminum* 7. *Aprilis* 1781. *et in Narnien.* 15. *Maii* 1790. Cæterum putant Defensores Samaritani haud tanti opus esse, ut illum a quocumque onere vindicare possint. Sat enim esse ajunt quod illius favore facta fuerit Canonicatus Collatio per Sanctam Sedem Apostolicam absque ulla mentione onerum. Quousque manent litteræ Apostolicæ, et manere debent donec in separato judicio, obtenta prius oris aperitione, obreptionis vitio infectæ fuerint declaratæ necessario consequi debet, ut nequeat Samaritanus adjici ad ea sustinenda onera, quæ in ipsis Apostolicis litteris imposita numquam fuere.

Hæc, aliaque rationum momenta ex allegationibus hinc inde distributis colligant Emi Patres ut possint dirimere.

Z Du-

Dubium

An, et quomodo Possessores Cannonicatus S. Pii V. nuncupat. teneantur coadiuvare Archipresbyterum Comaclen. in cura Animarum, in casu etc.

Affirmative juxta providam Ordinatianem ab Episcopo omnino facendam

Sess. 24. *cap.* 13. *et Sess.* 25. *cap.* 13. *de Reform.*

ROMANA JURIS TUMULANDI - Inter cætera pia Charitatis Officia, quibus se exercet Archiconfraternitas Urbis sub titulo *Orationis*, seu *della Morte*, illud præcipue adnumeratur, ut propriis sumptibus Cadavera Pauperum in Urbe decedentium, nec non et illorum, qui in Agro Romano ex hac vita quocumque modo migraverint, Christianæ sepulturæ decenti, et Ecclesiastico ritu demandent:

Pro pauperibus, in Urbe decedentibus ne eorum corpora inhumata manerent, sepeliendis prædictæ Archiconfraternitati facta fuit potestas a Sum. Pontifice Pio IV. in Bulla quæ incipit *Divina* an. 1560. cujus verba referam- *Et ipsi Guardiani, et Officiales, ac Confratres dictae, Confraternitatis, et eorum Capellani quorumcumque Pauperum decedentium Corpora in Parrochiali Ecclesia sub qua ipsi Pauperes decesserint, seu illius Caemeterio, si caemeterium habuerit dictae Confraternitatis sumptibus, et expensis, ac cum suis faculis, et intortitiis, et candelis cum licentia tamen, atque interessentia ipsius Rectoris, seu Vicarii si vocatus adesse voluerit, ita quod si adesse noluerit dictae Confraternitati Ianuas Ecclesiae praedictae ad hunc effectum aperire omnino teneatur, in forma Ecclesiae consueta, et solemniter sepelire, et licite valeant eisdem auctoritate, et tenore indulgemus* -

Non-

Nonnullæ forsan querelæ contra Archiconfraternitatem dedere causam, ut Congregatio Sacræ Visitationis Apostolicæ 31. Augusti 1641. decrevit - *quod omnes, et singuli Rectores, Parochi, et alii supradicti ad sepelienda corpora Pauperum mortuorum requisiti, debeant, et quilibet eorum requisitus infra viginti horarum spatium illa Ecclesiasticae sepulturae tradere, alias termino praedicto elapso possint, et valeant supradictae Archiconfraternitatis Confratres ad illa sepelienda accedere, et Cadavera in iisdem Parochiis, et Ecclesiis omnibus eorum sumptibus humi tradere, charitatisque opus exercere juxta formam Statuti dictae Archiconfraternitatis et teneantur omnes supradicti Ecclesiarum Januas aperire, seu aperiri facere, ac etiam necessaria, si opus fuerit subministrare; idque facere recusanti, liceat dictis Confratribus Januas aperire Ecclesiarum, seu eo modo, quo poterunt meliori, aperiri facere, et hoc supradicti Confratres servare debeant tam in Urbe, quam extra.*

Cadavera vero Occisorum dicti Confratres certiores facti a Gubernio, possint statim humi tradere, etiam irrequisitis supradictis.

In Cadaveribus Mortuorum extra Urbem quandocumque, quia aliquando nunciantes Archiconfraternitati errant locum, asserentes locum unum pro alio, liceat tali casu Confratribus in Ecclesiis sibi commodioribus seppellire, et teneantur Custodes Januas Ecclesiarum praedict. aperire, ut Cadavera Ecclesiasticae sepulturae tradi possint, sin minus liceat dictis Confratribus facere ut supra dictum est, et ita servari voluit eadem Sacra Congregatio condemnando omnes supradictos contrafacientes ad poenam Scutorum 25. pro singulis vicibus.

Præcitato Sacræ Congregationis Visitationis Decreto robur Apostolicæ confirmationis adjecit Summus Pontifex Urbanus VIII. die 29. Novembris 1641. suis literis in forma Brevis expeditis.

Hisce Decretis, et Apostolicis sanctionibus satis provisum videbatur, ut in posterum et Archiconfraternitas sua charitatis Officia libere exerceret, neve Parochi Urbis in suis juribus turbarentur. At inimicus Homo, qui in quaslibet feracissimas Ecclesiae segetes zizania

superseminare cupit, anno 1739. nova excitavit dissidia inter Parochos Urbis, et præfatam Archiconfraternitatem. Querebantur primi quod licet prompti forent ad efferenda Cadavera decedentium in Agro Romano, et licet ipsi de istorum morte nuncium Tribunali Gubernii misissent, tamen præventi a Confratribus dictæ Archiconfraternitatis Cadavera efferebantur, et sepeliebantur. E contra Confratres se ad efferenda Cadavera in Agros pergere ajebant, quia a Gubernio monebantur. Hujusmodi controversiam composuit Emus Urbis Vicarius Cardinalis Guadagni, qui cum Emo Cardinali Coiro tunc Pro-Gubernatore Urbis convenit, ut Parochis jus esset efferendi Cadavera demortuorum in Agro, quoties ipsi de illorum morte, et se paratos esse ad ipsa tumulanda in scriptis Gubernio monitum darent: at quoties Gubernium a Parochis tale monitum non haberet, aut priusquam denunciatum ipsi fuerit a Parochis jam a Tribunali Confratres certiores facti essent de aliquo defuncto in Agro, tunc elatio, et sepelliendi jus ad Confratres exclusive spectaret.

Quæ adeo prudenter præfati Emi Gnadagni, et Coiro statuerant, et decreverant statim ipsis Parochis jurisdictionem habentibus extra Urbem nota facta fuere sub die 4. Septembris 1739. a Congregatione vulgo dicta Præfectorum. Quoniam vero post res ita compositas acciderat, ut aliquando Parochi humarent Cadavera dacedentium in Agro absque prævia recognitione Gubernii, Pius Sextus immortalis memoriæ suis litteris in forma Brevis expedit. sub die prima Martis 1781. præfatum decretum a dictis Emis Guadagni; et Coiro conciliatum adprobavit, et confirmavit, et illi inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjecit, et perpetuis futuris temporibus inconcusse, et inviolabiliter observari præcepit. Quin etiam ut Archiconfraternitati in omnibus controversiis, quæ in posterum super exequutione præfati decreti exoriri possent consultum esset Motu Proprio, et Apostolica Auctoritate Emo Urbis Vicario pro tempore existenti commisit, et mandavit, ut controversias omnes super exequutione dicti decreti inter Parochos extra Muros, et Archiconfraternitatem cognosceret, definiret, et debito fine terminaret.

Hæc

Hæc omnia prænotanda censui, ut facilius Emi Patres novas exortas controversias dirimere possint.

Nomine Collegii Parochorum Urbis Preces SSmo Domino Nostro exhibitæ sunt in quibus narratur Archiconfraternitatem *della Orazione*, *e della Morte* malo suorum privilegiorum usu Cadavera in Agro Demortuorum efferre, eaque in Ecclesiis Urbis sibi magis benevisis sepulturæ mandare, et post-habitis Ecclesiis, quæ januis Urbis sunt propinquiores, aliquando eas seligere, quæ ab Ecclesia dictæ Confraternitatis parum distant; quandoque evenire, ut dum Confratres dicta Cadavera sepelliendi causa efferunt in Urbis Ecclesias Sacrae functiones, et Sacrosancta Mysteria a vocibus Confratruum preces funebres decantantium turbentur, imo etiam Parochi jurisdictio lædatur, quia Archiconfraternitatis Capellanus Ecclesiam intrat, et absolutionem super Cadavera peragit non deposita Stola.

Additur etiam, quod si aliquando Propinqui decedentium in Agro aliquam pompam funebrem oxoptant, tunc a Confratribus irrequisitis Parochis eorum Cadavera in Ecclesia Archiconfraternitatis tumulantur, et solam medietatem emolumentorum Parochis tribuunt.

Tandem si pauperes Personae sint adscriptæ præfatæ Archiconfraternitati, et in ejusdem Ecclesia sibi elegerint sepulturam, ut aliquam pompam funebrem obtineant, tali casu Parochis nimis grave videtur horum Pauperum in Urbe decedentium Cadavera cedere Archiconfraternitati, et nullis perceptis emolumentis ipsa tamen associare ad tumulantem Ecclesiam *della Morte*.

His omnibus Summo Pontifici expositis querelarum titulis postulat Parochorum Collegium ut rei cognitione huic Sacræ Congregationi ablegata, ipsa interpretari dignetur dictæ Archiconfraternitatis privilegia tam circa Cadavera Pauperum in Urbe decedentium, qui dictæ Archiconfraternitati sint adscripti, et in ejus Ecclesia sibi sepulturam elegerint: tam decernendo, quæ et quales esse possint, et debeant Ecclesiæ, vel Cemeteria, ubi demortuorum in Agro Cadavera humanda sint, ac tandem quæ jura, et emolumenta Parochis competant, quoad Cadavera in Agro decedentium, si quando aliqua pompa funebris pro ipsis peragatur.

Pa-

Parochorum votis benigne annuit Sanctissimus Pontifex, et huic Supremæ eorum preces remisit. Pro muneris mei Officio statim rogavi Emum Archiconfraternitatis Protectorem, auditis in scriptis Confratribus per secreta suffragia, eisdemque præfixo termino ad deducenda sua jura in Sacra Congregatione transmissa Copia privilegiorum rem omnem explanaret, suumque votum aperiret, quod cum præstiterit referam nunc, quæ ab Archiconfraternitate ad suorum privilegiorum tutelam, quæque a Parochis contra adducuntur.

Ac primum Confratres animadvertunt supplicem libellum nomine Collegii Parochorum SSmo porrectum a nullo esse subscriptum, atque inde unius tantum, vel alterius Parochi esse querelas, quæ sub asserto totius Collegii nomine porriguntur.

Quidquid tamen de hoc sit ante omnia præ oculis habendum est Breve Sanctæ Mem Pii Sexti cujus in supplici Parochorum libello nulla fit mentio, quo Summus ille Pontifex sub die prima Martii 1781. non solum quæ conventa, et decreta fuerant inter Emos Coiro, et Guadagni confirmavit, verum etiam Emum pro tempore in Urbis Vicarium pro omnibus quibuscumque controversiis, quæ inter Parochos extra Muros, et Archiconfraternitatem exoriri possent Judicem privativum constituit.

Ad hujus Pontificii Brevis tramites nullam quæstionem de Cadaveribus decedentium in Agro fieri posse Confratres contendunt. Aut enim de istorum morte Parochus per Epistolium, quo se ad afferendum, et tumulandum Cadaver promptum asserat, monet Gubernium, antequam ipsi per quemcumque alium talis notitia deferatur, et tunc nullum dubium, quin Parocho efferendi, et tumulandi Cadaveris jus sit, dummodo post peractam a Gubernio Cadaveris recognitionem vel Parochus ipse, vel suus substitutus præsens adsit, ut recipere possit schedulam recognitionis. Aut Parochus a quocumque alio præventus fuit, qui nuncium de demortuo in Agro dedit Gubernio, et tunc solæ Archiconfraternitati competit elatio, et tumulatio Cadaveris in Ecclesiis sibi commodioribus, et tenentur Custodes januas Ecclesiæ aperire, sin minus ipsi Confratres poterunt januas aperire,

vel

vel aperiri facere *Decr. Sacrae Visit. die* 31. *Augusti* 1641. *confirm. ab Urbano VIII. die* 29. *Novembris* 1641., *et Decr. Card. Guadagni*, *et Coiro die* 4. *Septembris* 1739., *a Pio VI. conf. die prima Martii* 1781. Et si quæstio aliqua super hoc oriri contingat habent Parochi, habent Confratres Judicem datum a Pontifice, nempe Emum Urbis Vicarium.

Ast inquiunt Parochi Cadavera demortuorum in Agro sepelienda esse vel in Ruralibus Parœciis extra Muros, vel saltem in Ecclesiis propinquioribus mœniis Urbis non vero licere Confratribus Cadavera prædicta, si nolunt ea in propria Ecclesia sepelire, deferre in aliis Ecclesiis Parochialibus, quæ intra Urbem sunt, ac etiam propinquæ Ecclesiæ *della Morte* sepelire. E contra Archiconfraternitas innixa decreto Sacræ Visitationis ab Urbano Octavo confirmato contendit, sibi licere demortuis in Agro sepulturam dare in Ecclesiis sibi commodioribus; hanc vero majorem commoditatem sibi, non Parochis decidendi jus esse ex variis, quæ contingere possunt, rerum circumstantiis, sive etiam aliquando ex necessitate. Non vero enim Gubernium Cadaverum recognitionem peragit vel prope Urbis Mœnia, vel ad ipsius januas, et tunc Cadavera in Ecclesiis intra Urbem tumulari necesse est, alia nimis incomodo, et retrogrado itinere ad Parochias Rurales deferenda essent. Inter Ecclesias vero, quæ intra Urbem sunt modo unam, modo alteram deligunt, ne nimio frequenti incomodo Ecclesiarum Rectores afficiantur, si fere semper ad unam, eamdemque Ecclesiam deferrent Cadavera. Nec possibile dicunt hujusmodi Cadaveribus in propria Ecclesia *della Morte* sepulturam donare, quia in ipsa unicum tantum angustum adest sepulcrum, et in Cœmeterio vix sex Cadaveribus locus dari posset.

Numquam vero asserunt Confratres efferre Cadavera ad alias Urbis Ecclesias, nisi prius moniti fuerint eorum Rectores, idque recusantibus funebrem peragere absolutionem, tunc Archiconfraternitatis Capellanus, decantatibus de more precibus cum stola, ut Rituale præscribit, funus absolvit. Ex qua methodo semper asservata nulla Populi turbatio, nulla Sacrarum functionum irreverentia evenire potest.

Quod

Quod si casus contingat aliquem in Agro defunctum, et ab Archiconfraternitate associatum, et in propria Ecclesia *della Morte* tumulandum ibi aliqua pompa funebri a propinquis donare, non omnia emolumenta Ecclesia ipsa sibi vindicat, sed medietatem tradit Parocho defuncti, ut constat ex attestationibus Vicarii Curati S. Catharinæ de Rota, et ex alia Parochi S. Mariæ *del Carmine* extra Portam Portuensem. Nec quid aliud debere ajunt. Confratres quia Parochus in cujus Paræciæ finibus inventum fuit Cadaver, suo cuicumque juri renunciavit, statim ac Gubernium non monuit, et in tali casu, quæ sancita ab Emis Guadagni, et Coiro locum habent, idest - *che non avranno Essi Parochi motivo di dolersi, se non di se stessi*,

At Parochi aliquid præsidii ad hujusmodi controversias dirimendas sibi esse credunt *Decisionem* 317. *coram Ratto* editam *sub die* 15. *Junii* 1731. in qua præter cætera statutum fuit, quod tunc tantum liceat Archiconfraternitati sepelire Cadavera decedentium in Agro in Ecclesiis sibi commodioribus, quando nunciantes Gubernio errant asserentes locum unum pro alio, in quo jaceat mortui Corpus; quoties igitur non datur talis error semper in Ecclesia Parochiali tumulanda sint Cadavera ex juris communis dispositione de qua in *Text. Cap. Nos instituta* 1. *Cap. Fraternitatem* 3. *Cap. In nostra* 10. *De Sepulturis Cap. Cum quis* 2.*eod. tit.in* 6., *et in Feretrana Juris seppelliendi* 14.*Dec.*1805. neve quod in uno tantum casu concessum est ad omnes, diversosque casus trahatur *Rota Decis.* 616. *num.* 24. *coram Burat.*, *et in Recent. Decis.* 11,*num.* 6.*part.* 8. *ac decis.* 144. *num.* 6. *part.* 16.

Sed plura adducunt Confratres, ut probent Decisionem illam ad præsentem non pertinere. Causa erat *Cusentina*, non *Romana*. Agebatur non de Archiconfraternitate Urbis, sed de Cusentina Aggregata, ideoque incertum erat utrum illi per aggregationem communicata fuissent omnia, et singula Confraternitatis Urbis privilegia. Nota siquidem Sententia est, quæ in aggregationibus solummodo gratias spirituales transferri defendit, ut post *Constitut.* 350. *Clementis Octavi tenuit Congregatio Episcoporum, et Regularium in Brugnaten* 13. *Novembris* 1691., *et haec Sacra*

Con-

Congregatio in Cremonen 13. *Aprilis* 1726. *et in Spoletana* 20. *Februarii* 1796. Controversia erat cum Patribus Dominicanis, quorum Ecclesiæ sunt exemptæ, et in vim suorum privilegiorum invitæ non tenentur ad tumulandum, ut expressis verbis sancivit S. M. Benedictus XIII. in sua Constitutione. quæ incipit - *Praetiosus* - in hæc verba - *Prohibemus posse per Parochos invitis Fratribus in istorum Ecclesiis, aut Cemeteriis Cadavera sepeliri, et respective Missas celebrari, ac exequias quascumque persolvi* - Demum certum non erat Cadaver defuncti Cuseutini repertum fuisse in Agro, cum revera inventum fuerit in Suburbio, seu regione prope Civitatem, quæ propriam Parochiam habebat. Quapropter cum præsens Controversia ex omnibus facti circumstantiis toto cælo aberret a Causa Cusentina, in qua prodiit laudata Decisio, sequitur, ut quæ in ea dicuntur de decreto Sacræ Congregationis Visitationis ab Urbano Octavo approbato tamquam enunciative dicta sint accipienda. Et revera si solummodo in casu erroris in nunciante unum locum pro alio sepeliendi Cadavera in Ecclesiis sibi commodioribus a Sacra Congregatione Visitationis facta esset potestas, sequeretur, Archiconfraternitatem fere nunquam uti posse suis privilegiis, quibus a Summis Pontificibus fuit ditata, ut tantæ charitatis, et pietatis officia remunerarentur. Immo non solum in Ecclesiis sibi commodioribus, sed ne vix quidem in propria Ecclesia liceret Archiconfraternitati Cadavera decedentium in Agro sepulturæ mandare, quia per raro datur casus erroris in nunciantes; Hinc ita concludunt Confratres, error in nunciante fuit una ex variis causis quibus Sacra Visitatio Archiconfraternitati electionem indulsit, non conditio, qua sola posita in Ecclesiis commodioribus posset tumulare.

Hæc sunt, quæ ab Archiconfraternitate, ut sua privilegia circa Cadavera decedentium in Agro tueatur, afferuntur. Quoad vero associationem, et tumulationem eorum pauperum, qui Archiconfraternitati sunt adscripti, et in ejus Ecclesia sibi eligunt Sepulcrum, videtur Parochorum Collegium jus omnibus

commune eligendi nempe sepulturam in dubium revocare, quasi Pauperes præter alias angustias, quibus dum vivunt præmuntur, hoc etiam unico solatio privandi essent in morte. Verum enim vero quæstionem hanc dirimere videtur vel dispositio juris communis, vel speciale in hanc rem decretum Sacræ Congregationis Visitationis. Si enim Pauperes, antequam e vita decebant, sepulturam elegerint, vel in Ecclesia S. Mariæ *della Morte* vel alibi, nulli jus esse potest impediendi illorum voluntatis exequutionem. Si vero Sepulcrum non elegerint, tunc ex Decreto Sacræ Visitationis ab Urbano VIII. adprobato post viginti horarum spatium Archiconfraternitas eorum Cadavera efferre, et in Ecclesiis Parochialibus tumulare potest etiam, renuentibus Parochis, qui suarum Ecclesiarum fores tenentur aperire, et aperiri facere jus datum est.

Tandem Archiconfraternitas longam suam possessionem fere duorum sæculorum affert; quæ possessio a Sacris Congregationibus, et Summis Pontificibus semper non solum agnita, sed imo novis decretis, et gratiis confirmata fuit; quæque omnis melioris tituli præsumptionem inducit; et quæ denique omni benigna interpretatione prosequenda est, quia fovet pietatem in publicum bonum tendit, et Pauperibus omni commiseratione dignis charitatis, ac Religionis subsidia præbet. Proponuntur Dubia.

I. *An, et in quo casu competat Archiconfraternitati Orationis, et Mortis Urbis efferre, et sepelire Cadavera decedentium in Agris in casu etc.*

II. *An, et in quibus Ecclesiis eadem Archiconfraternitas jus habeat eadem Cadavera sepeliendi, in casu etc.*

III. *An si pro dictis Defunctis in Ecclesia Archiconfraternitatis fiat aliqua pompa funebris; quae pars emolumentorum Parochis praestanda sit, in casu etc.*

IV. *An, quomodo, et in qua Ecclesia Cadavera Pauperum decedentium in Urbe sine electione Sepulturae Confraternitas efferre, et sepelire possit, in casu etc.*

V. *An Pauperes adscripti dictae Archiconfraternitati,*

tati, et sepulcrum sibi eligentes in ejudem Ecclesia, possint in ea tumulari, in casu etc.

VI. *An pro dictorum Pauperum associatione, et in praefata Ecclesia tumulatione aliquod emolumentum competat Parocho, in casu etc.*

Ad I. Affirmative ad formam decreti Card. Guadagni a S. M. Pio VI. approbati.

Ad II. Affirmative ad formam constitutionis Pii IV., et decreti S. Congregationis Visitationis.

Ad III. Affirmative pro medietate ad formam Statuti Cleri Romani.

Ad IV. Affirmative ad formam supradicti decreti S. Visitationis.

Ad V. Affirmative de Licentia Parochi.

Ad V. Negative.

ROMANA RESIDENTIAE - Sacerdos Joannes Sanchez Valverde Insignis Collegiatae S. Maria in Via lata Capellanus veniam postulat, ut Panormi apud Eminum Archiepiscopum cujus Famulatui est addictus suis necessitatibus providere possit. Eminus illius Ecclesiæ Diaconus dum attenta redituum tenuitate, et in obsequium laudati Cardinalis Archiepiscopi putat Oratoris precibus ad aliquod tempus indulgeri posse, transmittit Capituli relationem, ex qua fundatio, natura, et onera Capellaniæ exponuntur in hæc verba - *La Cappellania Marliani-Penia, così chiamata dal nome de' Fondatori, fu eretta all' Altare Privilegiato della sudetta Basilica Collegiata nel dì 27. Settembre 1647. Il Cappellano è di nomina del Prelato Uditore di Rota pro tempore pel Regno di Aragona, ed in mancanza, o assenza di lui, degli Uditori di Rota.* *Sess. 24. cap. 12. de Reform.*

La stessa Capellania è amovibile ad nutum *del sudetto Uditore di Rota Aragonese.*

Il detto Cappellano deve essere Sacerdote.

Ha il peso di celebrare la Messa in detto Altare Privilegiato in tutte le Domeniche, e Feste di Precetto per le Anime di Monsig. Francesco Penia, e del Canonico Alessandro Marliani.

Deve cantare due Messe di Requiem *in ogni anno nei giorni ed Altare a suo arbitrio fuori del tempo de'*

Divini Uffizj coll' assistenza del Corista, dei Cappellani, Sagrestano, dando loro a dividersi uno Scudo.

Per consumo di Paramenti, Utensili, Cera etc. deve pagare Scudi tre all' Anno nel dì d' ogni Santi alla Sagrestia.

Finalmente è tenuto in tutte le Domeniche, e Feste di Precetto, e negli ultimi tre giorni della Settimana Santa ad intervenire ai Divini Uffic}, come anche nei due giorni dell' Esposizione, e Reposizione del Santissimo Sagramento.

Cum vero ex hac Capituli relatione innotuerit hanc Capellaniam non solum ad nominationem Auditoris Sacræ Rotæ pro Regno Aragoniæ confessi, sed esse ad illius Præsulis nutum amovibilem, iterum remissæ fuerunt preces eidem Emo Diacono, ut audito Patrono denuo referret - *Non abnuo* (ita respondit R. P. D. Marco) *assentiri, ut petitum indultum Orator obtineat, donec in obsequiis est Eminentissimi Gravina, et cum illis conditionibus. quibus eadem Sacra Congregatio indultum praefinire existimabit. Illud tantum repono duraturum hunc meum assensum, quousque munere Auditoris pro Regno Aragoniae apud S. Sedem ipse fungar in Sacrae Romanae Rotae Auditorio.*

Quaerendum igitur hic primum est, an petitum abessendi a residentia Indultum sit concedendum. At juris rigore inspecto nulla sane subest legitima Causa, cur, ut a Choro, et residentia absit, Oratori indulgeri possit; siquidem, nec infirmitas subest, nec urgens corporalis necessitas, nec Ecclesiae utilitas, quae causae pro legitima absentia probatae sunt *a Bonifacio VIII. in Cap. Unic. de Cleric. non residen. in sexto, et a Concilio Tridentino Sess. 24. Cap. 12. de Reformat.* et passim definivit Sacra haec Congregatio praesertim in *Veliterna 27. Maii* 1809.

Tenuitas vero Praebendae non liberat ab Onere Residentiae et Servitii, sed tantum viam sternit ad postulandam servitii reductionem. Videant tamen EE. PP. num attentis circumstantiis aliqua sit habenda aequitatis ratio. Nam Orator ex fructibus Capellaniae non percipit nisi scutata circiter quindecim, non detractis oneribus, itaut satis non sint ad neces-

cessaria suppeditanda alimenta. Nimium hinc durum videretur, ut residentiae onere gravaretur Beneficiatus, qui ex suo Beneficio victum consequi nequit, cum econtra justitiae, et aequitati consonum sit, ut qui Altari inservit de Altare vivere debeat. Hoc in casu Beneficiatum ad residentiam non teneri docuit *Cad. Petra ad Const. Apostolic. in Const. Innocent. XII. et Sacra Congregatio in Veliterna Indulti* 21. *Septembris* 1816.

Quo vero ad tempus (si placeat Emis Patribus indultum concedere) scitum est ex Sacri Tridentini Concilii decreto *Sess.* 24. *Cap.* 12. *de Reform.* non licere ultra tres menses ab Ecclesiis abesse. At in praesenti casu haud querit Orator, quod ex communi jure omnibus Beneficiatis conceditur, sed Apostolicam, ex peculiaribus circumstantiis dispensationem efflagitat. Nec certe brevis paucorum mensium circulus satis videretur Oratori, qui Panormi vitam ducit, et Emo Archiepiscopo suum praestat famulatum, ut posset deliberare, an ipsi magis expediat vel ad residentiam redire, vel adeo tenui Beneficio perpetuo valedicere.

Haec quoad absentiae indultum, illiusque tempus praefiniendum. At praetereundum non est, Oratorem ex lege fundationis teneri onera Beneficio adnexa adimplere in ipsa Ecclesia Collegiata S. Mariae in Via lata. De hisce oneribus, quae superius singillatim enumeravi haec habet Capitulum - *Dovendo il Cappellano adempire ad oblighi di Messe per suffragare le Anime de' Fondatori ad effetto, che per la propria assenza non ne manchi la importante sodisfazione, per ottenere il bramato Indulto converrebbe, che prendesse la facoltà di sodisfarvi per alium nella nostra suddetta Basilica Collegiata, giusta la volontà de' detti Pii Fondatori, il che desiderarebbesi dal Capitolo, in vista ancora dell'attuale scarsezza di Messe in detta Collegiata, o la facoltà di celebrare, e di sodisfare agli stessi Oblighi ovunque si troverà.*

Aut ergo indulgendum est Oratori, ut ubicumque moratur Missas juxta fundationem celebret, aut ipsi onus imponendum est, ut per alium durante absen-

sentia, injuncto satisfaciat oneri in Ecclesia designata. Primum suadere possent ipsius Oratoris indigentia, et tenuis Beneficii reditus; secundum magis conforme esset Fundatorum voluntati, quae quoad fieri potest servanda est, nec nisi ex justa, et necessaria causa est commutanda. Ita censuit Sacra Congregatio in *Neapolitana commutationis voluntatis* 7. *Februarii* 1733., *et in Tiburtina celebrationis Missarum* 10. *Septembris* 1735.

Dubia proponuntur

I. *An, et pro quo tempore sit concedendum Indultum absentiae in casu etc.*

II. *An concedenda sit Oratori facultas durante absentia satisfaciendi Missas a Fundatoribus praescriptas in quacumque Ecclesia; seu potius Missae per alium celebrandae sint in Ecclesia designata ad formam fundationis in casu etc.*

Ad I. Affirmatissime ad annum ad effectum deliberandi

Ad II. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Sess. 25. *Cap.* 3. *de Regul.* *Sess.* 25. *Cap.* 4. *de Reform.*

ROMANA LEGATI - Fabritius Liberati haeredem omnium Bonorum supremis Tabulis instituit Ven. Ecclesiam S. Mariae Pistorum Urbis. Praeter caetera Pia opera, quae ex suae haereditatis reditibus adimplenda jussit, in casu obitus cujusdam Terentii Francisci Terentio, quo casu favore haeredis redibant Loca Montium Triginta, legavit in Codicillo Rubrum unum Frumenti tradendum quotannis - *alli Padri della Madonnella delle Grazie a Porta Angelica*. -

Hoc legatum, quod facilioris praestationis causa conversum est in annuam summam scutorum decem, singulis annis solutum est, quousque die 18. Maii 1806. Emus ac Rmus Cardinalis Caracciolo Protector ex delegata Apostolica Auctoritate perpetuo suppressit *Hospitium Oblatorum Heremitarum S. Mariae*

riae Gratiarum prope Portam Angelicam; eique eadem Pontificia Auctoritate subrogavit *Fratres Ordinis de Poenitentia.*

Tunc intermissa est Legati praestatio, cujus solutionem urget Vicarius Generalis Ordinis Poenitentiae postulans ut a Sacra Congregatione declaretur - *fin dal punto del loro ingresso nella Chiesa delle Grazie i detti Padri* (Poenitentiae nimirum) *siccome incaricati vennero della soddisfazione de' pesi, così investiti del pieno possesso di tutte l'entrate, e lascite fatte al detto Luogo Pio delle Grazie.*

Rogata est Sententia Emi Protectoris Sodalitii Pistorum Auditis Confratribus, qui haec refert quoad jus percipiendi legatum - *Re igitur proposita Sodales iidem non id sibi quaerendum putarunt, vere ne translatum censeri in praedictos Patres debeat ejus legati percipiendi jus, an vero cessaverit extinctione Collegii Heremitarum, cui primum a pio Testatore Fabritio Liberati relictum fuerat. Hac enim de re judicium esse voluerunt EE. VV. quibus facile erit pro maxima, qua praestant, sapientia, Testatoris voluntatem simul, ac Pontificii Brevis Sententiam interpretari.*

Paucis sane verbis constat Testatoris voluntas, quaeque haud multa indiget interpretatione - *Item voglio, che morendo Terenzio Francesco Terenzio, a cui tornando li 30. Luoghi di Monte, che io li lascio al mio Erede, sia obligato il mio Erede mandare un Rubio di Pane alli Padri della Madonnella delle Grazie a Porta Angelica ogni Anno.* - Certa inde eruitur voluntas, ut verificata conditione mortis Terentii fieret locus perpetuae praestationi designatae quantitatis Frumenti. Siquidem verba - OGNI ANNO - perpetuitatem secumferre indicat naturalis sensus, et tradunt *Fusar. de substit. quaest.* 311. *n* 104. *et Rota in Recent. decis.* 282. *n.* 4. *part.* 17.

Posita autem Legati perpetuitate, utrum ex decreto Emi Caracciolo, qui Apostolicis facultatibus auctus Ecclesiam S. Mariae ad Portam Angelicam Fratribus de Poenitentia concessit, jus percipiendi Legatum translatum fuerit ad Oratores inquirendum est. Sane si quid certae Personae legatum fuerit, nequit ad alias transferri Personas, sed legatum ipsum accrescit haeredi, qui titulo universali omnia sibi addicit, de quibus peculiari voluntate defunctus minime disposuit. Ad Textum *in leg. Haered.* 32. *et*

leg.

leg. Qui ex duabus §. 1. de acquirend. haered. Leg. unica §. 10. Cod. de Caduc. tollend.

Haec autem sunt Verba Decreti Emi Caraccioli cui Sanctissimus preces a Fratribus Ordinis Poenitentiae oblatas remiserat cum facultatibus necessariis, et opportunis - *Nos iisdem, et aliis vivae suae vocis oraculo tributis facultatibus utendo eamdem Ecclesiam* (S. Mariae ad Portam Angelicam) *cum suis adjacentibus Aedibus, Horto, Domo, seu Hospitio, et pertinentiis universis dicto Fratruum Ordini in perpetuum concedimus, et assignamus* - Ac paulo inferius - *Quoniam vero pro praemissorum Onerum adimplemento etc. ac Ecclesia manutentione, et satisfactione onerum eidem inhaerentium stabiles, et satisfactione onerum eidem inhaerentium stabiles, et perpetui reditus requiruntur, et ex alia parte dicti Fratres paupertatem strictissimam ex eorum instituto observare teneantur, idcirco omnia, et singula Bona cujuscumque generis, et speciei tam mobilia, quam stabilia, ac semoventia, quae ad dictum extinctum Hospitium quomodolibet spectabant excepto tantum Horto etc. coetera autem Bona, ut supra, tamquam fundum separatum constituentes pro omnium, et singulorum praedictorum onerum adimplemento, et perpetua satisfactione adsignamus, atque adjudicamus* - .

At vero pro Sodalitio Pistorum dici posset ex suppressione Apostolica authoritate facta Hospitii Heremitarum *die* 18. *Maii* 1816. extinctum fuisse Legatum, et acquisitum statim fuisse jus favore ejusdem Sodalitii retinendi, seu accrescendi in haereditate defuncti Legantis rubrum frumenti quotannis Hospitio praestandum. *Ex Text. in leg. Unica §. in novissimo Cod. de Caduc. tollen.* Cum ergo postera die 19. ejusdem Mensis, et Anni Emus Caracciolo omnia, et singula Bona jam ad Oblatos Heremitas spectantia transtulit in Fratres de Poenitentia, isthaec concessio, utcumque generalibus, effrenatisque verbis concepta, nequeat comprehendere jus percipiendi legatum, quod jam extinctum erat, nequeat protendi ad id, super quo sodalitio Pistorum acquisitum jus erat. Numquam enim praesumitur, Summum Pontificem juri alteri quaesito derogare voluisse, et id concedere in alterius praejudicium, de quo nulla expressa facta fuerat mentio.

Verum si haec aliquid valerent juxta Juris Civilis Censu-

suram, non ita tamen locum sibi vindicare videntur juxta Canonicas leges, quae Supremam Summo Pontifici Auctoritatem super Legatis piis, Ecclesiarumque Bonis tribuunt. Potuit ergo, et voluit hoc etiam legatum transferre, et legittimum novo Ordini jus percipiendi legatum tribuere. Et nefas quidem esset de potestate quaestionem instituere. Voluit vero cum in primo decreto facta suppressione Hospitii Heremitarum *idem Sanctissimus ulteriores sibi provisiones desuper suscipiendas reservavit*; ac successiva die in altero decreto *omnia et singula Bona cujuscumque generis*, *et speciei* favore Fratruum de Poenitentia translata fuere. Quibus utrisque decretis nova superaccessit Pontificiae auctoritatis approbatio per litteras in forma Brevis diei 30. Septembris ejusdem anni 1806.

Si Emi Patres in eam concedent Sententiam, ut putent Oratoribus deberi legatum Frumenti; tunc inquirendum erit a quo tempore, et pro qua Summa facienda sit solutio. Postulant Oratores legati praestationem - *fin dal punto del loro ingresso nella Chiesa delle Grazie* - Ab illa enim die, scilicet sive Decreti transactionis diei 19. Aprilis 1806., sive Brevis Apostolici diei 30. Septembris ejusdem anni - *Siccome incaricati vennero della soddisfazione dei pesi così investiti del pieno possesso di tutte l'entrate, e lascite fatte al detto Luogo Pio delle Grazie* - Unde conflant Summam Scutorum Centum viginti, quae tamen diminuenda essent in Scutis decem, quia non duodecim, sed undecim tantum praeterlapsi sunt anni.

Hic tamen memoriae revocanda sunt verba, quibus conceptum fuit Legatum nimirum - *tornando trenta Luoghi di Monte, che io li lascio al mio Erede, sia obbligato il mio Erede mandare un Rubbio di Pane alli Padri delle Grazie* - Si placeat in hisce Locis Montium agnoscere fundum Legati, videant EE. Patres, an pro eo tempore, quo illorum fructuum solutio suspensa fuit, nihilominus sodalitium Pistorum cogi debeat ad solutionem Legati. Rursus haud praetereundum videtur tempus, quo durante inimica Urbis occupatione per fere quinque annos, non solum sodalitio soluti non fuerunt fructus Locorum Montium, sed etiam Fratres de Poeni-

nitentia communi naufragio e Sacris Aedibus ejecti fuere. Tandem quoad quantitatem haec habet in sua Informatione Emus Protector Ecclesiae Pistorum - *Interea hoc addo quod mihi jam antea expositum fuerat aequum videri, ut quoniam Archiconfraternitas plurium annorum spatio nihil percepit ex LL.MM. qui pars erant haereditariorum Fabritii Liberati bonorum, vicissim PP. Ordinis de Poenitentia (si ad eos quidem pristinum Heremitarum jus translatum censēri debeat) satis habeant, legati exactionem inchoari ab eo tempore, quo redintegratus eorum Ordo fuit, vel etiam ab eo, quo solvi caeperint fructus LL. MM. Contra vero eosdem PP. a me rogatos, num quid vellent de suis postulatis remittere, convocato in hanc rem Capitulo, mihi deinde significasse, de summa quoad praeteritum debita in scut. 120. contentos fore se scutis nonaginta, remissis aliis triginta* -.

Coeterum Sodales, qui, ut praemisi, haud solliciti sunt impugnare Oratoribus jus percipiendi Legatum, toti fuerunt in Comitiis, ut Sacrae Congregationi probarent, exhibito Calculo introitus, et exitus, Haereditatem Fabritii Liberati imparem esse onerum satisfactioni, quorum proinde postulant reductionem. Ita illorum quaerelas exponit laudatus Emus Proctector - *Illud tamen sodales aegre ferunt haereditatem Fabritii Liberati, cui administrandae praepositi sunt, tanta onerum mole oppressam cerni, ut sumptus in istorum implementum faciendi, quemadmodum ex calculis a Ratiocinatore subductis liquet, pro dimidio circiter excedant quidquid ex haereditariis Bonis percipitur. Quandoquidem ergo aequum non videtur, sodalitatem ad onera implenda cogi, supra qua reditus fuerant bonorum ab eo, qui onera praescripsit, relictorum: huic proinde inaequalitati remedium EE. VV. auctoritate afferendum Sodales iidem expectari ad se declararunt in Concilio, cujus acta dantur litt. B.; eamque in rem preces EE. VV. porrigendas mihi commendarunt, que una cum dictis Ratiocinatoris Calculis offeruntur litt. C. Vestrum ergo erit EE. PP. indicere, quae reddendo hac de re judicio praeparari conveniat: ego vero quas mihi partes EE. VV. imposuerint, eas me diligenter ut potero acturum profiteor* -.

Per-

Peremptoriam quidem exceptionem, saltem in parte, proponunt Sodales petitam ex defectu redituum. Etenim hoc in casu saepe saepius Sacra haec Congregatio reductionem indulsit, ac praesertim in *Anconitana Reductionis* 14. *Decembris* 1816. At si placeat EEmis Patribus hoc examen status activi, et passivi severiori reservare judicio, ut tutius respondere possint an, et super quibus oneribus facienda sit reductio, tunc duo notanda sunt, *primum* quod licet ex calculo Ratiocinatoris sodalitii annuus introitus sit scut. 404. 95. exitus vero Scut. 646. 25 $\frac{1}{2}$ unde colligitur defectus Scut. 241 33 $\frac{1}{2}$ attamen inter partitas exitus notantur Scuta biscentum quadragintaquinque pro Dotibus, quae ex Decreto Sacrae Visitationis - *non sono state più conferite dall' anno* 1797. - Si ergo haec summa detrahatur ex exitu, patet pro nunc evanescere defectum redituum *Alterum* est quod inter partitas introitus refertur Summa Scutor. 31 02 dal fruttato dei due quinti di Luoghi di Monte 26 $\frac{51}{100}$. Si ergo haec Loca Montium habenda sunt pro Fundo Legati, quod postulant Oratores, exuberans praesto est fundus pro solutione, cum scuta tantum decem in singulos annos praestanda sint.

Dubia erunt

I. *An, et a quo tempore, et pro qua summa sit locus solutioni Legati, de quo agitur, in casu etc.*

II. *An, et quomodo sit locus reductioni onerum, in casu etc.*

Non proposita cum sequentibus

Sess. 14 Cap. 7. de Reform.

LYCIEN IRREGULARITATIS. Praeterito anno 1817. in Congregatione diei 26. Aprilis, postulante Sacerdote Leonardo Bianco ex Oppido Sguinzani Lycien. Dioecesis dispensationem ab irregularitate, absolutionem a Censuris, et rehabilitationem ad exercitium S. Presbyteratus Ordinis, propositum fuit dubium - *An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione a Censuris, et dispensatione ab irregularitate, et rehabilitatione, in casu etc.* - Eminentissimi Patres responsum dedere - *Affirmative quoad absolutionem a Censuris tantum, imposita gravi paenitentia, in reliquis negative* - quam Sacrae Congregationis Resolutionem Sanctissimus Dominus Noster probavit Rescripto diei 30. ejusdem mensis, et anni in haec verba - *Sanctissimus Resolutionem Sacrae Congregationis quoad Oratoris absolutionem tantum benigne approbavit, et respective confirmavit.*

Transacto anno, scilicet in proxime praeterito mense Aprili novas obtulit preces Sacerdos Bianco, super quibus iterum exquisita est Ordinarii sententia, et ut refert; *Resultantibus ex Rescripto diei 26. Aprilis 1817. de peracta poenitentia, et constanti emendatione, et utrum Oratoris rehabilitatio Scandalum Populo inferre queat* Vicarius Capitularis, sede illa Episcopali adhuc vacante, postquam minutatim retulit, quae biennio ante exposuerat Vicarius Apostolicus, haec addit, ut postulatis in nova informatione satisfaciat.

Nunc Orator me certum reddit, atque admonet, se tandem impositae poenae satisfecisse. Ejus vitae habitum, moresque passim quaesivi quibus investigatis reperio, Sacerdotem Bianco modo vitam ducere non alienam a bonis moribus usque eo, ut aliis lucem profert etiam bene vivendi, idque pleno jure testatur Quintiani Decurionum caetus.

Vicarius Apostolicus autem non abs re verba fecit de apposito furto super dicto Sacerdoti Bianco, sed errore laboravit, quoad falsum Rescriptum, namque hoc signatur non jam quinto nonas Iulias anno 1774. at die decima Kalendas Julii anni supradict.

dicti. Quemadmodum tunc temporis mos erat, a Neapolis Regimine concessum fuit exequatur tali Rescripto, scilicet idus Julii ejusdem anni. Minime vero patet ulla memoria denunciatio proposita ab Hortentio Passante, quae ad hujus Rescripti falsum nomen pertineret. Qui detulit id, erat, atque est conjux Sororis Presbyteri Bianco; unde hoc consanguinitatis vinculo ostendit falsum esse, atque odio effectum, quidquid ille deferre voluit. Re quidem vera Civilis dissentio vexavit plures annos tam Hortentium Passante, quam Sacerdotem Bianco fratresque suos. Severam, ac postremam Sententiam, quae Passantem damnabat scripsit Civile Tribunal hujus Provinciae 13. *Kalendas Februarii* 1815., *neque me fugit ejus exequutio.*

Deinde Sacerdos Bianco asseveranter mihi dixit, Vicarium Apostolicum olim admiratum fuisse, quum prospexerit, quod ille se fecisset falsitatis auctorem; sed contra non cognovisset haec, nisi longo temporis intervallo; postquam a Passante falsitas patrata fuerit. Liquido constat, ac desumitur actibus constructis, ut ad Ordines Sacros promoveretur Presbyter Bianco, quod, quamvis hujus Cathedralis Canonicorum conventus assentiri noluerit Sacerdotio supradicti Bianco; tamen hoc negavit, propterea quod dumtaxat animadvertebat honoris Causa per magnam ideam, atque opinionem, quod habeatur de Antistite mortuo, qui semper procrastinarat in promovendo illum ad Ordines Sacros; neque id egerunt Canonici aliqua precipua causa impulsi.

Hinc de falsis Criminibus Sacerdoti Bianco inustis ne frustra plura verba faciam, unde censurarum ligamine solutus fuit; postquam respondere non omisi petitionibus Eminentissimae ac Reverendissimae Sapientiae tunc, quoad spectat praesentem vitae Oratoris optimum habitum; necesse etiam duco postremae rogationi tuae satisfacere utrum si Presbyter ipse ponatur in auctoritate exequendi Divina Officia, id in Populi oculos, animumque incidere posset, nec ne. Hoc nequaquam accidere dico; immo contraria ratione vexato Sacerdote Bianco, nimirum ut ille a Divinis peragendis discedat, pro-

cul

cul dubiò sentio permansuram esse Populi suspicionem, ac exprobationem circa supradicti Presbyteri mores; proindeque Orator Ecclesiae fructibus gaudere, ac frui vetaretur, quod non permittitur ab ejus egestate, quae illud ad erogandum panem impellens vitam ducendi gratia, afficit, ut populo non eripiatur ejus facinoris memoria. Quot, et quae mala vero inopiae fonte non profluerent? Pietas, qua Ecclesia utitur praeferenda est oculis suis, ut venire largitio, ac plena auctoritas faciendi Sacra tribuatur denique misero Sacerdoti Bianco, qui prope septuaginta annos natus, cujusmodi aetatis tempus agit, quo rite perspici possint praeteritae vitae crimina, ad quae neque redire, neque cogitare permittit grave annorum pondus. Contra, ut opinor infirma sen. tentia mea, sola hominis nex, quae voluntate perficitur, causa esse potest, ut Praesbyter aliquis impediatur, quominus Officia Divina exequatur.

Vestrum nunc erit Eminentissimi Patres respondere Dubio

An sit standum vel recedendum in ultima parte a decisis, in casu etc.

CIVITATIS CASTELLANAE. Proxime praeterito saeculo unitarum Dioecesium Civitatis Castellanae et Hortae tunc temporis Episcopus, qui erat Ven. Servus Dei Joannes Franciscus Tenderini optimum ducens et ad suorum Clericorum utilitatem maxime idoneum in Civitate Castellana Seminarium institui quamquam et Hortae jam antea aliud foret institutum decretis Tridentinorum Patrum, et Concilii Romani, cui ille interfuerat inhaerens, ut illud etiam in Civitate Castellana erigeretur curavit, quia tamen suam jam existenti Horte Pastoralem curam impendere neglexerit.

Sess. 23. Cap. 18. de Reform.

Hinc Sacram particularem Congregationem pro Seminariis a S. Me. Benedicto XIII. institutam adiit, quae die 22. Novembris 1729 ita rescripsit - *Sacra Congregatio particularis a Sanctissimo Domino Nostro deputata super Seminariis quoad Taxam pro Diaecesi Hortana illam benigne approbavit, et confir-*

firmavit ; quo vero ad erectionem Seminarii in Civitate Castellana rescripsit, quod Episcopus utatur jure suo, et praevia itidem approbatione Taxae pro dicta Diaecesi Civitatis Castellanae illam interim exigi, ac in fabricam ejusdem Seminarii erogari mandavit ; ulterius eadem Sacra Congregatio censuit uniendos esse dicto Seminario reditus, etiam in praeteritam non exactos Capellae Sanctissimi Crucifixi juxta Valleranum, supportatis tamen illius oneribus.

Tunc igitur Episcopus et jure suo utens novum erexit Seminarium, et praedictis auctus facultatibus eidem perpetuo addixit Bona spectantia ad Capellam Sanctissimi Crucifixi, quae audit - *di Cavacignale* - eaque Seminarii Deputati ejusdemque Curatoribus administranda tradidit, imposita conditione adimplendi omnia, ac singula Ecclesiae onera juxta Sacrae Congregationis Rescriptum, ut ita reditus, qui inde superflui essent in Seminarii, studiosaeque Juventutis utilitatem erogarentur.

Rebus ita compositis anno 1730., iisque ab eo tempore hoc ordine fere usque adhuc pacifice gestis, ne verbum quidem habitum est contra hanc Sacræ Congregationis Diœcesanique Episcopi dispositionem. At anno 1816. plurimæ excitatæ sunt turbæ, plurimæque hinc allatæ quærelæ nomine etiam Populi Valleranensis ab Aloysio Troncarellio Gonfalonerio.

Conqueruntur Valleranenses, quod ex Administratorum negligentia Ecclesiæ illique adnexæ domus fabrica ad ruinam properet, Capella sit sacris supellectilibus, sacrisque indumentis vacua, quod non amplius onera juxta Sacræ Congregationis Decretum sustineantur; quodque Bonorum Administratio contra justitiæ leges, propriis Civibus exclusis, semper fuerit Alienigensis demandata.

Postulant proinde ut Bona prædictæ Ecclesiæ, Bonorumque reditus superflui, non amplius Seminario, quod minime necessarium, immo prorsus inutile ob aliud jam Hortæ præexistens, quodque jamdiu clausum esse dicunt, sed potius Xenodochio Vallerani applicentur, eorumque regendorum munus Alienigenis exclu-

clusis, ejusdem Xenodochii Administratoribus tribuatur: quod magis congruum fore existimant ad bonum publicum promovendum perpensa Xenodochii egestate, ejusque utilitate pro alendis, sublevandis, curandisque Pauperibus infirmis; interim vero petunt, ut necessitati reparationum consulatur, et ad Populi commodum, divinumque cultum Capellani, ut antiquitus Capellæ SSmi Crucifixi diu, noctuque inserviebant restituantur.

Hisce ad Sacram hanc Congregationem delatis Rescriptum Episcopo de more est pro Informatione, et Voto super Omnibus. Auditis tum Administratore Bonorum, tum Deputatis Seminarii. Horum conquestionibus Valleranensis Populi responsiones in scriptis transmisit Episcopus, ex quibus eruitur, usque ad annum 1812. in Capella SSmi Crucifixi semper asservatum fuisse SSmum Eucaristiæ Sacramentum, duos fuisse Capellanos continuo eidem Capellæ inservientes, ut ob publicarum rerum vicissitudines diminutis reditibus ita ut impares evaserint supportandis oneribus Episcopus in Sacra Visitatione expensarum moderationem indixit - *Di fatti*, ita referunt, *si tolse il Cappellano detto di Residenza, che aveva scudi 66. annui, restando l'altro detto Festivo con la propina di scudi 25. annui. Si tolse il Sagrestano, che portava una spesa per l'Oglio non piccola, tanto più che si trattava di una Chiesa rurale distante, ed in mezzo ad una macchia, che nei giorni feriali si tiene sempre chiusa e si deputarono due Cappellani ambedue Confessori con scudi 30. per cadauno all'anno, che dovessero dire la Messa, e confessare in tutte le Domeniche, e Feste* -.

Nec tamen satis videtur hæc expensarum moderatio; quia ex statu Activo, et Passivo Ecclesiæ SSmi Crucifixi apparet, annum exitum superare reditum, itaut dispunctis rationibus ad totum annum 1816 exurgat ex eo debitum scutorum 83. 14. quod Administrator contigisse refert ob tenuem quatuor ab hinc annis castanearum fructum.

Quo vero ad statum Fabricæ, et Sacras supellectiles refert Administrator - *Per il restauro della Chiesa, ed Appartamenti annessi spesi furono scudi Tredici, e baj.*

baj. 50. *nel* 1813. *e nel* 1815. *altri scudi Dodici con l'obligo del mantenimento per anni due senza andare a percorrere gli anni più addietro . Essa è fornita di Paramenti a sufficienza avendo cinque Pianete , tre Camici , ed altre biancherie* - Nil tamen exhibent nec Episcopus , nec Administrator de impensa ad Fabricæ instaurationem necessaria per peritum ex Officio , ut Sacra Congregatio postulaverat.

De Seminario autem , quod adhuc clausum est proxime reintegrando hæc habent ejusdem Deputati - *Il Seminario si aprì pochi anni sono , e stà per aprirsi se non in quest'anno nel seguente almeno . . . . , ed è stato chiuso , perchè le diverse Truppe . che nei passati calamitosissimi tempi per forza vi furono alloggiate hanno guastate Porte , Fenestre , e commodi tutti . Si è restaurato , e benchè vi sia occorsa una considerevole somma dalle rendite del SSmo Crocifisso dal* 1800. *a tutto il* 1816. *soli scudi* 18. *si sono avuti* - .

Ex statu denique Activo, et Passivo Xenodochii Vallerani ex proxime præterito quinquennio eruto colligitur , annuos reditus excedere exitum in scutis sexdecim , deque eo ita se habet prædictus Bonorum SSmi Crucifixi Administrator - *L'entrata di questo luogo Pio sembra sufficiente alla manutenzione degl' Infermi , trattandosi di un piccolo Paese , e di Spedale più di trasporto al vicino Spedale di Viterbo , che di cura da farsi in Vallerano* - .

Hæc est Factorum series , ex quibus eruitur quid Gonfalonerius in suæ petitionis præsidium exponat , quid contra illam Episcopus deducat. Porro nulla quæstio moveri potest de legitima Seminarii Civitatis Castellanæ erectione juxta *Sacri Concilii Tridentini Decreta Sess.* 23. *Cap.* 18. *de Reform.* quorum Præcepto minime satisfaciunt Episcopi , qui duas habent æque principaliter unitas Diœceses , nisi in unaquaque Civitate pro modo facultatum ; et Diœcesium amplitudine Seminarium edificari curent *Lanfredin.. Respos.. Eccles. fere per totum* ; ac præterea erectionem istam Sacra Particularis Congregatio Auctoritate Apostolica comprobavit rescribens Episcopo *utatur jure suo*..

Quo vero ad applicationem redituum , de quibus est quæstio , si Episcopus suo ordinario jure ad formam

Sacri Concilii Tridentini *Sess.* 23. *cap.* 18. *de Reform.* poterat ad unionem procedere eo vel magis cum id Civitatis Castellanæ, et Hortæ Episcopo a Sacra Congregatione particulari super Seminariis erecta fuit specialiter concessum.

At vero Bona ad Capellam SSmi Crucifixi spectantia unita fuere Seminario erigendo sub expressa conditione, ut omnia onera adimplerentur. Non enim videtur cessa eidem fuisse ipsa Bona, sed tantum id, qua impletis oneribus superfuisset, Si ergo hæc onera amplius non adimplentur, ut retroactis annis conditio non verificatur, ac proinde cessare debeat conditionalis concessio ad regulam de qua Rota *in Regien. Beneficii* 8. *Junii* 1760. §. 8. *coram Cornelio*, *et in Leodien. super declaratoria* 3. *Julii* 1777. §. 6. *coram Litta.*

At animadvertendum est post legitime factam Bonorum unionem jus quæsitum a Seminario destrui non posse ex culpa, vel etiam a dolo Administratorum, quorum gestioni remedium afferre tenetur Episcopus, uti Sacra Congregatio definivit *in Montis Alti* 25. *Januarii* 1755. Quin etiam eo magis sarctum, tectumque manere debet jus Seminarii si procul ad Administratorum culpa, necessitate impellente, ipsoque Episcopo in actu Sacræ Visitationis, auctorante factum sit, ut conditio non impleretur non ex facto illius, qui adimplere tenebatur, sed facto alieno, rerum scilicet ob vicissitudines, et supervenientes calamitates temporum, proindeque conditio pro adimpleta haberi debet, uti habet *Fagnanus in* 3. *Decret. cap. Porrectum de Regularibus* 58.

Dubia erunt

I. *An servanda sit applicatio Bonorum, de quibus agitur, favore Seminarii Civitatis Castellanae in casu etc.* et quatenus Nagative.

II. *An ea applicari debeant favore Xenodochii Vellerani in casu etc.*

III. *An; et quomodo sit providendum Divino cultui, reparationi Fabricae, et Populi commodo in Ecclesia SSmi Crucifixi in casu etc.*

Die Sabathi 8. Augusti 1818. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua præter alia proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

CIVITATIS CASTELLI CONCORDIAE. Quae a remotis etiam temporibus excitatae, et saepe saepius instauratae fuerant dissessiones inter Capitulum, et Parochos Urbanos Civitatis Castelli quoad praeeminentias, et jus tumulandi Cadavera, eas omnes amica conciliavit concordia a Vigilantissimo Episcopo communi partium placito confirmata. De hac concordia, ut in more positum est, rogavi Eminentissimum ac Reverendissimum D. Ercolani, ut re inspecta Votum suum dignaretur aperire, priusquam S. hujus Congregationis examini subjiceretur. Habent EE. Patres in elucubratissimo praelaudati Eminentissimi Voto quidquid ad rectum ferendum judicium necessarium est; cumque in eo nihil desiderandum supersit, Votum ipsum ad litteram excribam. *Sess. 25. Cap. 13. de Reform.*

„ Jam a remotis temporibus Capitulum, et Canoni-
„ ci Ecclesiae Cathedralis Tiferni, ac Parochi Ur-
„ bani ejusdem Civitatis tum de jure tumulandi
„ advenas, vagos, et puellas educationis gratia in
„ Coenobiis degentes, tum de praeeminentiis in Sa-
„ cris muneribus obeundis inter se disputarunt. Hinc
„ plurimae ortae sunt dissentiones, hinc jurgia,
„ hinc quandoque enata convicia non sine Ec-
„ clesiasticae dignitatis detrimento, et Fidelium ad-
„ miratione.

„ Ad haec componenda hodierni Canonici, et Pa-

„ rochi praefati communi sententia de ineunda „ concordia cogitarunt: atque haec inita sub au„ spiciis religiosissimi eorum Antistitis, ut Aposto„ lica Auctoritate firmaretur, postularunt.
„ Septem autem capitibus haec concordia constat.
„ Primo quidem ratum habetur, quod jamdiu ex „ communi consensu constitutum, publicoque In„ strumento sancitum fuerat, nempe - *che nelle* „ *Processioni delle Rogazioni, allorquando il Ve-* „ *scovo col Capitolo interviene nelle Chiese Paro-* „ *chiali, una volta gli presenti l'Aspersorio la pri-* „ *ma Dignità del Capitolo, e l'altra il Rettore della* „ *propria Chiesa.*
„ Secundum statuit Sacerdotes, Clericos, Religiosos, „ et quos vocant Eremitas, si in Civitate Coeno„ bio careant in Cathedrali Templo esse human„ dos; modo ipsi Sepulturae locum non designa„ verint.
„ Tertio capite sartum, tectumque servatur jus, quo „ gaudet Ecclesia Cathedralis, tumulandi eos om„ nes, qui proxime Choro inserviunt, scilicet - *il* „ *Maestro di Cappella, Organista, Cantori, e So-* „ *natori con fisso salario annuo, pe'quali esiste la* „ *consuetudine d'intervenire tutto il Capitolo, allor-* „ *chè si portano alla Chiesa, intendendosi esclusi* „ *tutti gli avventizj.*
„ Quarto item capite jus Cathedrali conservatur *quar-* „ *tam* funeris a suis Parochialibus exigendi, si ali„ bi humari elegerint; quin tamen illa ab aliis „ Parochis exigi possit, si forte, qui eorum Pa„ raeciis sunt addicti, in Cathedrali Ecclesia volue„ rint tumulari.
„ Caput quintum est de peregrinis, ac vagis, quos in „ Cathedrali sepeliendos esse decernitur, si men„ se nondum completo in Civitate obierint. Si autem „ mense elapso, in Templo Paraeciae, intra cu„ jus fines obierint, tumulandos esse statuitur.
„ Sextum Caput Dioecesanos, Milites vulgo prae„ sidiarios, publicis officiis addictos, juvenes arti„ bus, aut scientiis operam navantes, puellas in „ Monasteriis vitam agentes, et advenas quoscum„ que respicit, hosque sepeliendos in illius Parae-

„ ciae

„ ciae Templo esse constituitur, in qua e vivis di-
„ scesserint; ea tamen lege, ut Parochi quotannis
„ stato die, videlicet 31. Decembris cerae vulgo
„ *libram* unam Cathedrali debeant suppeditare.

„ Postremo tandem concordiam hujusmodi nonnisi
„ Apostolica accedente auctoritate perfici posse de-
„ claratur

„ Sacra haec Congregatio antequam quidquam de illa
„ decerneret summa sapientia Episcopo mandavit,
„ ut quid super singulis rebus Synodales Constitutio-
„ nes sancirent, quid consuetudo statueret, significa-
„ ret suamque sententiam aperiret. Officio suo functus
„ est Episcopus, et nedum concordiam probavit,
„ summisque laudibus extulit, sed etiam, ut Apo-
„ stolica Auctoritate firmaretur, suppliciter petiit.

„ Porro cum Eminentissimi Patres mihi demandave-
„ rint, ut hujusmodi concordia perpensa meum
„ qualecumque de ea suffragium panderem, rem
„ omnem unico dubio confici posse arbitror - *An*
„ *Concordia sit confirmanda, vel infirmrnda in ca-*
„ *su etc.*

„ Existimo autem respondendum esse affirmative ad
„ primam partem juxta modum in Voto expri-
„ mendum, et negative ad secundam, et ad Do-
„ minum Secretarium cum Sanctissimo.

„ Antequam ad singula accedam, quae vel adpro-
„ banda, vel corrigenda esse judico, notandum
„ censeo concordiam de re dubia, et controversa,
„ sive lite incerta, et nondum finita ineundam
„ esse, et non gratuitam, sed onerosam esse in-
„ ter partes conventionem; ut *ex Leg. Qui tran-*
„ *sigit* 1. *ff. de transactionibus*, *et Leg. Praeses*
„ 12. *L. transactio* 38., *et Leg. jubemus* 43. *cod.*
„ *eod.*, firmavitque Sacra Congregatio *in Ariminen.*
„ 21. *Aprilis* 1794. Porro de re dubia, et incer-
„ ta in casu agi liquido constat. Neque officit nul-
„ lam coram Judicibus actam fuisse litem. Ad con-
„ cordiam enim ineundam futurae litis timor sa-
„ tis est, ceu Textus habet in *Leg. Cum Te.* 2.
„ *cod. de Transactionibus*. Ad haec in concordia,
„ de qua nobis sermo esse debet, aliquid ex utra-

„ que

„ que parte datur, aliquid remittitur, ut ex infra
„ dicendis luculentissime apparebit.

„ His autem praemissis concordia, de qua loquimur
„ digna sane mihi videtur, quae Apostolica Aucto-
„ ritate roboretur. Et sane ea disceptationibus, jur-
„ giis, conviciis Ecclesiastico Ministerio indignis
„ viam praecludit, pacem, et unitatem Cleri fir-
„ mat, meritoque Episcopi calculo probatur. Sed
„ rem penitius inspiciamus singula ejusdem con-
„ cordiae capita recolendo. Quoniam vero Sacra
„ Congregatio de Synodalium Constitutionum de-
„ cretis, et de consuetudine certior praecipue fie-
„ ri voluit, cum his illa conferamus.

„ De primo concordiae capite verba facere inane pror-
„ sus judico. Nihil enim novi ab ipso statuitur,
„ sed quod pluribus ab hinc annis communi pla-
„ cito conventum fuerat confirmatur.

„ A secundo itaque exordiamur, quod constituit Sa-
„ cerdotes, Clericos, Religiosos, et quos dicunt
„ Eremitas, si in Civitate Coenobio careant, in
„ Cathedrali templo esse humandos; modo sepul-
„ tura non electa decesserint. Silet hac super re
„ consuetudo, de qua loquitur authenticum Testi-
„ monium, quod Episcopus Sacrae Congregationi
„ transmisit; silent etiam Synodales constitutiones.
„ At vero quod de Sacerdotibus, et Clericis hoc
„ capite sancitur, consonat juri communi apud
„ Ferrarium, ubi *lh. 7. tit. 5. num* 58. si legitur
„ *Clerici, et Presbyteri decedentes non electa se-*
„ *pultura, sepeliendi sunt in Cathedrali, si ibi adsit*
„ *sepultura propria separata pro Presbyteris, et*
„ *Clericis etiam non attento sepulcro majorum. Sa-*
„ *cra Congregatio Episcoporum in Forosempronien.*
„ I *Septembris* 1690. Firmant juris Canonici pe-
„ riti apud eumdem. *Monacell. tom.* 1. *tit.* 2. *for-*
mul. 4. *num.* 17. *Samuel de sepult. disp.* 5 *tract.*
I. *controv.* 9. *conclus.* 10. *num.* 30. *Nicol. lucub.*
Canonic. lib. 4. *tit.* 15. *de sep. num.* 15. *Matthaeucc.*
Official. Curiae, aliique non pauci. Verum illud
„ praetereundum non est generico Sacerdotum, et
„ Clericorum nomine eos etiam intelligi posse, qui
„ Canonica aliqua Praebenda, vel Beneficio, ut
„ ajunt,

„ ajunt, residentiali potiuntur, de quibus haec „ habent Constitutiones Synodales - *Canonici, et* „ *Beneficiati de residentia extra Paraeciam sunt tu-* „ *mulandi, etiam privative quoad sepulchra majo-* „ *rum, et sepulturae infodiendi propria in Ecclesia,* „ *cui sunt adscripti; dummodo sepulchrum extet* „ *pro Presbyteris, et Clericis separatum* - Syno- „ dalibus autem constitutionibus communis juris „ peritorum sententia favet. Ita *Barbos. in cap. Nos* „ *instituta num. 4. de sepult. Pirrhing. lib. 3. decre-* „ *tal. tit. 25. num. 9. Sannig. ibid. num. 8. Reiffen-* „ *stuel. ibid. num. 24.*, aliique, quos refert *Ferra-* „ *rius loc. cit. num. 71.* Quamobrem secundo huic „ capiti haec verba addenda censerem - et dummo- „ do alicujus Collegiatae Ecclesiae Canonici non „ sint, neque gaudeant Beneficio aliquo, quod de „ residentia dicunt, quibus in casibus in propria „ Ecclesia, cui sunt addicti, erunt sepulturae man- „ dandi.-

„ Tertio capiti neque Synodales Constitutiones repu- „ gnant, neque contraria obstat consuetudo.

„ Ad quartum igitur Caput accedamus, quo jus „ Cathedrali Ecclesiae servatur *quartam* funeris a suis „ Parochialibus exigendi, si humari alibi elegerint; „ quin tamen illa ab aliis Parochis exigi possit, si „ forte qui eorum Paraeciis sunt subjecti, in Ca- „ thedrali Ecclesia voluerint tumulari. De prima „ hujus capitis parte nulla oriri potest dubitatio. „ At altera magnam praesefert difficultatem. Et pri- „ mo quidem Synodales Constitutiones ipsi aperte „ adversantur. Ita enim *Art. 3. de funeribus cap.* „ 17. statuunt. *Quoniam vero Parochi in juvan-* „ *dis, curandisque commissis sibi Fidelibus pluri-* „ *mum operae, studiique contulerint, aequum est,* „ *aliquam ab ipsis portionem accipiant, qua pos-* „ *sint ali, et facilius onera Parochialia subire.* „ *Quamobrem quidquid pro* QUARTA *funeris legitima* „ *consuetudine inductum, receptumque est, id Pa-* „ *rochis religiose tribuatur quacumque in Ecclesia,* „ *etiam exemptorum Regularium, funera persol-* „ *vantur* - Quin aperte etiam contradicit Concilium „ Tridentinum *Sess. 25. cap. 13.* ubi quarta, quae

„ fu-

„ funeralium dicitur Ecclesiae Parochiali aeque ac „ Cathedrali persolvendam esse decernit. Denique „ contrarium eruitur *ex Cap. Nos instituta* 1. *cap. Relatum 2. cap. de his 4.*, *et cap. Cum super 8. de sep. et Clementin. Dudum de sepulturis*. Cum „ igitur haec Parochorum jura certa caeteroquin „ sint, neque aliquid vicissim remittat, vel con„ cedat Capitulum, quo illa compensentur, expedi„ re minime videtur, quod a Parochis cedantur, „ adeoque secundam hanc capitis quarti partem in„ firmandam esse censerem.

„ Ad Caput quintum quod attinet, quamvis Syno„ dales Constitutiones disponant - *Peregrinorum Pa„ rochum esse, qui in Cathedrali curam gerit ani„ marum, si intra morae suae mensem in Civita„ te obierint* -; illi tamen adversari consuetudo vi„ detur. Hinc ut quaestiones dirimantur integrum „ caput adprobandum extimarem: quo quidem „ dem capite, si aliquantisper Cathedralis Eccle„ sia a suo jure decedit, compensationem habet ex „ aliis concordiae capitibus.

„ Superest nunc, ut de sexto concordiae capite aga„ mus, cui quidem Synodales Constitutiones mi„ nime repugnant; imo favent evidenter. Si quid „ autem remittit Cathedralis Ecclesia, rependitur „ a Parochis. Onus quippe illis imponitur, ut quo„ tannis cerae vulgo *libram* unam Cathedrali sup„ peditent.

„ Quae cum ita sint concludendum putarem confir„ mandam esse concordiam, dempta tamen secun„ da quarti capitis parte, et additis articulo secun„ do verbis, de quibus supra. Ita enim quaestio„ nes tolli, et aliquid utrinque remissum, acce„ ptumque video.

Dubium erit.

An concordia sit confirmanda, vel infirmanda in casu etc.

Affirmative ad I. partem juxta modum; negative ad II. modus autem est, ut in secundo capite addatur conditio *quatenus adsit sepultura propria pro presbyteris*, *et Clericis*; et in capite quarto loco verborum *quin tamen* substituantur verba *et aeque*, et ad D. Secretarium cum SSmo.

VIN-

VINTIMILIEN DISMEMBRATIONIS - Paroecia, quae est in Oppido *Pennae* Vintimiliensis Dioecesis sub invocatione S. Marci plures complectitur Pagos vulgo *Massagi* - in declivio Appennini Montis positos, quorum nomina *Olivetta* - *Bossarè* - *Cianti* - *Migrane* - *Torre* - *S. Michele* - *Ginestra* - *Rivoira* - et in quibus quingentum capita numerantur. *Sess. 21. Cap. 4. de Reform.*

Quod ex locorum distantia, et ex aspera, ac difficili via, hyberno praesertim tempore Pagorum Incolae necessariis carerent spiritualibus subsidiis, veteris querela fuit, quam Anno 1767. Vicarius Capitularis, Sede Episcopali vacante, excepit, deputato Capellano in Ecclesia S. Antonio Patavino *Olivettae* dicata, cui facultatem dedit - *di fare tutte le funzioni ad uso delle Parrochie*, *e con l'incarico allo stesso di amministrare ai Popoli de sudetti Villaggi tutti i Sagramenti* - jussitque ut a Parocho S. Marci huic Capellano quotannis solverentur librae biscentum Januensis monetae, quas dicunt - *fuori Banco* - ipso Parocho *opponente*, et *appellante*. Sed sequenti Anno 1768. novus Episcopus de consensu Partium sententiam tulit, qua praestationem librarum Biscentum a Parocho S. Marci faciendam Capellano pro tempore ab ipso nominando ad libras Centum quinquaginta redegit - *habito respectu ad alias Libras 150. circiter, ad quas eaedem Regiones per capitulationem sese obligarunt eidem Capellano solvendas*. -

Res ita processerunt usque ad annum 1799. quo plurima jurgia, odia, atque dissidia exarserunt inter Pennensem Populum, et Pagorum Incolas, inter Parochum, et Capellanum, quorum semina adhuc extincta non esse testatur praesens controversia. Eo tunc tempore facta est *Olivettae* erectio Fontis Baptismalis, et Coemeterii. Interea per plures Annos vacavit Paroecia S. Marci, ejusque Administratio concredita fuit Oeconomo, donec de Mense Aprili superioris Anni 1817. per Apostolicam Provisionem Parochus institutus est Sacerdos Aloysius Trucchi.

Paucis vix interjectis Mensibus Deputati Pagorum preces Sanctissimo obtulerunt postulantes - *volersi degnare dichiarare Parochiale la Chiesa di S. Antonio di Padova con le analoghe onorificenze, e distinzioni, obbligandosi fare, ed assegnare al Paroco eligendo la solita dovuta congrua* - Vicarius Capitularis, cujus rogata est Sententia, auditis Partibus, omnia quae a Deputatis Pagorum exponebantur de distantia, et difficili via ab Ecclesia Parochiali, et de necessitate administrandi Sacramenta in Ecclesia S. Antonii Patavini probavit, putans per deputationem Vicarii Curati posse suppleri.

Ex Allegationibus hinc inde distributis habent EE. PP. rationum momenta, quibus tum Parochus, tum Incolae Pagorum inter sese disputant sub infrascripta *trium Dubiorum* formula. Quoad *primum Dubium*, in quo quaeritur de facienda, nec ne Dismembratione, negat Parochus huic locum esse posse ob quamlibet distantiam ab Ecclesia Parrochiali, vel quamlibet Viarum difficultatem, sed eo tantum in casu, in quo non nisi cum *magno incomodo* ad Parochialem Ecclesiam pateat accessus, ut tradunt *Lauren. Jur. Eccles. lib. 3. tit. 8. quaest.* 994. *num. 2. Fagnan. in cap. Ad Audientiam de Eccles. aedifican. num.* 18. *et Reiffenstuel. Jar. Can. lib.* 3. *tit.* 4. *num.* 13.

Hoc magnum incomodum excluditur a Testibus, qui deponunt unius tantum horae itinere posse Incolas Pagorum ad Parochialem Ecclesiam accedere; quique etiam asserunt - *non abbiamo inteso dire, che in alcun tempo gli Abitanti dell' Olivetta, e delle altre Comarche siano stati obligati a cagione de' tempi cattivi, e strade differire il Battesimo de' Fanciulli, e la Sepoltura de' Cadaveri* - Quin etiam ex hisce Testium depositionibus inverosimilia redduntur, imo excluduntur mala, quae Vicarius Capitularis obvenisse enumerat ex distantia, et asperitate Viarum, quae hyemali tempore nive, ventis, glacieque plurimum dominantur; nimirum quòd - *nonnulla hominum, mulierumque Cadavera, antequam ad Ecclesiam Parochialem deferri potuissent, insepulta per tres, et quatuor dies aliquando remanse-*

serunt - quodque - *nonnulli Infantes in eorum delatione ad Matricem pro susceptione Baptismi ob praefatas causas in via perierunt sine sacro regenerationis lavacro* -

Affert Parochus in suae oppositionis praesidium exemplum petitum a Resolutione hujus Sacrae Congregationis in *Novarien. Dismembrationis diei 9. Maii* 1749. in qua licet eadem ab Episcopo Informante enumerarentur incomoda ad suadendam dismembrationis necessitatem, tamen *Negativum* sub eadem die prodiit responsum.

Eo vel magis haec amplectenda videtur Sententia. quia cum Dismembratio sit remedium subsidiarium, et extraordinarium, ei favendum non est, quoad usque *ordinario modo*, scilicet per destinationem Capellani a Parocho deputandi necessariae Sacramentorum administrationi suppleri queat, quemadmodum respondit Rota *Decis.* 34. *num.* 10. *coram Falconerio in Miscellan. et Sacra Congregatio in Cassanen. Dismembrationis* 17. *Decembris* 1740. *et in Aquilana Dismembratianis* 8. *Februarii* 1744. Porro adest jam plurimis ab hinc annis Capellanus in Pago *Olivettae*, qui a Parocho Pennae stipendium habet. Frustra igitur petunt Pagorum Incolae, quod jam assecuti sunt. Nec Parochus deputationi Capellani refragatur, dummodo munus suum exerceat *sub debita obedientia, et sine praejudicio jurium Parochialium*.

At Incolarum Pagorum Defensores propositam Dismembrationis actionem tuentur ex notissima Constitutione Alexandri III. relata *in Cap.* 5. *de Eccles. aedificand.* quam probavit, et exequi mandavit S. Tridentina Synodus *in Cap.* 4. *Sess.* 21. *de Reform.* Siquidem ubi difficultas in administratione Sacramentorum, et in exercitio Divini Cultus oritur tantum ex numerositate Populi, tunc Parochus tot sibi adsciscere debet Sacerdotes, quot necessarii sunt ad exhibenda Sacramenta, et ad Divinum Cultum celebrandum - *In iis vero Ecclesiis* (ita praescribit Tridentina Synodus loco cit.) *in quibus ob locorum distantiam, sive difficultatem Parochiani sine magno incomodo ad percipienda Sacramenta, et Di-*

vina Officia audienda accedere non possunt, novas Parochias, etiam invitis Rectoribus, juxta formam Constitutionis Alexandri III. quae incipit ad audientiam (Episcopi tamquam Sedis Apostolicae delegati) *constituere possint.*

Non in *primo*, sed in *secundo* casu versari probant ex Informatione Vicarii Capitularis, quam per extensum exhibet *Summarium* Incolarum, et ex plurimis Testibus, qui distantiam non unius tantum horae, sed ad duas etiam extendunt, quique de maxima itineris asperitate hyberno tempore, et de sequutis infortuniis deponunt. Quae quidem probationes eo magis in calculo habendae sunt, quia famulantur Decreto deputationis Capellani facto usque ab Anno 1767. quia - *attesa la lontananza, che passa tra il luogo della Penna, e le Ville di S. Antonio, Rovaja, S. Michele etc. etc. sieguono non pochi disordini, e soffrono le Persone di detti Villaggi notabili pregiudizj negl' interessi spirituali.* -

Hisce autem Testibus magis fidendum esse autumant, quam cæteris, qui pro Parocho deposuerunt, tum quia hi posteriores sunt numero pauciores, tum maxime quia *negativi*, qui certe postponendi sunt Testibus affirmativis ad tradita per Rotam in *Decis* 53. *num.* 3. *coram Molines, et in Decis.* 13. *num.* 8. *cor. Falconerio tit. de probat.*

Nec satis consultum putant Incolarum Defensores spiritualibus Populi necessitatibus per deputationem simplicis Capellani, quemadmodum in suo Voto proponit Vicarius Capitularis. Ubi enim res non de aucto Populi numero, sed de distantia, et difficili Viarum transitu, necessaria videtur materialis dismembratio Paræciæ, ut ita novus constituendus Parochus vere Pastor, non mercenarius, suas agnoscat oves, eas frequenter, et etiam dietim inviset, eorumque necessitatibus paterno occurrat amore. Hanc tenent Sententiam *Van-Espen* Jur. *Eccles. Univ. part.* 2. *tit.* 6. *Cap.* 2. §. 24. *Ursaya tom.* 1. *part.* 1. *Discept.* 14. *num.* 95.; et Sacra Congregatio *in Comen* 5. *Decembris* 1750. Quod quidem eo magis tenendum in casu suadent rixæ, dissidia, atque

odia

odia utriusque Populi plurimis ab hinc annis exorta, et quæ perpetua tantum dissociatio compescere valeret, ducto exemplo a dismembratione, quam probavit Sacra Congregatio *in Lunen Sarzanen Dismembrationis 12. Julii praeteriti Anni*.

Quoad *Secundum Dubium* dum Parochus S. Marci fasces submittit quoad deputationem Capellani, et solutionem ejus favore librarum 150. nonnullas tamen adjici postulat conditiones. nimirum, ut nominetur a Parocho, ut sit amovibilis ad nutum, et Sacramenta ministret *de ipsius Parochi licentia*; utque Incolæ Pagorum pro satisfactione Præcepti Paschalis teneantur quotannis ad Matricem Ecclesiam accedere. Econtra Pagorum Incolæ quatenus non sit locus dismembrationi, postulant Capellanum Curatum deputandum cum omnibus juribus Parochialibus, cui sese exhibent constituere Congruam Scutorum *Centum*, comprehensis Decimis, quæ Parocho Pennæ solvebatur.

Animadvertendum hic est conditiones a Parocho propositas in aliquo diferre a conditionibus, sub quibus usque ab anno 1767. facta est pro prima vice nominatio Capellani, nempe - *con facoltà allo stesso di fare tutte le Funzioni ad uso delle Parochie, e con l' incarico allo stesso di amministrare ai Popoli dei sudetti Villaggi tutti i Sagramenti nella conformità, è obligato pratticare il detto Parocho di S. Marco, ben inteso però, che debbansi trasportare alla sudetta Parochia di S. Marco tutti li Cadaveri de' defonti* -.

Tandem in *Tertio Dubio* tamquam jus suum sibi Parochus vindicat Decimas, quarum perceptio non competit Capellano, qui fixum habet emolumentum; easque decimas recuperare sperat a die suæ Institutionis, idest a die 20. Aprilis Superioris anni. At contra opponitur, plurimis retro annis Parochum nec Decimas exegisse, nec annuales Libras 150. representasse. Hac vigente consuetudine Curam adeptum fuisse; unde concluditur nullam eidem inferri injuriam, si dum Decimarum exactione privatur, uno, eodemque tempore ab onere au-

annualis præstationis Librarum 150. immunis evadat.

Dubia erunt

I. *An, et quomodo sit locus dismembrationi, et erectioni novae Paraeciae in Ecclesia S. Antonii Oppidi Olivettae in casu ec.*

Et quatenus Negative

II. *An, et quomodo, et quibus cum juribus sit locus deputationi Capellani Curati in casu ec.*

III. *An, cui a quibus, et a quo tempore sint solvendae Decimae in casu ec.*

Ad I. Dub. Affirmative in Ecclesia S. Antonii *Olivettae* constituta prius in forma juris valida a Parochianis Congrua scutor. centum comprehensis Decimis, et reservato aliquo honoris signo favore Matricis arbitrio Ordinarii.

Ad II. provisum in primo.

Ad III. Affirmative a Paræcianis octo Pagorum favore Capellani usque ad erectionem novæ Paræciæ, et deinde favore novi Parochi ut in I., ac sublata præstationi Librarum 150. debita a Parocho Pinnæ.

Sess. 25. Cap. 11. de Reform.

NUCERINA EMPHYTEUSIS - Bona Beneficii sub titulo S. Mariæ *di Taino* in emphyteusim concedere cupiens Canonicus Albertus Devoti illius Rector, hanc Sacram adiit Congregationem anno 1787. a qua petita est ab Episcopo Nucerino, in cujus Diœcesi, scilicet in Terra *Gualdi* posita erant Bona, informatio, eique commissum, ut publicarentur Edicta ad allicendos Oblatores, utque transmissis partitis Catastri de illorum valore referret. Omnia rite, recteque gessit Episcopus, ac retulit duos tantum suam in actis exhibuisse oblationem, alterum Fransciscum Mattioli, alterum Joannem Zuccari *quorum primus* (sunt verba relationis) *Scuta Triginta, seu nonnullis adjectis conditionibus scut. 36. Alter Scuta 50. 10. annuatim offert. Utrumque Oblatorem idoneum putarem: miror tamen ingentem valde, ac majorem, inventam fuisse Oblationem, quam sperare neminem posse censeret, qui praefatam annuam responsionem per dictum Zuccari oblatam cum valore Capitalium, seu Assis hujus Beneficii summam Scutor. 657. vel etiam scut. 857. 35.*

non

non excedente, ut ex Copia Catastri compararet: eo fortius si perpendantur onera eidem Beneficio adnexa - .

Prodiit hinc Rescriptum ad diem 16. Februarii 1788. -*Pro facultate favore majoris Oblatoris cum insertione Peritiae et planctae juxta Votum Episcopi per Bullas; salvo jure Vigesimae, et Sextae* - . Cumque orta esset controversia, an melioris Oblatoris Filii una cum Patre unicam, et primam generationem reprehesentarent, prævia altera Episcopi Informatione, novo Sacræ Congregationis Decreto confirmata est præcedens deliberatio Rescripto diei 6. Decembris 1794. - *pro facultate favore Hieronymi, et Aloysii Zuccari Durante pro Scutis* 50. 10. *salvo jure vigesimae et Sextae cum solitis clausulis per Bullas* - . At non nisi triennio post, nimirum die 25. Septembris 1797. Litteræ Apostolicæ expeditæ fuerunt, quibus Episcopo Nucerino sub solitis Clausulis facultas data est, præfata Bona in Emphyteusim ad tertiam generationem Masculinam concedendi juxta resolutionem Sacræ hujus Congregationis.

Licet hæ Litære Apostolicæ exhibitæ fuissent in Episcopali Cancellaria sub die 2. Novembris, stipulationem tamen, Instrumenti intercæpit nefanda illius temporis malorum congeries. Cumque interea inter Canonicum Devoti, et Emphyteutas Zuccari privatæ initæ fuissent Conventiones in locum Vigesimæ, et Sextæ - quæ reservatæ fuerant in concessione Beneplaciti, actum primum est in Sacra Congregatione de approbatione harum conventionum a Sacerdote Angelo Burroni, qui in Beneficii possessione Canonico Devoti successerat, ac postea, hac prætermissa Provincia, postulata est ab Episcopo Nucerino exequutio Literarum Apostolicarum. Renuit Antistes huic exequutioni manum apponere, cum nonnullis ante annis a SSmo obtinuisset, ut præfatum Beneficium in casu obitus Sacerdotis Burroni Nucerino Seminario perpetuo uniretur.

Hinc novæ delatæ sunt querelæ, quas Sacra Congregatio ablegavit sub die 18. Martii 1815. eidem Antistiti Nucerino, ut referret *de causa denegatae exequutionis*. Retulit Episcopus sub die 11. Martii sequentis

An-

Anni 1816. ex deputatorum Seminarii ore utilem contractum non videri - *Deputati* (ait Episcopus) *Bullam prae oculis habentes , quae stricte praecipit , ut diligenter inspiciatur , num datio , et concessio in emphyteusim istorum Bonorum fiat in evidentem dicti Beneficii utilitatem , reque mature perpensa concorditer ipsam emphyteusim tamquam grave inferentem damnum Beneficio agnoverunt , cum inter Canonem scutor.* 50. 10. *a Fratribus Zuccari oblatum , et realem reditum sit quasi dupli diversitas .* =

Tunc Fratres Zuccari, ne Causæ definitio in longius protraheretur , postularunt præfixionem termini deputatis Seminarii ad deducendum jura sua , atque ita factum est , ut concordato infrascripto Dubio præsens statuta fuerit Vadimonio dies . At ex parte tantum Fratruum Zuccari exhibita est Allegatio , quæ Typis impressa EE. Vestris distribuitur, et cujus rationum momenta breviter percurram silentibus interea Seminarii Defensoribus .

Res est , inquiunt fratruum Zuccari Defensores , de Literis Apostolicis , quarum nefas est exequutionem remorari , nisi certo constet obreptitias , et subreptitias fuisse . Nulla in medium affertur probatio , quod vel Summo Pontifici aut mendacium expositum , aut verum reticitum fuerit , unde obreptionis , et subreptionis vitio inficiaretur Indultum . Sed etiam nec facultas data unquam fuit per usitatam Clausulam - *de aperitione oris* - Ut Literæ Apostolicæ prævio maturiori Sacræ hujus Congregationis examine expeditæ ad trutinam revocarentur . Hinc nulli datur arbitrium eorum exequutionem præpedire , ut cæteris missis respondit Rota in *Auximana , seu Recineten Aperitionis oris* 20. *Junii* 1806. §. 3. *coram Emo Bardaxi* .

At vero cum Seminarii Deputati in reddita ab Episcopo Informatione toti sint , ut sustineant ideo non esse locum exequutioni Apostolici Indulti , quia deficit conditio , sub qua concessum fuit ; nimirum quia contractus non cedit in evidentem Beneficii utilitatem ; hinc Defensores Emphyteutarum *duo* probare conantur , scilicet nec potuisse hoc sibi utilitatis judicium assumere Episcopum ; nec reapse deficere in

præ-

præsenti contractu evidentem illam utilitatem, quam Sacri Canones in alienationibus, et quasi alienationibus Bonorum Ecclesiæ requiruntur juxta notissimam *Extravag. Ambitiose de rebus Eccles. non alien*, et tradit Sacra Congregatio in *Farfen. Transactionis* 27. *Aprilis* 1816.

Enim vero, priusquam Apostolicæ Literæ expedirentur, Sacræ hujus Congregationis præcessit judicium super utilitate Contractus. Ipsa namque imperante lata sunt programmata ad inveniendos Oblatores, a quibus melior fieret Beneficii conditio; nec Emphyteusim fieri permisit, nisi postquam ex Episcopi accurata relatione, ex transmissis Partitis Catastralibus, et actuali reditu Bonorum cognovit, oblatum a Zuccaris Canonem longe superare fructum, quem Beneficiatus annuatim percipiebat. Tunc demum rescripsit - *pro facultate favore majoris oblatoris juxta votum Episcopi* - Clausulæ igitur de stylo Datariæ apponi solitæ in Apostolicis Literis haud tanti valere posse videntur, ut jus tribuant Episcopo revocandi prudens, ac maturum Sacræ hujus Congregationis judicium, illusque effectum præpedire.

Quæ quidem eo magis locum sibi vindicant in præsenti causa, in qua nova de utilitate contractus disputatio a Deputatis Seminarii institui contenditur elapsis jam annis viginti octo a redito per Sacram Congregationem judicio, quot ab anno 1788. ad præsens defluxerunt anni. Regula enim juris Canonici est, ut ad dignoscendum, utrum contractus sit, nec ne Ecclesiæ utilis, inquiri debeat tempus conciliati Contractus; ita sæpius respondit Rota *Decis.* 365. *numer.* 10. *coram. Durand.*, *Decis.* 366. *num.* 1. *coram Seraph.*, *et Decis* 252. *uum.* 14. *coram Herzan.*

Sed imo contendunt Emphyteutarum Defensores maximam Ecclesiæ utilitatem intercessisse, ex quo conventus Canon non modo æquat, sed etiam superexcedit annuum Bonorum fructum. Pluries hæc Sacra Congregatio constituit, utilem esse illius Emphyteutici Contractus Canonem, qui respondet fructibus Bonorum, ut in *Firmana Emphyteusis* 15. *Januarii* 1791. *et in Ripana Emphyteusis* 23. *Novembris* 1793. nec utilitatem hanc deficere si *sexta* fructuum *pars* Em-

phytentæ commodo relinquatur, ut in *Pistorien, seu Praten Emphyteusis 21. Novembris 1761. in Privernen Emphyteusis 16. Junii 1787., et in Tolentana Reductionis 7. Septembris 1805.*

Cætera habent Emi Patres in Restrictu pro Emphyteutis, ut respondere possint Dubio.

An Literae Apostolicae sint exequendae, in casu etc.

Dilata ad I. post proximam.

Tres, quæ sequuntur, Causæ pertinent ad Folium proxime præteritæ Congregationis, quod Emos Patres reassumere precor.

Sess. 25. Cap. 3. de Regul. Sess. 25. cap. 4. de Reform.

ROMANA LEGATI.

I. - *An, et a quo tempore, et pro qua Summa sit locus solutioni Legati, de quo agitur, in casu etc.*

II. - *An, et quomodo sit locus reductioni Onerum, in casu etc.*

Ad I. Dub. Affirmative pro Summa Scutor. Sexaginta ad totum præteritum Annum, quovero ad futurum in annuis Scutis Decem.

Ad II. Dub. Quoad reductionem aliorum onerum dilata, et videatur particulariter.

LY-

LYCEN IRREGULARITATIS.

Sess. 14. Cap. 7. de Reform.

An sit standum vel recedendum in ultima parte a decisis, in casu etc.
In Decisis.

CIVITATIS CASTELLANAE.

Sess. 23. Cap. 18. de Reform.

I. - *An servanda sit applicatio Bonorum, de quibus agitur favore Seminarii Civitatis Castellanae, in casu etc.*
Et quatenus negative.
II. - *An ea applicari debeant favore Xenodochii Vallerani, in casu etc.*
III. - *An, et quomodo sit providendum Divino Cultui, reparationi Fabricae, et Populi commodo in Ecclesia SSmi Crucifixi, in casu etc.*

Ad I. Dub. Affirmative.
Ad II. Provisum in primo.
Ad III. Affirmative ad formam Resolutionis S. Congregationis super Seminariis, et decreti Episcopi Tenderini.

ROMANA REDUCTIONIS - Ultimo cum quo decessit elogio Joannes Petrus Moretti, Usufructuariam instituit hæredem Uxorem suam Plautillam Bossi, pro-

Sess. 25. cap. 4 de Reform.

proprietarium vero hæredem Xenodochium SSmi Salvatoris ad Sancta Sanctorum, eoque recusante, Capitulum Basilicæ Liberianæ.

Inter cætera Legata, duas Dotes scutorum 50. quotannis dari voluit duabus Puellis, quarum alteram eligi jussit a Monasterio SSrum quatuor, alteram arbitrio ejus Hæredis.

Jussit insuper erigi in eadem Basilica Liberiana tres Capellanias Laicales amovibiles ad nutum ab ejus hærede, et eorum cuilibet assignavit scuta 120. præter Utensilia Sacristiæ persolvenda, cum onere Choralis servitii, et Missæ quotidianæ in eadem Basilica celebrandæ.

Dictarum Capellaniarum assignamentum constituit in Locis Montium, quod si deficerent, aut imminuerentur, ex aliis suis Bonis suppleri mandavit in hæc verba - *E se per sorte alcuno di detti Monti si riducesse di maniera tale, che si diminuisse l' entrata di detti Cappellani, o Cappellanie, voglio, che in tal caso si comprino altri Luoghi di Monti simili con il detto vincolo a segno tale, che detta Entrata dalli frutti di essi non abbia in alcun tempo a mancare, ed oltre a detti Luoghi de Monti, voglio ancora, che per detto effetto siano obligati tutti gli altri miei Beni, de quali non avrò disposto.*

Viri pietatem imitata Plautilla, instituto Hærede eodem Xenodochio SSmi Salvatoris, aliam Capellaniam erigi mandavit in eadem Basilica Liberiana, similem omnino tribus aliis a Viro fundatis cum eodem assignamento, et oneribus; jubens, ut tam assignamentum, quam utensilia ex fructibus Locorum Montium satisfierent; et his imminutis, aut deficientibus ex cæteris Bonis suppleri voluit.

Utramque hæreditatem acceptam habuit Xenodochium, et usque ab anno 1674. publico Instrumento quotannis Liberianæ Basilicæ persolvere promisit scuta 36. pro Utensilibus quatuor Capellaniarum, et scuta sex pro Fundatorum Anniversario.

Omnibus hisce oneribus adamussim satisfecit Xenodochium usque ad annum 1797. Tunc vero, suspensa fructuum Locorum Montium solutione; et vix in parte anno 1801. redintegrata, locum prius habuit

trans-

transactio, nemine auctorante, inter Capellanos tantum, et Xenodochium conciliata, ac deinde anno 1805. assentiente etiam Capitulo, provisionali Concordia ad triennium duratura, ac iterum anno 1808. ad aliud triennium prorogata, conventum fuit, ut quatuor Missæ quotidie celebrandæ, ad unam tantum redigerentur pro rata a Capellanis adimplendam, eorumque assignamentum, absque ulla innovatione, quoad Chori servitium ad scuta sex pro quolibet Mense cohibitum fuit. Diminuta fuerunt etiam Utensilia a scutis 36. ad scuta 20. tantum, prout etiam anniversarii eleemosyna redacta fuit ad scutum unum, et obul. 50.

Ut vero ex Supremi Principis providentia certus constitutus est fructus Locorum Montium, Xenodochii Moderatores postularunt a SSmo perpetuam correspectivam onerum reductionem, oblato statu activo utriusque insimul hæreditatis Moretti, et Bossi, quam in annuis scutis 424. 16. constituebant, ex quibus solvi deberent annua scuta 288. pro Capellanis ad rationem scutorum 72. pro unoquoque, scuta 21: 50. Basilicæ Liberianæ pro Sacris Utensilibus, et Anniversario; scuta 26: 70. pro Canonibus, aliisque Legatis, et scuta 40. pro duabus Dotibus. Hæ simul unitæ annuæ præstationes conflant summam scutorum 376: 20. atque ita superextarent annua scuta 47. 86. a Xenodochio eroganda in solutionem Dativæ, in expensas Administrationis, ac demum in ægrotantium levamen. Denique pro coronide postularunt absolutionem, et sanationem quoad præteritum.

Preces Emo Archipresbytero Liberianæ Basilicæ ablegatæ fuerunt, ut audito Capitulo, et Administratoribus Hospitalis Sacram Congregationem instrueret, ac votum suum aperiret, quod ita diligenter præstitit, ut nihil in ejus Informatione desiderandum supersit; Et primum quod attinet ad præteritum tempus, nimirum petitam ad Administratoribus Xenodochii sanationem pro oneribus non adimpletis ab anno 1798. sic ait in sua Informatione Emus Archipresbyter - *Quod autem attinet ad erogationem redituum, et suspensionem Capellaniarum quoad tempus praeteritum Xenodochii Administratores affirmant omnia ex legitimo indulto peracta*

racta fuisse, seque paratos profitentur de eo docere apud hanc Sacram Congregationem -. Nihil mihi ex parte Administratorum exhibitum est. Videant ergo Emi Patres, utrum inspecta temporum acerbitate, et deficientia vel. in totum, vel maxima in parte fructuum Locorum Montium consulendum sit Sanctissimo qro absolutione, et sanatione; seu potius res sit peculiari examini subjicienda.

Quo vero ad futurum, ut rectum reddi possit judicium, necesse est unam ab altera hæreditate separare, atque unum ab altero statum activum, et passivum secernere. Hic facta divisione cum extet solemne inventarium Bonorum Plautillæ Bossi, illiusque Testamentum, facile colligitur, annuum ejus hæreditatis reditum ascendere ad scuta 303: 68. onera autem ad scuta 136: 50. Utriusque rationibus inter se collocatis, activus, passivum excedit in summa scutorum 167:18. Hinc concludit Emus Archipresbyter - *Nulla igitur quoad Capellaniam a Bossia fundatam admitti potest reductio, cum illius haereditatis reditus, omnibus implendis oneribus superabundent* - sane ubi pares oneri sunt reditus, immo illud longe excedunt, reductionem denegare solet *Sacra Congregatio ut in Ostunen Reductionis Missarum 4. Decembris* 1784., *in Capuana Reductionis Missarum 4. Decembris* 1792., *et in Maceraten Reductionis Missarum* 12. *Iunii* 1794.

Haud tamen idem dici potest quoad alteram hæreditatem Joannis Petri Moretti, cum datum non sit illius Bonorum Inventarium reperire, quod forsan prætermissum fuit tum ab Usufructuaria, tum ab hærede. Attamen si Statui activo a Xenodochii Administratoribus exhibito addantur scuta 75. ex fructibus Censuum, quæ prætermissa fuerant, annuus illius reditus erit in scutis 387: 30., onera vero usque ad scuta 534: 98. assurgunt, itaut Passivus superet activum in scutis 147: 68.

Petitur hinc reductio ex diminutione redituum Fundi Legati, quæ concedi solet, ubi imminuta sunt Capitalia, aut fructus absque Possessoris culpa, *ut in Senogallien Reductionis* 10. *Maji* 1783., *in Novarien Reductionis Missarum 23. Novembris* 1793., et passim Sacra hæc Congregatio ob imminutione fructuum Loco-

rum

rum Montium reductionem concessit, ut *in Romana Supplementi, et Reductionis ad 2. dub. 23. Januarii 1802., et in Civitate Castell. Reductionis 19. Julii* 1806. et alibi.

Verum quoad Capellanias animadvertendum est ita peti Reductionem a scutis 120., ad annua scuta 72. ut firmo remanente servitio Chorali, diminuantur Missæ, quæ ex Fundatoris præcepto quotidie a singulis Capellanis applicari deberent. At nemini ignotum est, quod ubi celebrationi Missarum alia conjugantur onera, potius hæc reducenda sunt, quam Missæ, cum ex his defunctorum Animæ majus suffragium consequantur, ut notant *Fagnan. in Cap. ex parte de Constit. num.* 34., *Monacell. For. Leg.* 19. *tit.* 10. *part.* 1., *et Sacra Congregatio in Lunen Sarzanen* 13. *Maji* 1728., *et in Derthonen Reductionis* 19. *Maji* 1787. Præsertim cum in ipso Fundatoris Testamento prius in ordine onus imponatur Missarum - *col peso de' medesimi Cappellani, e ciascuno di loro di celebrare giornalmente in detta Chiesa la Messa per salute dell'anima mia, e di detta Signora Plautilla* -, postea vero Chorale servitium injungitur - *ed anco assistere in Coro a tutti gli Officj Divini la loro Settimana* - Unde juxta doctrinam S. M. Benedicti XIV. de Synodo Diæcesana *lib.* 12. *c.* 9. *§.* 2., *et seqq.* ex hoc scripturæ ordine deducitur Fundatorem Missarum potius, quam aliorum onerum implementum voluisse.

Nec prætererenndum quod Xenodochii Moderatores de tempore apertæ successionis in hæreditate Moretti, illam sine ullo inventario acceptam habuerunt, ac solemni Instrumento diei 20. Decembris 1674. sese erga Liberianam Basilicam (quæ in casu recusatæ aditionis substituta erat) obligarunt pro præstatione Utensilium, et Anniversarii in quantitate scutorum 42. Porro cum agitur de oneribus acceptatis reductio concedi non solet, ut antiquioribus omissis hujus Sacræ Congregationis Resolutionibus definitum fuit *in Novarien Reductionis Missarum* 21. *Maii* 1792., *et in Camerinen Reductionis Missarum* 16. *Junii ejusdem anni.*

Atque id eo, vel magis locum habere videtur, quia exposita redituum diminutio non adeo certa est, ut om-

omnem excludat dubitationem. Siquidem Fundator, ne dum assignata Loca Montium pro Fundo Capellaniarum, sed etiam obnoxia voluit universa Bona hæreditaria. Quare si Bona hæc idonea non sunt ad onera Capellaniarum ferenda ex juris rigore cætera Bona Xenodochii supplere tenerentur ex defectu Inventarii ante editam hæreditatem, ex quo hæres ad integram Legatorum præstationem tenetur. Nec tamen Xenodochium in damno versaretur, cum ex hæreditate Plautillæ, ut superius exposui, tantum superet, quantum satis sit ad supplendum defectum hæreditatis Moretti.

Nihilominus reductioni haud refragatur Emus Archipresbyter in sua Informatione. Ait enim - *Quatenus igitur Vobis Emi Patres non videatur Xenodochium, ob haereditatis acceptationem, et omissum Inventarium ad integrum Capellaniarum implementum esse obstringendum, et aliquam admittendam esse reductionem, haec locum habere poterit solum quoad tres Cappellanias Moretti, quae ita peragenda esse videretur; ut firmo remanente Chorali servitio, tres Missae quotidianae ad unam tantum redigantur proportionatae a tribus Capellanis adimplendam. Attenta Missarum reductione uniuscujusque Capellani assignamentum a scutis 120. ad annua scuta 84. redigi poterit: Utensilia a scutis 27. ad scuta 9.: Duae Dotes a scutis 50. ad scuta 25. sic autem a passivo statu ascenden: pro integro onerum adimplemento ad scuta 534. 98., demptis scutis 176. ille redigeretur ad scuta 158. 98. itaut Xenodochio restarent scuta 28. 32., et Capellani simul imminuto proportionate Missarum onere, haberent pro Chori servitio scuta 66.*

Aut itaque rigorose agendum, nulla, quoad Capellanias, admittenda est reductio, aut si qua, mitius agendo, admitti velit, ea, pro mea Sententia, quoad tres Capellanias Moretti tantum, modo praedicto indulgeri poterit, donec ita maneat reditus Locorum Montium.

Hisce positis, Vestrum nunc erit Emi Patres dirimere dubia.

I. *An sit locus reductioni quoad Legatum q. Plautillae Bossi, in casu etc.*

An

II. *An sint reducenda onera Legati Joannis Petri Moretti, in casu etc.*

III. *An sit consulendum SSmo pro absolutione, et sanatione quoad praeteritas omissiones, in casu etc.*

Non proposita cum Sequentibus

ROMANA DOTIUM - Ven. Archiconfraternitati S. Joannis Decollati novem Legata Dotis causa, a totidem Piis Testatoribus antiquitus relicta fuerunt. Hæc præcipue in Locis Montium, et aliqua ex parte in Prædiis Urbanis constituta ad annum 1795., annuum præbebant reditum scutorum 771. 05. Verum ob præteritas calamitates factum est, ut annuus hic reditus ad summam scutorum 472. 12. cohiberetur. Hinc evenit, ut præter tria Legata, nempe *Thomae Papini*, *Simonis Salvatori*, et *Valerii Bonafede*, cætera sex annuam relictam Dotem suppeditare nequeant.

Sess.22. Cap.6 de Reform.

Ob Dotes collatas, et non solutas eadem Archiconfraternitas ab anno 1780 debitrix facta est scutorum 2759. 10. Hæc summa in præterita rerum publicarum perturbatione consumpta est in alias causas, et præsertim in conservanda Ecclesia, et in capite damnatis adjuvandis.

Primum ex Rescripto Apostolici Delegati diei 20. Februarii 1813. *ad triennium*, et postea Sacræ Congregationis Visitationis diei 15. Julii 1816. *ad annum* obtinuerunt a SSmo Moderatores Archiconfraternitatis suspensionem novarum Dotium conferendarum, nec non absolutionem quoad pecunias in præteritum erogatas. Expleto hoc iteratæ suspensionis anno, novas obtulerunt preces, quibus proponebant methodum, quo, et collatæ Dotes dimitti, et novæ, si non in totum, saltem in parte conferri possint.

 Emus

Emus Urbis Vicarius, cujus rogata est sententia, auditis Confratribus per secreta suffragia, hanc methodum accurate refert, et probandam ducit in hæc verba - *Ex novem Legatis in Causam Dotis, tria in annum aliquam Dotem ex Testatorum voluntate suppeditare possunt, et haec tria sunt punctim Legata a Thoma Papini, a Simone Salvatori, et a Valerio Bonafede relicta. Reliqua autem sex Legata hodie in annum eam dotem praebere nequeunt, quam antea pro suis viribus suppeditabant. Quod ad tria priora Legata attinet aequum esse arbitror, ut quotannis ex Testatorum mente ea dos conferatur, quam eorumdem vires ferre possunt. Quod autem pertinet ad reliqua sex Legata, consultissimum esse duco, ut omnium reditus in massam comunem redigatur, utque in tot annuas dotes aeque distribuatur, quot idem reditus ferre possit; quae tamen ordine iis Puellis sunt conferendae, quas Pii Testatores designarunt.*

Reliquum est ut de Dotibus ab anno 1780. collatis, et nondum solutis provideatur. Hae cum summam constituant scutorum 2759. 10., et cum annuus omnium Legatorum reditus ad summam ascendat scutor. 472. 12. detrahi quotannis possunt scuta biscentum ad dotes collatas dimittendas. Hoc debito extincto, justum et aequum esse arbitror, ut ex praescripta ratione numerus Dotium in annum conferendarum augeatur.

Reapse ex statu activo, et passivo cujuslibet ex novem Legatis aperte colligitur, tria tantum legata, nimirum *Papini*, *Salvatori*, et *Bonafede* tantum reddere, quantum ad annuas præstandas dotes sufficit, cætera vero legata sunt prorsus imparia ad solvendas dotes. Certe quoad tria prædicta Legata nec postulatur ab Oratoribus, nec postulari posset reductio, aut suspensio, quæ numquam conceditur, cum non deficiunt reditus ad implendam Testatorum voluntatem, ut sæpe statuit Sacra Congregatio in *Ostunen Reductionis Missarum 4. Decembris 1734.*, *in Brigantien 25. Junii 1790.*, *et in Ferrarien Reductionis Missarum 19. Januarii 1793.*

Quo vero alia sex Legata, quorum reditus ita sunt imminuti, ut ex unoquoque separatim sumpto nequeunt Dotes reprehesentari, videndum, an concedenda sit reductio, cum redituum decurtatio causam habeat a diminutione fructuum Locorum Montium. Hæc

Hæc namque concedi solet, ubi imminuta sunt Capitalia, aut fructus absque Possessoris culpa, ut in *Senogallien Reductionis* 10. *Maii* 1783., *et in Vallissoletana* 17. *Augusti* 1793., *in Albinganen* 12. *Decembris* 1778., *in Anconitana Missarum* 9. *Aprilis* 1718., *et in Novarien Reductionis Missarum* 23. *Novembris* 1793.

Quod si reductioni sit assentiendum, videant Eminentissimi Patres utrum sequenda sit praxis, quæ communiter obtinet, ut in unoquoque Legato concedatur suspensio, donec aucto Bonorum gravatorum fructu exequi valeat Legantis voluntas, vel potius amplectenda sit methodus a Moderatoribus Archiconfraternitatis proposita, et ab Eminentissimo Vicario probata, ut nimirum simul uniantur reditus sex Legatorum, et ex communi Massa certa detrahatur annua Summa in extinctionem Dotium jam promissarum usque ab Anno 1780. superextantes vero reditus in novas Dotes juxta Fundatorum mentes conferendas erogentur. Hæc certe methodus aliquam secumfert Fundatorum voluntatis commutationem, cum e contra nil magis vulgatum in foro, nil magis constitutum ab hac Sacra Congregatione vindice Piarum Voluntatum, quam eas religiose esse custodiendas, ut ait *S. Gregorius Pontifex in Can. ultima voluntas cons.* 13. *quaest.* 2. et tradunt *Fagnanus in cap. ex parte de Constit. num.* 23. *et Petra ad Constit. Innocent. IV. num.* 49. *et seqq.*

At vero si unum ab altero separetur Legatum, si in unoquoque per temporaneam suspensionem succurratur ad hoc, ut augeantur reditus, plurimi decurrent Anni, quin vel una conferatur Dos. Cum è contra coacervatis Legatis aliquo modo, quo fieri potest, jam nunc adimplentur Fundatorum voluntates, tum quoad collationem novarum Dotium, tum quoad solutionem jam collatarum. Porro difficultas aliter exequendi Pias Voluntates viam commutationi sternit, justamque præbet causam contra Juris Canonici severitatem *Barbos. de Potest. Episc. Alleg.* 83. *num.* 3. *et* 8. Sacra Congregatio *in Romana Commutationis Voluntatis* 27. *Februarii* 1734., *et in Civitatis Plebis Legati* 28. *Augusti* 1756.

Quæ superius animadverti quoad novas Dotes conferendas,

das, pariter locum sibi vindicant quoad solutionem jam collatarum. Si enim decernatur suspensio ad augendum Capitale, ejusque fructus, jam idem semper manebit debitum, quod ascendit ad summam Scutorum 2759. E contra per propositam methodum videtur justitiæ, et æquitati provisum, si conjunctis sex Legatorum reditibus, aliqua illorum pars cedat satisfactioni Dotium non solutarum ab anno 1780. reliquum vero in novas Dotes juxta Testatorum mentes conferendas impendatur.

At enim non est prætereundum, quod hæc sex Legata oriuntur ex Testamentis conditis uno, vel etiam altero, et tertio Sæculis decursis. Omnis præsumptio juris suadet ea acceptata fuisse ab Archiconfraternitate, idque confirmat factum ipsum collatarum, ac solutarum Dotium. Hinc dici posset non esse locum Reductioni, aut suspensioni, quas passim rejecit Sacra Congregatio, cum ageretur de oneribus acceptatis, sed potius teneatur Archiconfraternitas supplere ex propriis reditibus quidquid deest ad implendas Testatorum voluntates. Verum e contra favet Oratoribus, quod non agitur de hæreditate cum suis oneribus acceptata, sed de Legatis cum *taxativo* fundo in Locis Montium constituto. Hoc in casu, si fundus ipse vel pereat, vel diminuatur sine Administratoris culpa, quemadmodum contigit in Locis Montium a Testatoribus Legatis pro solutione Dotium, necesse est, ut Legatum ipsum vel abrogetur, vel reducatur. *Rota in Nuperr. tom. 2. decis. 483. num. 1. Monacell. formul. Legal.* 19. *tit.* 20. *part.* 1. *num.* 25., et Sacra Congregatio præcise in casu diminutionis fructuum Locorum Montium *in Romana Supplementi, et Reductionis ad 2. dubium 23. Januarii* 1802., *in Romana Reductionis onerum 21. Augusti* 1802., *et in Civitatis Castellanae Reductionis* 19. *Julii* 1806.

Dubia proponuntur

1. *An, et quomodo sit providendum quoad Dotes collatas, et non solutas ab anno* 1780., *in casu etc.*
2. *An, et quomodo sit providendum pro Dotibus conferendis ex sex Legatis, de quibus in precibus, in casu etc.*

3. *An*

3. *An sit consulendum Sanctissimo pro sanatione, et condonatione quoad praeteritum, in casu etc.*

ROMANA CAPELLANIARUM. Pia Foemina Theresia Gambardelli Testamento quod scripsit anno 1749. mandavit - *che seguita la sua morte l'infrascritta sua Erede*, videlicet Ven. Archiconfraternitas SS. Stigmatum Urbis, *debba eriggerere trè Cappellanie, ossiano Legati di Messe perpetui Laicali, uno nella Basilica di S. Maria Maggiore, altro nella Ven. Chiesa delle Stimate, altro nella Ven. Chiesa di S. Marcello, alle quali Cappellanie assegna, e costituisce per dote la somma di Scudi 60. annui per ciascheduna nel fruttato di tanti Luoghi di Monte Camerali ad essa spettanti da esiggersi dall' infrascritta sua Erede, e respettivamente pagarsi alli Cappellani la rata par e di Bimestre in Bimestre nella forma medesima, che si esiggono li frutti di detti Luoghi di Monte, e di più per li soliti utensili assegna a ciascheduna delle sudette tre Chiese annui Scudi sei da pagarsi similmente dalla infrascritta sua Erede colli frutti di detti Luoghi di Monte, che in tutto sono Scudi 198. moneta annui.* Sess. 25. Cap. 4. de Reform.

Hæredem vero Archiconfraternitatem mox commemoratam instituit ea lege, - *che dopo appurato l'Asse suo Ereditario . . . . . debba tener conto esatto de' Capitali, e fruttato, e detratto in primo luogo la somma di Scudi 198. per soddisfazione delle suddette trè Cappellanie, e degli utensili come sopra ogni anno; del rimanente ordina, e vuole, che ne faccia tre parti, o porzioni eguali, una delle quali conseguisca liberamente la detta Ven. Archiconfraternita a carico di cui però dovrà andare il peso dell' Esattore Computista, e di qualunque altra spesa, che si richiederà, o ne-*

necessaria per la puntuale esecuzione di questa ultima sua volontà, e le due altre terze parti dovrà intieramente erogare ogni anno in perpetuo nella distribuzione di tante Elemosine a ragione di Scudi 10. *l'una a povere, ed oneste Zitelle.*

Hæc hæreditas Theresiæ tota constabat ex Locis partim Montium Cameralium, partim Montis *Bentivoglio*. Notissimæ temporum calamitates cum hocce redituum genus summopere imminuerit, res in eum statum venit, ut si tres Capellaniæ consequi debeant integrum Scutorum 198. emolumentum eidem a Testatrice assignatum, nihil supersit, quod hæres Archiconfraternitas in Causam Legati, et Administrationis, seu tertiæ partis sibi tributæ assequatur; nihil, quod in Eleemosinas seu Dotes pro Pauperibus Puellis impendat. Quæ res quæstioni occasionem præbuit. Existimant enim Confratres, detrimentum, quod passa sunt Loca Montium Cameralia, a Legatis Missarum integre esse ferendum, arbitrantes eorum dumtaxat fructus Legatis illis a Testatrice esse tributos. E contra Capellani ita Missarum Legata esse præcipua putant, ut quidquid universæ hæreditatis redituum extat, id totum in eorum causam erogetur, tametsi nihil pro aliis Causis reliquum sit.

Utraque pars lites abhorrens Sacræ Congregationis judicium expostulavit, et quamvis de more rescribendo pro Informatione, et Voto auditis etc. rogaverim Eminentissimum et Reverendissimum Protectorem, ut utrisque terminum ad sua jura deducenda præfigeret, tamen usque modo præter Statum hæreditarium ex parte Archiconfraternitatis, et brevissimæ animadversiones ex parte Capellanorum nihil aliud allatum fuit, unde a Sapientissimo Vestro judicio res tota definienda venit.

Missas a Testatrice demandatas cæteris Legatis præferendas esse censent Capellani, tum quia in ordine orationis Testamenti primæ leguntur: tum quia in quolibet dubio Missarum Sacrificia ante omnia alia Legata etiam Pia prælationem merentur ex rationabili conjectura, quod Testatrix suam, suorumque propinquorum animam magis dilexerit in quarum suffragium Missas legavit, et Capellanias instituit. Cum autem

autem ultimas voluntates defunctorum servare sacrum sit, hinc si omnia, quæ a Testatore præscripta sunt adamussim, et integre adimpleri nequeunt, cæteris posthabitis, ea saltem, quæ prius in oratione ordinavit, et quæ magis dilexisse præsumendum merito est, ea omnibus veniunt præferenda ut in casu nostro veniunt Capellaniæ, quæ non solum in principio, et in primo orationis ordine positæ sunt, verum etiam ipsas Capellanias cæteris a se ordinatis prætulisse ex illis apertis verbis elucet, ubi de superextante hæreditate disponendo sic habet - *debba tener conto esatto de' Capitali, e fruttato detratta IN PRIMO LUOGO la somma di scudi* 198. *per soddisfazione delle suddette trè Cappellanie*. - Ad tradita per *Politum de Legatis Dissert.* 109. *num.* 7. *ad* 12., *Amostaz de Caussis Piis lib.* 2. *Cap.* 6. *num.* 12. *Bened. XIV. de Synod. Dioeces. lib.* 13. *cap. ultim. num.* 23.

At hasce juris regulas tunc locum habere ajunt SS. Stigmatum Confratres, quando revera totius hæreditatis vires ad Missarum satisfactionem ex testamentariis tabulis teneri desumatur: numquam vero quando certa, et determinata annua summa, quando certus, et determinatus Fundus pro Legati adimplemento sit præcise destinatus; et ad notissimam distinctionem confugiunt, qua Missas pro integro satisfaciendas esse statuitur, si fundus pro ipsis sit demonstrative designatus, non vero si taxative, quia in hoc casu vel pereunte, vel decrescente fundi reditu, vel in parte imminuitur, vel in totum perit Legatum. Taxativam autem esse fundi assignationem, quia Testatrix Gambardelli dixit - *che assegna, e costituisce per dote delle Cappellanie la somma di scudi* 60. *annui per ciascheduna nel fruttato di tanti Luoghi di Monte Camerali ad essa spettanti da esiggersi dall' infrascritta Erede, e respettivamente pagarsi alli Cappellani la rata parte di bimestre in bimestre nella forma medesima, che si esiggono li frutti di detti Luoghi di Monte, e di più per li soliti utensili assegna a ciascheduna delle sudette tre Chiese scudi sei da pagarsi similmente dall'infrascritta sua Erede colli frutti di detti Luoghi di Monte, che in tutta sono scudi* 198. *moneta annui*. -

Testatrix igitur nihil aliud pro fundo Capellaniarum legavit, nisi Loca Montium Cameralia, et ne dubium oriretur etiam annuum ipsorum reditum scripsit nempe

pe

pe scut. 198. Et revera in ejus hæreditate tot Loca Montium Cameralia inventa sunt, quot erant necessaria, ut dicta annua scut. 198. summa exigi posset, sicuti patet ex Statu hæreditario, in quo Loca 66 $\frac{4}{100}$. adnumerantur. Fundi igitur assignatio est mere taxativa, quia sola Loca Montium Cameralia destinavit Testatrix pro Dote Capellaniarum. Imò dicendo - *che assegna per dote delle Cappellanie la somma di scudi sessanta annui* - et paulo post una cum utensilibus, *che in tutto sono scudi* 198. *moneta annui*, persolvenda *celli frutti di detti Luoghi di Monte*, satis evincicitur nil aliud ab hærede præstandum voluisse, nisi fructus, qui a dictis Locis Montium haberentur etiamsi in Testamentaria dispositione, seu in ordine orationis omnium primi, et Capellani, et Capellaniæ legantur, quemadmodum hæc Sacra Congregatio censuit in *Neapolitana Reductionis* 24. *Januarii* 1807.

Quidquid tamen sit de hac Confratruum subtili forsan argumentatione, et omisso etiam Testatricem Missarum Legata et dixisse, et voluisse *perpetua*; hoc enim etiam de Eleemosina scut. 10. pro Pauperibus Puellis legitur; At certe in suo Testamento prius Missas seu Capellanias demandavit, postea ad fundi assignationem devenit; ergo Fundus, seu Loca Montium esse videntur *demonstrative*, non *taxative* adjecta; unde si Loca Montium ad Missas satisfaciendas sunt imparia, ex cæteris hæreditatis fructibus Legato Missarum succurrendum sit: ergo Missarum Legatum non sub conditione scriptum intelligi debet, quatenus nempe reditus ipsius satisfactioni assignati sufficiant. Ita *Mantic. de Conject. lib.* 9. *tit.* 3. *num.* 30. *Gratian. cap.* 256. *num.* 22., *et* 24. *Rota in Ravennaten. Salviani* 16. *Februarii* 1753. §. 2. *coram Molino*, *et in Majoricen. Legatorum Piorum super reductione* 28. *Januarii* 1736. §. *final. coram*, *Elephant. et haec ipsa Sacra Congregatio in Aesina Legati* 4. *Maii* 1697-, *et in Romana*, *seu Sabinen.* 27. *Augusti* 1806., *et in alia Romana translationis*, *et reductionis* 8. *Martii ejusdem anni et in alia Romana Cappellaniae* 25. *Maii* 1816.

Fortiori tamen argumento ex Testatricis voluntate desumpto Loca Montium pro fundo Capellaniarum demonstavite non taxative assignata dici possent. Ipsa Gambardelli apertis verbis præcipit - *Che li suoi Parenti siano di Linea Mascolina, o Feminina, o di linea retta, o trasversale; bastando solo, che facciano costare la*

di

di loro discendenza da Casa Gambardelli, quantunque per parte di donna non solo siano ammessi, ma sempre preferiti ad esclusione di qualunque altro concorrente ad dictas Capellanias . . . . . . *ed in caso, che detti suoi Parenti venissero preferiti, nominati, ed ammessi a dette Cappellanie, o a ciascheduna di esse, come sopra debba l'infrascritta sua Erede dargli l'Elemosina a ragione di giulj tre per ciascuna Messa* — Si ergo vel post mortem Testatricis, vel annis subsequentibus tres ejus Propinqui dictas tres Capellanias obtinuissent, jam quisque videt, quod pro Missæ quotidianæ Eleemosyna ipsis annua scut. 324. essent solvenda, præter alia scut. 18. pro Utensilibus. Unde porro hæc summa haberetur, si sola Loca Montium, qui dabant annua scut. 198. pro Missarum satisfactione dicantur assignata?

Ut superius exposuimus Theresia Gambardelli voluit *che detratta in primo luogo la somma di scudi 198. per soddisfazione delle sudette tre Cappellanie, e degli Utensili come sopra ogni anno, del rimanente, che* Archiconfraternitatem *ne faccia tre parti o porzioni eguali, una delle quali conseguisca liberamente la detta Ven. Archicontraternita, a carico di cui però dovrà andare il peso dell'Esattore, Computista, e di qualunque altra spesa, che si richiederà, o necessaria, per la puntuale esecuzione di questa ultima sua volontà, e le altre due parti dovrà intieramente erogare ogni anno in perpetuo nella distribuzione di tante Elemosine a ragione di scudi* 10. *l'una a povere, ed oneste Zitelle*, inter quas si Testatricis propinqui in Urbe domiciliati habeant Filias, Sorores, et Nepotes, istas omnes ad dicta subsidia scut. 10. præferri jussit.

Ex statu vero hæreditario actuali ab Archiconfraternitate exhibito Loca Montium Cameralia post notas reductiones nunc annuum reditum scut. 94. 10. tantum exhibent, et annua scuta 88. 61. a Locis Montium *Bentivoglio* percipiuntur, quia unum tantum *bimestre* annuatim ut plurimum exigitur, admodum vero perraro duo *bimestria* habentur. Annum igitur hæreditatis Gambardelli reditum certum non excedere scuta 182. 71. manifeste constat, quæ summa impar est pro integre satisfaciendis Capellaniis una cum Utensilibus, pro quibus annua scuta 198. requiruntur. Archiconfraternitas ergo hæres singulis annis scutorum 15. 29. damnum pateretur, exceptis

iis annis, in quibus aliud *bimestre* a Locis Montium Bentivoglio posset exigere. Insuper ex lege Testamenti onus Ratiocinatoris, et Exactoris, ac alias omnes expensas subire tenetur; hinc non solum nullum emolumentum ex hac hæreditate perciperet, verum etiam in sui d mnum verteretur, quod ad ipsius commodum a Testatrice fuerat institutum. Exclusæ etiam semper a perceptione Eleemosynarum scut. 10. essent propinquæ omnes Testatricis, si ad dicta subsidia præferri postularent, quod nimis durum videtur, et absonum ab illa æquitatis regula, quæ Fundatorum Propinquos quando sint pauperes, aliquid ex pio Legato percipere posse permittit. Cum itaque æquum non sit Ecclesiam in damno esse, ut satisfaciat Missarum Legata, cum pariter alienum a Testatricis voluntate videatur, ut ejus conjunctæ, et propinquæ, quamvis cæteris prælatæ, nullo umquam tempore prædictas Eleemosynas sperare possint, videant Emi Patres, num aliqua æquitatis ratio habenda ita sit, ut nec Confraternitas damnum patiatur, nec Testatricis Propinquæ manibus vacuis abire cogantur.

Demum prætereundum non arbitror, quod Testatrix Gambardelli voluit tertiam partem suæ hæreditatis post satisfactas Capellanias adjudicari Archiconfraternitati, *a carico di cui però dovrà andare il peso dell'Esattore, Computista, e di qualunque altra spesa . . . . per la puntual'esecuzione dell'ultima sua volontà* - E contra Archiconfraternitas ingenue fatetur se ultra dictam tertiam partem quotannis percepisse, et sibi præservasse scuta viginti, *in quo certe errasse Confratres videntur* etiam Emo Protectori: non abs re igitur erit inquirere utrum ad restitutionem teneantur dictæ summæ uti contra voluntatem Testatricis perceptæ, aut saltem utrum petere debeant absolutionem, et condonationem.

Dubia proponuntur

I. *An, et pro qua summa sit locus reductioni Capellaniarum, in casu ec.*

II. *An ex actuali reditu haereditatis aliquid retinendum sit ab Archiconfraternitate pro expensis Administrationis, et pro Dotibus in casu etc.*

III. *An sit consulendum SSmo pro absolutione, et condonatione quoad summas perceptas praeter mentem Testatricis, in casu etc.*

Die Sabathi 5. Septembris 1818. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua præter alia proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

ROMANA REDUCTIONIS

Sess. 25. Cap. 4. de Reform.

I. *An sit locus reductioni quoad Legatum q. Plautillae Bossi in Casu etc.*
II. *An sint reducenda onera Legati Joannis Petri Moretti in Casu etc.*
III. *An sit consulendum SSmo pro absolutione, et sanatione quoad praeteritas omissiones in casu etc.*

Ad I., et II. Dub: Negative.
Ad III. Affirmative celebrata unica Missa collective pro omnibus omissionibus.

ROMANA DOTIUM.

Sess. 22. Cap. 6. de Reform.

I. *An, et quomodo sit providendum quoad Dotes collatas, et non solutas ab anno 1780. in casu etc.*
II. *An, et quomodo sit providendum pro dotibus conferendis ex sex Legatis, de quibus in precibus in Casu etc.*
III. *An sit consulendum Sanctissimo pro Sanatione, et condonatione quoad praeteritum, in casu etc.*

Ad I., II. et III. Dilata, et ad Mentem.

Sess. 25. Cap. 4. de Reform.

ROMANA CAPELLANIARUM

I. *An, et pro qua summa sit locus reductioni Capellaniarum, in casu etc.*
II. *An, ex actuali reditu haereditatis aliquid retinendum sit ab Archiconfraternitate pro expensis administrationis, et pro dotibus in casu etc.*
III. *An sit consulendum SSmo pro absolutione, et condonatione quoad summas perceptas praeter mentem Testatricis, in casu etc.*

Ad I. Negative
Ad II. Satisfactis Capellanis affirmative ex superextantibus reditibus ad formam fundationis.
Ad III. Affirmative facto Investimento summæ indebite perceptæ favore fundationis.

Sess. 25. cap. 13. de Reform.

CIVITATIS CASTELLI CONCORDIAE. In proxima præterita Congregatione diei 8. Augusti proposito in hac Causa Dubio = *An concordia sit confirmanda vel infirmanda in casu etc.* responsum Emi Patres dederunt *affirmative ad primam partem juxta modum, negative ad secundam. Modus autem est, ut in secundo capite addatur conditio, quatenus adsit sepultura propria pro Presbyteris, et Clericis; et in Capite quarto loco verborum quin tamen substituantur verba et aeque; et ad D. Secretarium cum SSmo.*

Facta hujus resolutionis relatione SSmus benigne illam in omnibus approbavit, et respective confirmavit in Audientia *diei 12. prox. praet. Mensis.*

Nulla delata est quaerela de conditione apposita in approbatione Secundi Capitis. At quoad quartum novas dedit litteras Episcopus transmittens novum Folium a deputatis, tum Capituli, tum Parochorum subscriptum, ex quo probare nituntur recte in eodem capite quarto conventum fuisse, ut Cathedralis Ecclesia ab onere solvendi Parochis quartam Funeris immunis evaderet. In hac enim vetu-

stis-

stissima plurium saeculorum possessione versatur, quae satis ipsis videtur ad tuendum Cathedralis privilegium juxta sententiam, de qua *Alexan. cons.* 192. *num.* 15. *lib.* 2. *Molin. de Iustit. et Iur. tract.* 2. *disp.* 215. *num.* 7. *Lupus de Canon. port. cap. num.* 64. *et Barbos. de offic. et potest. Parochi part. cap.* 25. *num.* 16 praesertim cum sola quadragenaria Cathedralem Ecclesiam acquirere exemptionem a solutione quartae funerariae decreverit Rota in *Barchinonen. Jurium Parochialium super quarta, et oblationibus* 9. *Julii* 1732. §. 4. *coram Aldovrando.*

Quod si placeat inter antiquitatis tenebras hujusce privilegii Causam perscrutari, originem peti posse videtur ex eo, quod olim Ecclesiae Cathedralis Paraecia per totam Civitatem protendebatur, ita ut qui nunc Parochi sunt, non nisi Capellani adjutores Capituli cum Cura Animarum erant. Hinc praesumendum putant, cum facta est retroactis saeculis dismembratio Paraeciarum, hanc consuetudinem de non solvenda quarta Cathedralem Ecclesiam servasse.

Accedit quod alias haec inveterata consuetudo a Parochis contra Cathedralem vocata est in discrimen apud S. Congregationem, nimirum anno 1661. Usque ab eo tempore contendebant Parochi sibi deberi quartam juxta dispositionem Sacrorum Canonum, et S. Concilii Tridentini, et allegatam consuetudinem tamquam contra jus, et irrationabilem contendebant.. E converso referebat Episcopus, *Ministri Cathedralis innituntur dictae consuetudini, quam praetendunt immemorabilem, nec non praeminentiae Fontis Baptismalis, qui unicus in eadem Cathedrali pro tota Civitate, et ejus ad tria ferme milliaria circuitu extat* - Proposita Causa super dubio - *An in praenarrato casu Cathedralis Ecclesia ad solutionem petitae quartae funeralis teneatur* - S. Congregatio die 16 Julii 1661. respondit - *Secundum ea, quae narrantur non teneri.* -

Haec sunt quae novissime deducta sunt ad obtinendam confirmationem *in totum* capitis quarti, super quibus neminem audire censui, cum jam Cano-

nonici, et Parochi in inita conventione consensum praestiterint.

Dubium proponitur

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc.

In decisis approbato etiam in totum capite quarto facto verbo cum SSmo.

Sess. 5. Cap. 1. de Reform.

TERRACINEN., SEU SETINA PRAEBENDAE THEOLOGALIS. Vacante per obitum Thomae Roselli Theologali Praebenda Canonicatui adnexa in Cathedrali Ecclesia Setina Vigilantissimus Terracinae, Privernii, ac Setiae Antistes Programmate concurrentes vocavit. Diem sextam Februarii anni elapsi certamini constituit, qua adventa Concilii Tridentini explicatio, et octo ex Sacra Scriptura dubia resolvenda proposita a quatuor examinatoribus fuere. Quatuor se periculo subjecerunt, Canonicus videlicet *Vincentius La Galla*, Sacerdos simul, et Advocatus *Aloysius Biasucci*, Archipresbyter Collegiatae Ecclesiae SS. Sebastiani, et Rocci ejusdem Civitatis *Alexander Charchitto*, et Sacerdos *Joseph De Angelis.*

Quoad postremos EE. PP. non moror, vix enim ad Theologalem Praebendam approbati fuere, at inter *Biasucci*, et *La Galla* gravis exorta contentio est. Sequenti enim die septima Februarii examinatores ab Episcopo vocati, jurejurando interposito, primo loco *La Galla*, qui triginta tria, secundo *Biasucci*, qui viginti sex habuit puncta, tertio loco caeteros constituerunt. Factum hinc est, ut Episcopus velut magis idoneo, aliisque requisitis praefulgenti Sacerdoti *La Galla* designaverit conferre Theologalem Praebendam; Attamen triginta trium die-

dierum spatium concurrentibus reliquit, ut appellandi unicuique foret potestas. His elapsis cum nulla fuerit interposita appellatio Canonico La Galla jam designato vacans Theologi munus contulit *die decima tertia Martii.*

Tertio ab hac collatione elapso Mense Biasucci querelam ad S.Congregationem detulit, transmissionem actuum concursus postulans, ut ostendere posset - *La non giusta relazione degli esaminatori, e l'Irragionevol giudizio del Vescovo nell'avere conferito la Prebenda a persona meno idonea*, - veluti in supplici perlegitur Libello.

Delegatae de more fuerunt preces Episcopo, ut suam aperiret sententiam, terminum praefigeret approbato *La Galla* ad deducenda jura sua coram S. Congregatione, trasmitteret autem interea acta concursus in forma authentica. His omnibus plene satisfecit Episcopus, et transmisso *Originali* concursu ea, qua Bonum decet animarum Pastorem, moderatione, rationes attulit, quibus innixus Advocato Biasucci praetulit Canonicum La Galla, nedum scilicet quia magis idoneus ab Examinatoribus fuit renunciatus, sed quia omnibus utriusque sexus fidelibus verbo, et exemplo praefulget, eumque magis aptum ad Divinum cultum, Ecclesiae utilitatem, et animarum salutem promovendam ipse judicavit. Posthabuit autem Sacerdotem Biasucci, qui, physica laborat indispositione habituali, numquam servitium praestitit Ecclesiae, et quia ejus nomen in aliquod discrimen erat apud Sacram Congregationem Episcoporum, et Regularium, ob ea, quae contra ipsum deducta fuerant.

Quoad resolutiones dubiorum in concursu ab examinatoribus propositorum, quas tum La Galla, tum Biasucci dederunt, non immoror EE. PP. utrasque enim una cum censuris hinc inde appositis a Romanis Theologis referunt summaria amborum nomine typis impressa, ac Vobis distributa una cum allegationibus. Causa sub triplici Dubio definienda proponitur.

In I. Dubio quaeritur num de mala Examinatorum relatione constet, ac de irrationabili judicio Episco-

scopi. Sane Concilium Trid. *Sess. 5. cap. 1. de Reformat.* nullum praescribit concursum in praebendae Theologalis collatione, sed decernit, ut ipsa - *nonnisi personis idoneis et quae per se ipsas id munus explicare possint, conferantur, et aliter facta provisio nullà sit, et invalida -.*

At Benedictus XIII. in Const. cujus initium *Pastoralis Officii* statuit, ut Theologalis praebenda magis idoneo in concursu renunciato conferatur Talem autem fuisse Biasucci ostendere nititur ejus Defensor, tum quia resolutiones *a la Galla* datae nec Gramatici, nec Rethoris, nec Theologi dici possunt juxta Romani Theologi Censuram, tum quia Laurea doctorali non erat insignitus, quam a Synodalibus legibus requisitam habebat Biasucci, qui cum doctor sit in jure Canonico, doctor etiam in S. Theologia censeri debet, et non nisi in defectu doctoris praebendam consequi posse illum, qui Doctor non est, decrevit; *S. Congr. in Asten. 3. Februar.* 1646 *lib.* 18. *decretorum pag.* 31., et citata in *tom.* 2 *thesaur* Resolut. *S. Congr.*, *anni nempe* 1723. *in adnotationibus Secretarii circa dubium propositum Praebendae Theologalis pag.* 332. §. *Die* 3. Hinc Biasuccio magis docto praeferri non potuit La Galla, et si aliis qualitatibus praestans cum hae locum habeant in concursu, et collatione Paraeciae minime vero Praebendae Theologalis.

Defensor, e converso Canonici La Galla illud in primis probat, non competere Biasuccio appellationis Beneficium, cum in allegato Tridentini Loco nulla appellandi a Praebendae Theologalis collatione concedatur potestas. Sed ulterius pergit, et hanc potestatem illi concedit; sed ea uti posse negat, cum idoneo tempore illam non interposuerit. Enim vero interponi debet intra decem dies a die collationis juxta Enciclicam a S. Congregatione vulgatam *anno* 1721. probante Clemente XI. et confirmatam a Bened. XIV. in Const. *Cum illud* ita ut irritum declaretur quidquid contra normam illius gestum sit. Quam praxim sequuta est eadem S. Congr. dum *in Feretrana Parochialis* 8. *Februarii* 1783. appelpellationem a relatione Examinatorum, et judicio

Epi-

Episcopi irrationabili rejecit, quia post elapsum mensem a judicio proposita fuit.

Post autem praevaricationis notam ab Examinatoribus propulsatam, ad judicium accedit Episcopi, quod nullimode irrationabile dici posse tuetur. Namque Episcopus tenetur eligere quem magis idoneum juxta Tridentinum *loc. cit.* caeteris judicaverit. Sufficit ergo, ut unus sit ex approbatis in Concursu licet minori suffragiorum numero donatus, ut definitum a S.Congregatione tradit *Gallemart. in Sess. 24. et 18. S. Conc. Trid. verb. caveantque*. Non autem tenetur sequi Sententiam Examinatorum eum eligendo, qui omnia suffragia reportavit, ut eadem S. Congregatio declaravit in *Hortana Parochiae 28. Martii* 1801. Deinde dignitatem non ex sola scientia dimetiri debere respondit *in Urbanien. Praebendae Theologalis 2. Junii* 1764. §. *Digniorem*, sed spectandas esse eligendi qualitates, aetatem, mores, prudentiam, extimationem, quas poenes Clericos, et Laicos eligendus fruatur. Imo in *Cajacen. Praebendae Theologalis die* 14. *Januarii* ejusdem anni probatum est judicium Episcopi, quamvis ab aliis concurrentibus velut irrationabile traditum, qui Julio Morono Theologalem Praebendam contulit, qui in concursu declaratus fuerat quoad *scientiam demisse, quoad requisita vero excellentius*. Nullimode ergo dici posse concludit judicium Episcopi irrationabile, cujus favore semper est praesumendum, et ad quod labefactandam gravissimae requiruntur probationes *Fagnan. in Cap. cum se de eatat et qualit. providen. Ansald decis.* 429. *Num.* 29., *et decis.* 429 *Num.* 19. *coram Araldo S. Congr. in Assissien. Parochialis* 27. *Novembris* 1773. §. *substineri*.

Agitur in II. *Dubio* An Praebenda Theologalis sit adjudicanda Aloysio Biasucci. Canonici La Galla Defensor breviter ad ea quae huc usque dixit sese remittit, et nullimode Biasuccio Theologalem Praebendam dandam esse concludit, tum quia non constat de mala Examinatorum relatione, et irrationabili decreto Episcopi, tum quia hoc etiam concesso tempore habili interposita non est appellatio. Biasucci e contra Defensor ob dignitatem, qua hic

in concursu praecelluit Canonico La Galla, Clienti suo adjudicandam esse contendit ex Piana Constit. *In conferendis*, ex pluribus S. Congregationis coacervatis definitionibus, et doctorum sententiis, et Rotae decisionibus. At hic redeunt quae pro *La Galla* in primo Dubio allata sunt, nimirum simplicem dignitatem tanti non esse, quae ab alterius Concurrentis Requisitis vinci non possit. In impressa Allegatione Vobis distributa sub hoc dubio fuse pertractat Advocati Biasucci Defensor de exceptionibus ab Episcopo contra eumdem propositis, quas elidere conatur.

Fructuum restitutionem respicit III. *Dubium*, cujus definitio pendet a Praecedentium resolutione hinc ex iis, quae in precedentibus dubiis dicta sunt uterque ex contradictoribus affirmat, vel negat fieri restitutionem debere.

Tria itaque proponuntur Dubia

I. *An constet de mala relatione Examinatorum, et irrationabili judicio Episcopi in casu etc.*

Et quatenus affirmative.

II. *An Praebenda Theologalis Ecclesiae Setinae sit adjudicanda Advocato Aloysio Biasucci in casu etc.*

Et quatenus Affirmative.

III. *An, et a quo tempore sint restituendi fructus in casu etc.*

Ad I. Negative.

Ad II., et III. Provisum in primo.

Sess. 24. Cap. 18. de Reform.

FIRMANA IMMISSIONIS - Anna Scipioni, ex Oppido Pinnae Firmanae Dioecesis Tabulis Anni 1721. universalem haeredem instituit - *la Cappellania di Juspatronato, o celebrazinne di Messe nell' Altare del-*

della Visitazione delli tre Magi, eretta nella Chiesa di S. Francesco di detta Terra di Penna, li Signori Sacerdoti Cappellani per i tempi della suddetta Cappellania di Juspatronato - quae onera Capellanis pro tempore eligendis imponeret, ita declaravit - *coll'obligo a ciascuno di essi di dover celebrare ogni anno, e far celebrare nel giorno della Festa dell'Epifania nel medesimo Altare cinque Messe basse, ed una cantata etc. celebrare, e far celebrare altre dieci Messe basse nel giorno della Festa di S. Felice.* -

Primum Capellanum nominavit ipsa Testatrix in haec verba - *Primo Cappellano nomino uno de' Figli del Sig. Giacomo Scipioni mio Cugino, che in tempo di mia morte fosse Sacerdote, o almeno ordinato in Sacris, con che debba venire ad abitare qui nella Penna, e non venendo, o non avendo detti ordini Sacri, in suo luogo nomino, e deputo Cappellano il Sig. D. Antonio Francesco Joddi di questa Terra sua vita durante.* - Exhausta prima nominatione, ne quid dubii de sua voluntate relinqueret, Pia Testatrix separata oratione primum de *passivo*, postea de *activo* Jurepatronatus disposuit. Enim vero de Passivo jussit. - *Seguita la morte di detto Signore Joddi ordino, che sia Cappellano quel Sacerdote, che avrà più voci nella nomina da farsi da quelli, che in appresso saranno da me eletti a dar dette voci, con questo però, che questi possino rimoverlo, o rimoverli ogni volta, che fosse promosso al Sacerdozio alcuno dei Figli del Sig. Giuseppe Silvio Rioli mio attinente, volendo che li Figliuoli di detto Sig. Rioli siano preferiti ad altri, e siano respettivamente Cappellani subito celebrata la Messa.*

Ad activum vero gradum faciens firmo semper manente - *che siano sempre preferiti li Figli di detti Signori Rioli* - voluit - *che la nomina del Cappellano per il tempo spetti al Sig. D. Giuseppe Scipioni esso vivente non però da estendersi ai suoi Eredi, al Sig. Giuseppe Silvio Rioli suddetto, al sopranomato Sig. Gaetano Vecchi Buratti, ed al Sig. Alessio Vecchi, mio Attinente, e dopo la di lui*

 mor-

morte alli loro discendenti Maschi, ed in mancanza della Linea Mascolina, le Femine da loro discendenti in infinitum.

Satis certo non constat, quid actum fuerit post decessum primi Capellani a Testatrice nominati. In confesso tamen est inter partes Capellaniam, ejusque bona mansisse in Familia Rioli, in qua duo inveniuntur Sacerdotes, quorum primus nomine Aminta filius Josephi Silvii, alter Joseph ejusdem Nepos, qui diem vidit extremum anno 1800. quo tempore nullus aderat in Familia Rioli Sacerdos. Nam non ante annum 1807. constitutum apparet Patrimonium Sacrum Scut. 40. favore Constantini ab ejus Consobrino Philippo Rioli, quae pecuniaria annua praestatio anno 1811. ope transactionis conversa est in assignationem Fundi ex iis, qui ad praedictam Capellaniam spectabant, quique ab obitu ultimi Possessoris, nimirum ab anno 1800. possidebantur a prædicto Philippo ejusque filiis, licet nemo in Sacris Ordinibus esset constitutus. At in uno, alteroque actu nullam Constantinus emisit renunciationem passivo juripatronatus. Hinc anno 1816. a SSmo postulavit, ut non obstante transactione Bona omnia ad Capellaniam Scipioni spectantia sibi attribuerentur, tamquam unico qualificato ex prædilecta Familia Rioli, quia Sacerdotis; ex altera vero parte Joannes, Carolus, et Venantius postularunt manuteneri in eorundem bonorum possessione, utraque instantia ad Emum Archiepiscopum remissa votum suum aperuit favore Sacerdotis Constantini.

Nam proinde (ita ait Emus Archiepiscopus) sententiam EE. PP. aperiens, illud asseram possessum Capellaniæ Scipioni Sacerdoti Constantino Rioli jure convenire, sive testamentaria dispositio Institutricis inspiciatur, sive etiam transactio spectari velit, quæ anno 1811. inter ipsum Constantinum, et Fratres Adversarios statuta fuit. Cum vero fundatrix æque voluerit Capellanum pro tempore in Oppido Pinnæ Sancti Joannis existere; atque onera injuncta per seipsum adimplere debere, hujusmodi dispositioni Sacerdos Costantinus satisfacere debebit eo ipso, quo supremo istius Sacræ Congregationis Judicio in realem

iem possessionem immissus fuerit Capellaniæ Scipioni.

Tunc contestata est lis, et conciliata Dubii formula, Causa hodie proponitur cum Allegationibus hinc inde distributis, quas summatim referam.

Constat de de jurepatronatus ex Tabulis Testamentariis Annæ Scipioni, ex quibus Sacerdos Constatinus Rioli suum jus pro obtinenda institutione mutuatur. Porro distinguendum est inter jus activum, et jus passivum, nec unum cum altero confundi licet ubi aperta facta est inter utrumque differentia. Enim vero post consumptam primi Capellani nominationem ab ipsa Testatrice factam, vocati sunt ad Capellaniæ compendium Filii, ac Descendentes a Josepho Sylvio Rioli; tantaque fuit in eos Testatricis prædilectio, uti si quis extraneus in Capellaniæ possessione, et exercitio ex legitima nominatione reperiretur, ab ea arceretur statim ac quisquam ex contemplatis filiis Rioli Sacerdotali Caractere fuisset insignitus = *Ordino che sia Cappellano ec. quel Sacerdote, che avrà più voci nella nomina da farsi da quelli, che in appresso saranno da me eletti a dar dette voce, con questo però, che questi possino rimuoverlo, o rimuoverli ogni volta, che fosse promosso al Sacerdozio alcuno de figli del Signor Giuseppe Silvio Rioli mio attinente volendo, che li Figliuoli di detto Sig. Rioli, siano preferiti ad altri, e siano respettivamente Cappellani subito celebrata la messa* =

Certum in facto est unicum esse in Familia Rioli Sacerdotem nomine *Costantinum*, in quo utrumque requisitum, a Defuncta volitum concurrit tum descendentiæ ex Joanne Sylvio, tum qualitatis Sacerdotalis; ipsi igitur debetur immissio, cæteris repulsis, qui licet sint da Familia Rioli, nondum tamen sunt *in Sacris* constituti. Ubi enim concurrit aperta lex fundationis, et indubia Piæ Testatricis voluntas, eo omnino Servari decet ad tradita per Rot. *in recent. decis.* 321. *num.* 2. *part.* 10.

Inutilis vero instauratur quæstio de jurepatronatus activo, et an Franciscus Xaverius Sacerdotis Costantini Pater a jure nominandi ceciderit, ex quo extra oppidum Pinnæ suos fixerit lares. Id enim inquirendum

dum esset, si disputatio versaretur inter plures Præsentatos, ita ut supputari deberet numerus vocum. Tunc certe inquirendum esset, an nominationis compendium Descendentibus a Sylvio Rioli divideretur in stirpes, vel in Capita, an nimirum tres filii ex Philippo unica tantum potirentur voce, tamquam descendentes ex Joanne Jacobo, et altera vox spectaret Constantino uti Filio Francisci Xaverii; an e converso tot essent numerandæ voces quot masculi Familiæ Rioli. Tunc inquirendum, an tempore ultimæ vacationis, nimirum anno 1800. Franciscus Xaverius extra oppidum Pinnæ suum haberet domicilium, ita ut jus nominandi amisisset. At in præsenti Casu, in quo nulla facta est nominatio, et constat de certa passiva vacatione Sacerdotis Costantini, rejecta quavis de activo jurepatronatus disputatione, eidem immissio danda est. Qui enim præ cæteris omnes pro se habet qualitates a Fundatrice præscriptas, habetur pro præsentato, etiamsi nulla concurrat Patronorum nominatio, tanquam ab ipsa Fundatrice vocatus; ita respondit Rota *in Farfen. Bonorum* 11. *Februarii* 1664. *§.4. coram Vicecomite, et in Civitatis Plebis Cappellaniae 22. Junii* 1668. *§.2. Coram Carpineo.*

Cum vero Causa agatur inter Masculos Rioli, qualitas Sacerdotalis prælationem tribuit Constantino tum ob expressam, tum ob tacitam defunctæ voluntatem, semper enim, cum Anna Scipioni Capellanos nominavit, iis qualitatem Sacerdotalem adjecit = *Li Signori Sacerdoti Cappellani pro tempore = nomino uno de' figli del sudetto Sig. Giacomo Scipioni, che in tempo della mia morte fosse Sacerdote, o almeno ordinato in Sacris = volendo che li figliuoli di detto Sig. Rioli siano preferiti, e siano Cappellani subito celebrata la Messa. Tale elezione debba sempre farsi in persona di Sacerdoti* = Id ipsum colligitur ex onere injuncto Capellanis eligendis, ut per seipsos Missas celebrarent = *coll' obligo a ciascun di essi di dover celebrare in detto Altare sei Messe il Mese* = data tantum facultate alios vocandi Sacerdotes his diebus, in quibus plures erant celebrandæ Missæ = *di celebrare, e far celebrare nel giorno della Festa dell' Epifania altre cinque Messe, ed inoltre nel giorno della Festa di S. Felice celebrare,*

e far

e far celebrare altre dieci Messe basse = Ex quo sane discretivo loquendi modo colligitur Testatricem voluisse in Capellanos eligi Sacerdotes, qui per se ipsos offerrent Sacrificia, ducto argumento a discretiva quæ plurimum valere ad interpretandis Defunctorum voluntates tradidit Rota in *Ariminen. Divisionis 7. Martii 1755. coram Caprara. Camerinen. Primogeniturae 12. Maii cor. Figuer. Bononien. Successionis 10. Jun. 1757. Herreros.*

Id ipsum evincitur ex præscripta conditione, ut Capellani continuo manere deberent in Oppido Pinnæ, ut impositis oneribus satisfacere possent indulta duorum tantum Mensium absentia = *con lasciare però altro Sacerdote ad officiare in luogo dell' assentato* = Si ergo Testatrix voluit ut ex genere vocatorum ad passivum Juspatronatus eligerentur Sacerdotes, aut saltem in Sacris constitutos, sequitur ut cum ex contendentibus unicus sit Sacerdos Constantinus eidem tum ob expressam, tum ob interpretativam Defunctæ voluntatem debeatur ad Capellaniam immissio. Quin Constantino obesse possit quod filius sit Francisci Xaverii, qui jamdiu ab Oppido Pinnæ discessit, suosque Lares fixerit Mathelicæ. Probe enim distinguenda est voluntas Testatricis quoad jus activum, et quoad jus passivum. Quoad primum jurisnominandi compendio donavit eos = *che dimoreranno in tempo della vacanza in quella Terra, e non gli altri, che dimorassero fuori di essa* = Quo vero ad jus passivum haud imposuit legem, ut nominarentur ii, qui Domicilium in Oppido Pinnæ haberent, sed tantum adjecit conditionem, ut nominatus intra duos menses = *debba venire ad abitare quì nella Penna* =

Nec Sacerdoti Costantino obesse posse contendit illius Defensor, quod ab anno 1800. bona Capellaniæ possideantur a tribus Filiis Philippi Rioli, cum nullus titulus eis suffragari queat, obstante expressa Testatricis voluntate, quæ non Laicos, sed Sacerdotes vocavit; nec concurrat bona fides, quæ excluditur ex assignatione prius Patrimonii Sacri in annuis scutis quadraginta favore Costantini, et dein ex traditione fundi spectantis ad Capellaniam, ex quibus actis deducit Philippum, ejusque filios agnovisse jus, quo Constan-

stantinus potiebatur, ut ad Capellaniam nominaretur. Hinc deducunt tam brevis temporis possessionem sine titulo, et sine bona fide, nec præscriptionem inducere, nec esse manutenendam.

E contra Defensor Fratrum Rioli (in cujus manus nescio quomodo pervenerit Allegatio pro Costantino) negat ex Testamenti Tabulis deduci vocationem Sacerdotis Constantini. Ait enim Defunctam prælationem dedisse Familiæ Rioli tum in activo, tum passivo jure patronatus, sed sub lege incolatus in Oppido Pinnæ; cum ergo Franciscus Xaverius Pater Costantini concesserit in Oppido Montis Ulmi, et ipse Constantinus Mathelicæ moretur, sequitur ut primus a jure nominandi, alter a Compendio nominationis arceantur.

Addit insuper sibi onus non incumbere tuendi Clientum Possessionem vel ex notissimis Regulis Cancellariæ, vel ex præscriptione, cum ipsis satis sit ex non jure Actoris consequi victoriam. Cæterum illorum vocationem deducere conatur ex eo, quod cum Clientes sint ex prædilecta Familia Rioli, domicilium in Oppido Pinnæ habeant, et oneribus Capellaniæ satisfaciant. Quam quidem vocationem confirmant tum longa possessio Bonorum Capellaniæ petita ab anno 1800, tum agnitio ipsius Sacerdotis Costantini, qui uno, alteroque actu postulavit ab ipsis, eorumque Patre constitutionem Patrimonii Sacri, quin aliquid de jure passivo ad Capellaniam mussitaverit.

Negat demum hanc Capellaniam dici posse Sacerdotalem. Eam enim ipsa Testatrix Laicalem dixit in Supremis Tabulis = *voglio, ed ordino che sia Laicale* = Injunxit quidem onus celebrationis Missarum, cui tamen oneri per alium ita suppleri potest, ut retenta Laicali qualitate conferri possit Capellania simplici Clerico quatuordicim annorum, quin ex injuncto onere celebrandi Missas ipsa Capellania Sacerdotalis evadat ad tradita per *Fagnan. Coment. in lib. Decret.* 1, *Cap. ut Abbates num. 60. et seqq. Altograd. cons. 70. num. 62. et Rota coram Bischio decis.* 58. *num.* 6. *et coram Olivatio decis.* 119. *num.* 13.

Ex his ab utraque parte deductis dignentur Emi Patres dirimere.

Du-

Dubium

An, et cui sit danda Institutio, seu potius manutentio in casu etc.

Affirmative, ad primam partem favore Sacerdotis Constantini Rioli, negative ad secundam, et amplius.

VERULANA ERECTIONIS MONTIS PIETATIS. In Congregatione diei 30. Maii proxime præteriti proposita hac Causa placuit Emis Patribus respondere = *Dilata, et proponatur alia methodus ad formam Constitutionis S. M. Leonis X. Inter Multiplices* = Novas statim obtulit preces Canonicus Fulvius Perciballi postulans, ut pro expensis tum localis, tum Ministrorum aliquod interusurium exigi permitteretur, quod non excederet duodecimam Rubri partem. Iterum exquisivi ab Episcopo ejus sententiam audito Capitulo, utque referret *de annua impensa administrationis, et interusurio necessario pro iisdem sumptibus ad formam Constitutionis S. M. Leonis X. Inter Multiplices*. *Sess. 25. Cap. 8. de Reform.*

Novam Episcopi informationem per extensum refero = „ Audito Capitulo super annuas administrationis expensas Montis Frumentarii, de quo in adjunctas „ preces, nec non Interusurium necessarium pro iisdem sumptibus, compertum fuit, Administrationem hujusmodi onus sibi assumere persolvendi quolibet anno Rub. unum cum dimidio Frumenti, et „ scutata sex monetæ pro inservientibus, et locale; et „ ad hoc ut illæ supportentur, Interusurium percipiendum fore saltem in sexta parte cujuslibet Rubri, scilicet Cupparum duarum, nec sufficiens esse. Ex Capitale enim quinque Rubrorum oriretur „ augmentum Cupparum decem, insumendum est, „ ut supra, Rubrum unum cum dimidio æquivalens „ Cuppis decem et octo, proindeque deficerent Cuppæ octo. Verum etiam est, quod ex frumento Si-

 „ cule

„ culo perciperetur aliud augmentum Capparum de„ cem, sed demptis octo, et duæ tantum superessent „ vendendæ, quæ tamen non conficerent summam „ Scutorum sex impendendam pro affictu Localis.
„ At quoniam reliqui Montes Frumentarii Civitatis, et „ Dioecesis Canonice erecti loco sextæ partis, quam „ antea perceperant, duodecimam exigunt, Capitu„ lares ipsi meo se subjecerunt consilio, convene„ runtque, satis esse Interusurium Cappæ unius pro „ quolibet Rubro, et si quid supplendum ex respe„ ctivis proventibus detrahendum statuerunt. Quod „ dum tramites calcat Constitutionis S. M. Leonis X. = „ Inter Multiplices = Capitularium commiserationem „ ostendit, pietatemque erga Ecclesiæ Colonos Paupe„ res, miserrimosque, atque proinde si mea non me „ fallit opinio approbandum a Sacro Consessu, san„ ciendumque existimo, et exoro „.

Dubium iterum proponitur.

An, et pro quo interusurio, et quomodo sit probanda erectio Montis Frumentarii in casu etc.

Non proposita cum sequen.

Sess. 23. Cap. 16. de Reform.

NUCERINA RESIDENTIAE, ET SUSPENSIONIS.

Nucerinæ Dioecesis Sacerdoti Seculari Gervasio Aleandri, dum Theologiam dogmaticam in Episcopali illius loci Seminario legebat, Rectorisque gerebat vices, annua pensio Scutorum quadraginta præter mensam persolvebatur. Pluries ab Episcopo pensionis augmentum petiit sui, suæque familiæ exponens angustias, præsertim ut aes alienum contractum dimittere posset. Cum autem nulla ei spes affulgeret ad meliores ibidem fortunas transeundi, Rethoris, ac Rectoris munera in Seminario Tudertino sibi proposita obire deliberavit.

Ali-

Aliquis, inter ipsum, et Episcopum intercessit tractatus, sed sine fructu; donec ipse Episcopus vetuit *die* 13. *Septembris anni* 1816. ne a Dioecesi discederet Suspensionis interminata poena ipso facto incurrenda, et sibi reservata absolutione. Supplex, sed frustra, Aleandri Episcopum adiit, ut exoptatam veniam obtineret. Querelas hinc ad S. Pontificem detulit, quas ad S. Congregationem delegatas ad Episcopum die 21. Septembris remisi pro Informatione. Cum has non accepisse fuerit testatus Episcopus Informatio habita non est; expeditæ iterum sunt urgentiores, et tunc elapso jam fere anno privatam tantum mihi dedit Epistolam sub die 1. Septembris præteriti anni. Interea cum ineunte Mense Novembris in Seminario Tudertino Rethoricam legere deberet Sacerdos Aleandri *die* 28. *Octobris* Theologorum adscito consilio illuc se contulit, sequenti vero *die* 29. ab Episcopo Nucerino expeditæ fuerunt Litteræ, in quibus eum confirmabat Vicarium Foraneum Sigilli, coadjutorem Parochi, præceptum addens, ne hujusmodi munera desereret, et ne a Dioecesi abiret sub Canonicis poenis eo ipso incurrendis,

Prænotandum in facto est Sacerdotem Gervasium, dum adolescens erat in Nucerino Seminario annuo soluto convictu studiis operam dedisse, biennio munus Præfecti *Alumnorum* obiisse, soluta pensione per sex tantum menses; quoad reliquum enim tempus eam remisit Episcopus Massajoli in præstiti officii, et obedientiæ præmium; Vacans Poenitentiarii munus, licet nondum esset Sacerdos, per concursum obtinuisse, et illico ad Sacerdotium promotum fuisse ad *titulum Patrimonii Sacri*. Ast ob adversam valetudinem ea Præbenda in manibus Episcopi post decennium resignata, Sigillum secessit, ubi ludi Magister fuit, postea ad Moniales Fossati ab Episcopo tamquam extraordinarius Confessor delegatus; Patriam deinde repetens Vicarii Foranei munus exercuit, et Germanum Fratrem in Cura Animarum coadjuvit nullis tamen ab Episcopo pro utroque munere expeditis Litteris patentalibus, nisi postquam a Dioecesi migraverat, quæ officia deseruit cum ad Theologiam in Seminario legendam fuit accitus. Nulli hinc erat speciali Ecclesiæ Dioecesis addictus.

Post ejus discessum a Dioecesi casum S. Poenitentiariae Nucerinus Praesul, reticito Aleandri nomine, proposuit, responsumque accepit Sacerdotem, de quo agebatur, *incurrisse in suspensionem*, *si vero eam contempserit*, *etiam irregularitatem*, *et teneri Episcopo Nucerino subesse*, *et obtemperare*. Hoc audito responso Sacerdos a Sacris peragendis se abstinuit, cum antea Episcopi decretum nullam vim habuisse autumaverit, et S. Poenitentiariae exposuit, in casu ab Episcopo proposito reticitum fuisse, recursum datum ad S. Sedem, antequam a Dioecesi abiret, et discessum nulla servata forma indictum fuisse. Hinc a S. Poenitentiaria absolutionem a censuris *quomodolibet* contractis obtinuit, firma remanente suspensione celebrandi in Diaecesi Nucerina, usque ad rerum cum Episcopo compositionem, in finitimis Dioecesibus vero private tantum celebrandi potestas facta est ad sex menses a die 11. Martii datae concessionis computandos.

Haec est facti series, quam fusius noscent EE. PP. ex memoriali facti, ac juris, cujus distributionem imploravit Aleandri. Interea sub duplici dubio, quae ab hoc afferantur, cujus partes sequitur Tudertinus Antistes, et quid Nucerinus Episcopus in privatis quibusdam foliis proferat, breviter perstringam.

Quaeritur in *primo Dubio* an praeceptum Episcopi Nucerini tum *diei* 13. *Septembris*, tum 29. *Octobris* 1816. sustineatur, seu potius facultas competat Gervasio Aleandri a Nucerina Dioecesi Episcopo dissentiente discedendi. Nullam in primis vim habere autumat Aleandri Defensor utrumque Episcopi praescriptum cum utrumque manifesta *injustitia* laboret. Nullo siquidem jure cautum est, Episcopos posse cogere ad residentiam qui beneficia *residentialia* non habent, ad tradita per *De Martinis Resolut. Jur. lib.* 1. *c.* 107. *num.* 1. *et seq.* Quod si cogi non possunt ad residentiam stricto jure qui simplicibus beneficiis fruuntur, multo minus cogi poterunt, qui ad titulum Patrimonii Ordines Sacros susceperunt juxta eumdem *De Martinis loc. cit. num.* 3. *Pignattell. Consult.* 56. *tom.* 3. *num* 22.

Gar-

Garziam p. 3. c. 2. num. 4. et seq. Invalidum autem omnino esse contendit tum praeceptum *diei* 13. *Septembris*, quia formae ab Innocentio IV. praescriptae in *Conc. Lugdunensi, et in cap. cum Monasterii de Sent. Excom.* servatae non fuere, tum alterum praeceptum editum *die* 29. *Octobris*, quia jam pendebat recursus ad Summum Pontificem, ut definivit Sac. Congreg. in *Amalphictana* 19. *Augusti* 1734.

At Episcopus decretum profert Concilii Tridentini quod - *Vestigiis VI. Canonis Concilii Chalcedonensis inhaerendo statuit, ut nullus in posterum ordinetur, qui illi Ecclesiae aut pio loco pro cujus necessitate aut utilitate assumitur non adscribatur, ubi suis fungatur muneribus, nec incertis vagetur sedibus. Quod si Locum inconsulto Episcopo deseruerit, ei Sacrorum exercitium interdicatur* - Quod si haec adscriptio Alcandri peracta non est in actu Ordinationis anno 1794. ab Episcopo Massajoli, facta posterius a se fuit anno 1804. juxta Innocentii XIII. *Const. Apostolici Ministerii, et Concilii Rom. anni* 1752. *titulum* 6. cum eumdem Poenitentiarii munus dimittentem Dioecesis, et praesertim Sigilli Ecclesiae servitio adscribendi intentionem habuerit; quod consonum erat Decreto Sacrae Visitationis *diei* 17 *Septembris Anni praecedentis* 1803. a se lato, ut in posterum unusquisque in Ordinatione adscriberetur servitio Paroeciae, vel alterius loci arbitrio Ordinarii, et in Actis Ordinationum per modum regulae adderetur poenarum incursus, quae a S. Canonibus servitium deserentibus comminantur.

At contra Sacerdos Alcandri putat, ex eo Tridentini *Textu*, ad residentiam se cogi non posse, quia nulli Ecclesiae in Praebendae dimissione adscriptus fuit. Deest enim hujus adscriptionis actus, cui suppleri non poterat nec per simplicem Episcopi intentionem, nec per delegationem eorum omnium munerum, quae idem Sacerdos obivit. Haec enim diversas respiciebant Ecclesias, nec ad Ordinem proprium pertinebant, cum adscriptio uni Ecclesiae in proprio Ordine fieri debeat ex *Bened. XIV.* de

de Syn. dioec. lib. 11. *c.* 2. *num.* 13. Sed neque adscribi potuisse sustinet decreto 29. Octobris ob recursum ad S. Sedem delatum. Hinc sustinet potuisse a dioecesi discedere etiam repugnante Episcopo juxta sententiam *Pignatell. tom.* 3. *consult.* 56. *num.* 3. *Garz. de Benef. par.* 2. *c.* 5. *num.* 102. *Gallemart. declarat. ad Conc. Trid. Sess.* 23. *cap.* 16. *De Reform. et S. hujus Congr. in Eugubina seu Nullis* Nonantulae *Concordiae* 21. *Jan.* 1797. Nec sibi obesse addit Visitationis decretum quod futuros respicit Ordinandos, minime vero praeteritos, in quorum albo ipse reperiebatur.

Ulterius autem progrediens et adscriptione etiam aliquantisper concessa ostendit Tridentinum ibi loqui de iis, qui *inconsulto Episcopo* discedunt. Quod si veniam petat Sacerdos, eamque Episcopus *injuste* deneget, adscriptus ad residentiam non tenetur ex *De Martinis loc. cit. num.* 8., in quo quidem differt adscriptio Concilii Chalcedonensis ab adscriptione Tridentini ut late disserit Bened. XIV. de *Syn. Dioec. lib.* XI. *Cap.* 2 *num.* 8. *et seq.* Nam requiritur *justa causa* denegandi discessum adscripto, cui praeterea tenetur congrue providere Episcopus *ex Nigoglio Lucubr. Can. lib.* 1. *num.* 22. *num.* 3., *et Card. de Luca disc.* 2. *adnot. ad Conc. Trid. num.* 4. Justa autem causa haberi non potest ut quis Dioecesi deserviat, cum adscriptio uni tantum fieri debeat Ecclesiae, et necesse est, ut Ecclesia cui quis adscriptus est sit omnino destituta, et tunc cogi potest ad residentiam simplex Sacerdos adscriptus, etsi residentiale non habeat beneficium *De Martinis loc. cit. lib.* 1. *cap.* 107. *n.* 4. Hanc necessitatem in facto non militare pro Ecclesia Sigilli deinde probat, quia quinque ad excipiendas Confessiones nunc adsunt Sacerdotes, et ab ea pluries abfuit Aleandri. Ad Emolumentum autem ab Episcopo illi propositum animadvertit, hoc licet impar ad subveniendum Oratoris ejusque familiae indigentiis, attamen pro muneribus, non pro adscriptione Ecclesiae fuisse propositum.

Quaeritur in II. Dubio, utrum in Irregularitatem inciderit Aleandri, ita ut sit consulendum Sanctissimo

mo pro absolutione saltem ad Cauthelam. Certum in jure est Censuris irretitum, qui ordinem exercet, incidere in Irregularitatem *ex Text. in Cap. 3. de poenis*. Inquirendum ergo potius utrum ex eo Episcopi decreto reapse suspensus remanserit Sacerdos hic, qui discesserat, ex iis quae allata sunt in superiori dubio. Sacra enim Congregatio in ea est sententia, non incidi in Irregularitatem ex violatione manifeste injustae suspensionis, ceu definivit *in Montis Altis Suspensionis, et Irregularitatis*, 15. *Sept.* 1800. *ad I., et II. Dubium.* Cum tamen nonnulli adsint doctores, qui docent in Ecclesia Militanti ligare Censuras, etsi injuste prolatas cumque forsan obstare posset S. Poenitentiariae factum, quae absolutionem ad sex Menses tantum concessit. Vestrum erit decernere num absolutioni saltem ad cauthelam sit locus.

Duo igitur erunt dirimenda dubia.

I. *An praeceptum Episcopi Nucerini dierum 13. Septembris et 29. Octobris 1816. sit observandum in casu etc.*

II. *An constet de irregularitate incursa a Presbytero Gervasio Aleandri, seu potius sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate pro cauthela tantum in casu etc.*

NUCERINA SUSPENSIONIS. De inflicta suspensionis poena pariter conquestus est contra Episcopum Nucerinum Sacerdos Salvator Biaschelli usque a Mense Aprilis 1816. Placuit huic Antistiti post suum ab exilio reditum, cogere omnes qui tempore suae absentiae ad Sacros Ordines evecti fuerant, revocare ad Dioecesanum Seminarium, ubi tum morum, tum scientiae specimen darent, donec ab ipso Episcopo dimitterentur. Sacerdos Biaschelli, qui jam extra Dioecesim morabatur, et in altera Fabrianensi beneficium obtinuerat, huic Episcopi mandato acquiescere noluit, et hinc causa inflictae suspensionis, quae per litteras Pro-Vicarii Generalis indicta est his verbis — *Ad onta delle re-* *Sess. 25. Cap. 13. de Reform.*

pli-

plicate ambasciate fatte per ordine di Monsignor Vescovo al Signor D. Salvatore Biaschelli affinchè si recasse in questo Seminario, come han dovuto fare alcuni altri Preti giuniori, pure siamo già alli 2. corrente, e sono incominciati ancora gli esercizj, e tutt'ora non si vede. Rincresce ciò, e disgusta al maggior segno lo stesso Monsignor, il quale mi commette perciò a scrivere a Lei, e di ordinarle d' ingiungere al detto Signor D. Salvatore, che se nel termine di due giorni dal momento, ch'Ella ciò gli parteciparà, e che farà sul momento anche un'espresso a di lui carico, non si troverà qua in Seminario, sia sospeso ipso facto dalla celebrazione della Messa -

Hic Sacerdos Biaschelli, dum in minorili versabatur aetate, septennii spatio in Dioecesano Clericorum Seminario vixit soluta pensione, et ad titulum Patrimonii Sacri a suo Ordinario Ordinem subdiaconatus recepit. In litteris Testimonialibus diei 3. Septembris 1808. haec habentur - *Die 28. Augusti D. Salvatori Biaschelli de Villa Costae Arceriae nostrae Dioecesis V. Seminarii alumno examinato, et admisso ob servitium suae Parochialis Ecclesiae, vel alterius arbitrio nostro, Sacrum Subdiaconatus ordinem ad titulum Patrimonii Sacri rite contulimus. Quod si dictum servitium deseruerit, atque, e Dioecesi nostra animo non breviter redeundi nobis, et Episcopis Nucerinis pro tempore improbantibus deseruerit., SS. Canonum ac presertim Tridentini Concilii, et Concilii Romani poenas nunc pro tunc incursurum monemus, atque declaramus* - Quae quidem verba *per modum regulae* adduntur in ea Dioecesi actis promotionis ad Sacros Ordines ex decreto moderni Episcopi Nucerini in prima Visitatione lato sub die 17. Septembris 1803.

Expletis studiis, et jam maturus aetate cum non posset Sacerdotii Ordinem a proprio Episcopo accipere, quippe quia jam ab invasoribus pulsus fuerat in exilium, praeviis Dimissorialibus litteris de licentia ipsius Episcopi a Vicario Generali subscriptis, ad Fabrianensem Episcopum sese contulit, qui rite ei manus imposuit die 9. *Augusti* 1812. Paulo post requisitus a Vicario Generali, ut tanquam Oeconomus vacantem Gualdi Paraeciam ad-

administraret, ubi rescivit a tunc temporis Magistratu, qui dicebatur *Maire - l'Ordine, che l'obbligava al Giuramento il detto Signor Biaschelli francamente rispose, che quando un tal'atto fosse inevitabile egli non credeva accettare il nuovo officio, ed in fatti senza altre riserve se ne partì.* Tunc statim petiit oppidum = *La Genga* = in Etruria positum, sed subjectum Diœcesi Fabrianensi, a Feudi Dominis ad Capellaniam ibi Residentialem nominatus est, ibi usque in hanc diem est commoratus. Sed cum transacto uno alteroque anno vellet, ut propriis, et Genitorum consuleret negociis, se se ad Patriam conferre, supplex hanc adiit S. Congregationem, ne ob indictam suspensionem quidquam molestiarum ab Episcopo Nucerino pateretur. Ejus preces sub die 27. Aprilis 1816. ablegatæ sunt utrique Episcopo nimirum NUCERINO, ut referet *de Canonica Oratoris promotione ad Sacerdotium, de ejusdem idoneitate ad exercitium Ordinis, et Causa indictae suspensionis* = *FABRIANENSI* ut pariter referet *de Canonica Oratoris promotione ad Sacerdotium, de ejus vita, et omnibus, et officio aut Beneficio obtento in Diaecesi, ex quo se nequeat conferre ad ad Convictum in Seminario Nucerino.*

Paruit mandatis Episcopus Fabrianensis ita in suis litteris referens = Ut vero de iis referam quæ signanter „ mandant EE. VV. RR. id certissime constat Oratorem vigore litterarum dimissorialium per R. D. „ Laurentium Moroni, Episcopo tunc temporis absente, Pro-Vicarium ejus generalem in Civitate Nucerina specialiter Deputatum expeditarum; cum facultate „ insuper eumdem ordinandi extra tempora ab Apostolica Sede vigore rescripti Pontificii in præfatis litteris dimissorialibus enunciati impetrata sub die 9. Augusti „ anni 1812. prout in precibus Orator ait, ad Sacrum Presbyteratus Ordinem rite, ac legitime fuisse „ a me promotum.

„ Post hæc, sequenti scilicet anno 1813. ad quandam „ Capellaniam nutu amovibilem, seu ejus exercitium a DD. de Montauto de Civitate Aretina in „ Etruria, Castri *Genga* in mea hac Fabrianensi Diœcesi Condominis electus ibidem ab eo tempore „ semper commoratus est, et commoratur in præsens, et Fidelium confessiones, prævio, ut moris

„ est , examine super idoneitate per Examinatores „ a me Deputatos peracto , et ipso insuper Nu- „ cerinæ Diœcesis Pro-Vicario Generali , qui tunc „ temporis Fabriani aderat , oretenus super ejus „ moribus audito : atque iterum etiam in concursu , „ cujusdam Parœciæ repertus sufficenter idoneus , et „ approbatus , ibidem non solum plurima Missarum „ onera ad præfatam Capellaniam spectantia adim- „ plet, sed etiam Parochum , et in Confessionibus „ audiendis , et in Populo instruendo , aliisque Sacris , „ et Ecclesiasticis Functionibus,et Paræciæ muneribus „ maxima ipsius Parochi satisfactione, qui cœteroquin „unicusSacerdos est in dictoCastro diligenter coadiuvat, „ morum præterea probitate , et vivendi ratione prout „ Virum Ecclesiasticum decet omnino laudabilem se „ præbet ita ut nihil unquam habuerim;in quo redargui „ mereretur , prout ex ipsius Parochi testimonio com- „ pertum habeo . =

Diu expectatæ sunt Nucerini Episcopi litteræ , quas dedit sub die 8. Augusti sequentis Anni 1817. hæc referens „ Presbyterum Salvatorem Biaschelli hujus „ Nucerinæ Diœcesis , cujus preces ad EE. VV. Rm̃as „ remitto Sacris vacasse studiis hoc in Episcopli Se- „ minario sufficienti vivendi ratione, et si aliqua ani- „ madversione dignum præsertim postremis tempori- „ bus, procul dubio omnino est . Me absente , hujus „ Ecclesiæ necessitati consulendi gratia , ei , de mea „ licentia impertitæ fuerunt Dimissoriales Litteræ , „ quatenus posset Sacro Presbyteratus Ordine initia- „ ri . Ab eo usque tempore , quo ad S. Subdiacona- „ tus Ordinem fuit promotus in Testimonialibus lit- „ teris volitæ fuere clausulæ appositæ , tum nimirum „ generales , ut destinatum se sciret ad servitium Nu- „ cerinæ Ecclesiæ juxta monita S. Concilii Triden- „ tini , et Romani , tum peculiares hujus Curiæ fere „ ab initio mei regiminis , per modum regulæ , op- „ poni solitæ ut ex Cancellarii documento ne au- „ deret servitium hujus Ecclesiæ deserere quod si „ fecerit Episcopo inconsulto , aut improbante nunc „ pro tunc nosset SS. Canonum pœnas , et præsertim „ SS. Conc. Tridentini , et Romani esse incursurum , „ ut ex Copia Testimonialis eidem Biaschelli con- „ cessæ . Inde per meum Vicarium Generalem de- „ putatus fuit ad Oeconomiam cujusdam Parochia-

lis

„ lis Ecclesiæ ipsius Diœcesis suo viduatæ Pastore -
„ a qua mentito prætextu illico discessit, constan-
„ ter illuc redire recusans, non obstantibus sæpe re-
„ petitis ejusdem Vicarii exhortationibus. Hinc idem
„ Vicarius ob ejusdem Sacerdotis importunitatem an-
„ nuit, ut extra Diœcesim se ad tempus transferret,
„ Episcopi tamen reservato beneplacito, ad cujus re-
„ ditum a deportatione deberet Diœcesim repetere,
„ At nil ex istis. Vocatus Presbyter Biaschelli una
„ cum cæteris tempore meae absentiæ promotis, ut
„ in Episcopali Seminario specimen tum morum, tum
„ scientiæ præberet, renuit, quamvis omnes alii pau-
„ pertate etiam laborantes, vel alicui addicti Ec-
„ clesiæ, non interposita mora, paruerint. Ite-
„ rum, iterumque sub pœna suspensionis reditus
„ fuit Biaschelli injunctus, quam quidem pœnam
„ usque a sua ad Subdiaconatum promotionem
„ ipsi fuisse intimatam jam supra memini eam
„ que incurrisse videtur, nam cessabat facultas ex-
„ tra Diœcesim manendi, statim ac conditio sub qua
„ fuit concessa, adimplebatur.

„ Ut autem præsens ipsius vivendi ratio mihi innote-
„ sceret, oportunas sum notiones percontatus, tum
„ a duobus Ecclesiasticis Viris omni exceptione ma-
„ joribus, quorum unus Paræciam parum remotam
„ administrat; tum etiam a Laico quodam, sed om-
„ ni fide digno, a quibus certior sum factus ejus
„ vitam valde esse reprehensibilem. Et revera coha-
„ bitatio cum muliere minime gravis ætatis vel exi-
„ miæ virtutis, cujus etiam, non absque commu-
„ ni adminiratione aliquo tempore Confessiones ex-
„ cepit; ipsam ad Nundinas comitari, ipsius, alio-
„ rumq. Laicorum agere negotia, consona haud
„ sunt S. Canonibus, et Apostolicis constitutionibus,
„ nec effugiunt populi censuram. Non me latet,
„ Emum, et Rmum Cardinalem de Genga, in cujus
„ Feudo versatur Biaschelli ipsius agendi modum
„ omnino improbare, eoq. magis, quia huc usque
„ expositis adjungit professionem Fabri Ballistarum
„ ignearum, non quidem animi relaxandi, sed lu-
„ cri gratia, non sine Matrum Familias querelis, quæ
„ id considerant tamquam Filiis incitamentum ad
„ arma tractanda.

„ Et ut unde discessi, redeam, num nimirum fas sit

„ Biaschelli se ab obedientiæ jugo subtrahere, quin
„ impositas incurrat pœnas, ex eo quod non bene-
„ ficium, sed patrimonium pro suæ ordinationis ti-
„ tulo sit constitutum, EE. VV. RR., me docent
„ S. Concilium Trid. Sess. 23. C. 16. De Reform lucu-
„ lenter præcepisse, neminem in posterum, ordi-
„ nandum, nisi suis Ecclesiis utilem, vel necessa-
„ rium, et nisi Ecclesiæ, vel pio loco adscribatur,
„ ubi suis fungatur muneribus. Jam vero, cum
„ Biaschelli ex necessitate, et utilitate hujus S. Nu-
„ cerinæ Ecclesiæ fuerit promotus sequitur, non
„ posse absque Ordinarii consensu ejus deserere ser-
„ vitium.

Cum vero ex hac Informatione valde reprehensibilis vitæ nota inureretur Sacerdoti Biaschello, statim hic plura attulit monumenta in sui nominis defensionem. Attulit præ cæteris juratas Depositiones tum Parochi Ecclesiæ, in quo Capellani munere fungitur; tum quatuor aliorum Parochorum, qui finitimas regunt Ecclesias, quique uno ore testantur de irreprehensibili illius Vita, de Continua ejus cura in Sacris Ministeriis, et in operibus pietatis, et Charitatis, Referunt insuper ipsum habere domicilium = *in Casa della Signora Lucia Vedova del fu Signor Conte Stefano della Genga Donna di anni* 42. (ex fide Baptismi constat natam esse die 30. Maii 1775.) *d' insigne pietà, e religione a cui assiste nel Carteggio la di cui dimora, e conversazione mai è stata, come è neppure al presente di ammirazione a veruno, essendo da tutti conosciuto si l'uno, che l'altra di onesta, ed esemplare condotta* = Addunt demum = *passa qualche ora del giorno in lavori meccanici, come lavorar di torno, incassare qualche schioppo, ed altri Lavori, cose tutte, che credo non disconvengano al suo Stato, nè ha mai dato motivo di ammirazione impiegandosi in tali Lavori* = Id ipsum confirmant Villæ = *Genga* = Moderatores, aliique illius Incolæ.

Hæc fusius retuli, ut quæ *facti* sunt probe noscerent EE. Patres, quæquæ vero sunt *juris* abunde colligi possunt ex præcedenti Causa pariter Nucerina quoad Sacerdotem Gervasi.

Dubium igitur proponitur.

An sit locus suspensioni in casu etc.

Die Sabathi 19. Septembris 1818. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua præter alia proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

VERULANA ERECTIONIS MONTIS PIETATIS. *Sess. 25. Cap. 8. de Reform.*

An, et pro quo interusurio, et quomodo sit probanda erectio Montis Frumentarii in casu etc.

In casu de quo agitur negative.

NUCERINA ET TUDERTINA RESIDENTIAE, ET SUSPENSIONIS. *Sess. 23. Cap. 16 de Reform.*

I. *An praeceptum Episcopi Nucerini dierum 13. Septembris, et 29. Octobris 1816. sit observandum in Casu etc.*

II. *An constet de irregularitate incursa a Presbytero Gervasio Aleandri, seu potius sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate pro cauthela tantum in casu etc.*

Ad I. Affirmative, dummodo Episcopus provideat Aleandrum congrua pars Diœcesi substentatione

Ad II. Affirmative ad primam partem, et consulendum SSmo pro absolutione, et dispensatione elargienda post reditum ad Diœcesim, et petitam veniam ab Episcopo.

NU-

Sess. 25. *Cap.* 15. *de Reform*

NUCERINA ET FABRIANEN. SUSPENSIONIS.

An sit locus Suspensioni in casu etc.

Affirmative.

Sess. 25. *Cap.* 9. *de Reform.*

ALBINGANEN CAPELLANIAE Secus Mare Ligusticum in loco, cui nomen *Tabiae* extat antiquissima familia Revelli, in plures nunc divisa stirpes, quorum nonnulli patrium servant domicilium, nonnulli vero se ad *Bussanae* oppidum contulerunt. Jure patronatus Capellaniæ gens isthæc fruitur sub titulo S. Joannis Evangelistæ cujus erectionis tabulæ non amplius extant. Capellani onus initio aliud non erat, nisi Missarum satisfactio; admissus deinceps fuit ad Chori Servitium in Tabiensi Collegiata, et novissime in Canonicorum albo descriptus fuit intercedente Capituli consensu jam ab anno 1808. præstito. Capellaniæ nominationem, sive *Activum* Juspatronatus ad familiam Revelli pertinere in discrimen nemo revocat. At quoad *Passivum* non levis controversia est. Anno siquidem 1675. constat quædam a familia Revellia habita fuisse Comitia, in quibus fuit constitutum = *Che in avvenire i Sacerdoti della famiglia dovessero anteporsi ad ogni altro, che quando due Sacerdoti della famiglia concorressero, quello, che riunisse più voti favorevoli rimanesse eletto per Cappellano alla forma della fondazione, e che in mancanza de' Sacerdoti della famiglia rimanesse eletto quel Sacerdote estraneo, che riuniva due terzi de' voti favorevoli de' membri della famiglia presenti* = anno autem 1688. cautum fuit, ut ejusdem familiæ Clerici ex Suffragiorum pluralitate electi ordinari deberent Sacerdotes, ut ex seipsis munera Capellaniæ adimplere possent, cum ad idoneam ætatem pervenissent: hæc inquam

in

in hujusmodi comitiis decreta fuerunt , quin statui certo possit quo jure id peregerint , sive ad abusus tollendos , qui in extraneorum nominatione irrepserant, sive ut jus sibi assumerent , quod ipsis minime competebat : Certum in facto est anno 1666. , ante hæc Comitia nominatum fuisse extraneum a familia *Dominicum Cappone* , cui alius extraneus successit *Joannes Baptista Brezzo* ; ab anno autem 1688. Clericos , ac Sacerdotes familiæ Revelli Capellaniam semper fuisse assequutos , usque ad præsentem nominationem , cujus controversia Vobis hodie EE. PP. dirimenda proponitur .

Nam sequuta vacatione die 1. Martii 1816. per obitum novissimi Rectoris , Tabiensis Ecclesiæ Præpositus aliis in id adscitis Sociis Xenodochium adiit , ut Thomam Revellium pauperem , et valetudinarium minis, blanditiisque seduceret , ut extraneum Sacerdotem Philippum Anfossi Simoni Petro Revelli unico de universa familia Sacerdoti in nominatione præferret . Plurimi quidem faciendum erat infirmi Thomæ Suffragium , cum *fideicommissarii* universæ gentis Revelliæ munere fungeretur . Invaluerat enim , ut duo de universa familia eligerentur , quibus nomen *Fideicommissarii* , qui legata dotalia pro puellis ejusdem familiæ administrarent una cum tribus Consiliariis ; quorum omnium regimine , et consiliis universa præterea cogebatur familia , cum novus Capellanus erat nominandus , vel aliud quidpiam gravis momenti constituendum . Thomas itaque morem gessit Præposito , ne ab hoc ex hospitali ejiceretur . Hujus Suffragio captato plures alios pauperes ejusdem familiæ Individuos in errorem induxere (ut postea hi testati sunt palinodiam facti canentes) Sponsionemque extorserunt Anfossium præferendi Revellio ; qua de re , et alterum fideicommissarium , sed frustra , tentarunt .

Indicta est Comitiorum dies 2. Junii , quæ cum fieri ob denegatam veniam non potuissent in Xenodochio coram fideicommissario valetudinario , habita sunt *in Palatio Communali* ut ajunt,præside Magistratu Municipii , quem *Seniorem* , seu *Capo Anziano* vocant , atque Notario . Nomine fideicommissarii Infirmi Joseph Filippi a familia extraneus , nullumque exhibens

man-

mandatum Procuræ Sacerdotem Philippum Anfossi nominavit. Alter vero ex fideicommissariis hanc extranei nominationem rejiciens Presbyterum Simonem Petrum Revelli proposuit. Ex scrutinio quatuordecim Suffragia habuisse Revellium, decem vero Anfossium compertum fuit. Stipulari tamen actum Notarius non potuit ob multas inter partes exortas dissentiones, et ob negatam subscriptionem ab iis, qui Anfossi studebant; ac proinde Senior Plebiscitum istud dissolvit.

Episcopo actum hujusmodi porrexit Sacerdos Revelli institutionem postulans, ab eo tamen rursus convocandæ Familiæ consilium accepit; tunc protestationem emisit Sacerdos in Episcopali Curia die 21. *Junii* sua jura tuendi causa contra quamcumque aliam extranei nominationem, et tamquam compatronus seipsum ad cauthelam nominavit. Nova comitia iterare nunquam datum est, divisis hinc inde Partium studiis. Interea vero septendecim, qui Sacerdotem Revelli nominaverant, cum ad exitum properaret quatuor mensium spatium a S. Canonibus præfixum Patronis ad præsentandum, coram fideicommissario, et consiliariis adunati denuo nominaverunt eumdem Revelli, si ipsis novum Plebiscitum fuisset interdictum; Intereaque Sacerdos Anfossi ad aliud Beneficium in eadem Tabiensi Ecclesia promotus fuit; et cum quadrimestris Patronis præfinitus elapsus fuerit, Episcopus devolutionis jure ad Capellaniam instituit extraneum alium Joannem Baptistam Vivaldi.

S. Congregationi preces porrectas a Sacerdote Revelli ab hac collatione appellante remissæ sunt Episcopo, ut auditis omnibus præfigeret terminum ad deducenda jura sua coram S. Congregatione, suamque Sententiam aperiret; qui retulit se jure devoluto Capellaniam contulisse Sacerdoti Vivaldi, qui iis omnibus pollebat requisitis zelo nimirum Sacrarum functionum, scientiaque Cantus Gregoriani, quibus destituebatur Revelli unde hunc ad Capellaniam minime idoneum reputabat. Tunc contestata lite quatuor dirimenda proponuntur Dubia distributis ex utraque parte *allegationibus*.

Quæritur in primo Dubio, num constet de legitima nominatione, et præsentatione Sacerdotis Simonis Revelli ad

Ca-

Capellaniam S. Joannis Evangelistæ, ita ut sit ei danda Institutio. Vivaldi Defensor ex actu nominationis, qui imperfectus fuit, censet ipsam nominationem nullam omnino esse, ejusque nullitatem magis evinci ex novæ Congregationis petitione numquam obtentæ. Nec quidquam refert, quod qui ex parte Revelli erant iterum inter se convenerint; hoc enim a paucis illius familiæ nulla auctoritate, imo magistratu inscio, et absente Notario peractum fuit. Nullitati nominationis accedit numquam datam fuisse institutionem favore Presbyteri Revelli, quæ intra quatuor præfinitos menses danda erat, qua deficiente quævis nominatio etsi valida ruit ad tradita per *Lotter. de Re Beneficiar. lib.* 2. *q.* 6. *num.* 35. 36., *Vivian. prax. jurispatronat. part.* 2. *lib.* 7. *c.* 4. *num* 31. *Piton. cont. Patron. alleg.* 75. *num.* 3. 4. *Ventriglia de jure patron. annot.* 1. §. 3. *num.* 19. *tom.* 2. *Rota in recent. decis.* 352. *num.* 15. *part.* 16. *decis.* 665. *num.* 8. *part.* 18. *tom.* 2. *et in Nolana Beneficii* 30. *Januarii* 1590. *coram Caprara.*

Presbyteri autem Revelli defensor comitia die 2. Junii anni 1816. peracta valida esse tuetur licet imperfecta quodamodo remanserint, in quibus licet nonnulli adessent seducti a Præpositi minis, et blanditiis; attamen Revelli suffragia *septemdecim*, et Anfossi *Quatuordecim* retulisse Notarius descripsit, quæque viva voce data fuere. Qui vero majora habet Suffragia electus renunciatur ex *Cap.* 30. *de Election.*, quod locum habet etiam in electionibus jurispatronatus ex *Cap.* 3. *de jure patron. Concilii Lateranen.*, *Barbosa ad hoc Cap. num.* 3. *Passerin. de confirm. elect. cap.* 83. *num.* 129. quin in pretio haberi debeat minoris partis Patronorum dissensus *Piton discept. Eccl.* 140. *num.* 69. *Rota decis.* 225. *coram Rezzonico*. Nec officit congregatorum non peracta subscriptio, quia sine hac steterunt semper præcedentes Revelliorum nominationes. Nihil præterea interest actum a Notario in protocollis exscriptum non fuisse ob tumultum, cum actus sine scriptura valeat, si aliter probari possit juxta *Gajum in l.* 4. *ff. de fide Instrumentor.* Publicatum præterea fuit a Notario scrutinium, quo peracto nullus suffragium ferentibus datur pœnitentiæ locus *Cap.* 38. *de Elect. Gonzalez in comment. ad idem cap. num.* 1. *Ricci prax. Ecclesias. de Election. resol.* 48. *num.* 1. *Rot. decis.* 26.

num. 49. coram Cerro, et decis. 677. num. 7. coram Molin.

Sed et præsentationem idoneo tempore factam fuisse contendit, dum scilicet post hæc comitia Sacerdos Revelli Episcopum adiit, et ipsi actum autographum exhibuit; si enim nullus constituatur procurator in electionibus, ipse nominatus in vim nominationis in Procuratorem constitutus censetur *Lotter. de re benef. lib. 2. quaes. 6. num. 38., de Luca de jure patr. discurs. 94. num. 30., de Nicolis praxi Canon. de jure patronat. num. 64. Rota in Meliviliana Beneficiorum 19. Junii 1712. §. nec dicatur.* Nec sibi obesse putat petitionem secundi Plebisciti (pro cujus validate etiam plura adducit) quia hoc petierunt, qui Revelli studebant, ut morem gererent Episcopi consiliis.

Agitur *in II. Dubio*, utrum amplius sit locus Familiæ Revelli deveniendi ad nominationem, seu potius obstet lapsus quadrimestris. Sacerdotis Vivaldi Defensor contendit, elapsum fuisse quadrimestrem dissidentibus Patronis, quo in casu jubent S. Canones, ut Episcopus jure devolutionis beneficium conferat *Cap. unic. §. Verum de jure patron. in 6. Ancharan. super 6. Decr. cap. eod. num. 5., Garcias de his ad quos spect. provis. part. 5. cap. 9. num. 209. Lotter. de re benefic. lib. 2. quaes. 6. n. 22., Card. De Luca disc. 64. n. 3. de jure Patron Vivian. juris patr. par. 2. lib. 7. cap. 1. n. 2. Rota in recent. decis. 25. num. 4. decis. 39. num. 6. part. 12.* Quæ vim eo magis habent in beneficio residentiali, ac præsertim si res amplius integra non sit ob captam a Vivaldi possessionem. Novus ergo conventus ipsis concedi non debet, qui propria culpa legitimum tempus labi permiserunt tum ob voluntaria dissidia in priori congregatione, tum ob metum novæ Contentionis, quibus de causis nova comitia denegavit Senior.

Sacerdotis vero Revelli defensor postquam probavit in superiori dubio tumultus excitatos fuisse a fautoribus Anfossì, qui data opera, nec laudabili arte conquisierant suffragia, postquam probavit, pluries ab iis, qui Revellium nominaverant novæ Congregationis ineundæ exoratam fuisse veniam, eamque meliori, quo potuere modo peractam, contendit concedendum esse novum Conventum, quia eorum negligentiæ verti nequit defectus nominationis, quatenus nulla hæc censeatur. In pœnam autem negligentiæ datur devolutio

ex

ex Cap. 5. *de Concess. Piton. discept. Eccl.* 156. *num.* 22. Non ergo sibi nocere putat elapsus quadrimestris: distinguunt namque Doctores, utrum facta sit nominatio etsi invalida, vel nullo modo facta sit, et in primo casu sub distinguunt utrum nominatio facta sit a majori parte ultra medietatem, in quo casu cum hæc sit satis Canonica ad nominandum, etsi postea reprobetur propter defectum electionis, locus non est devolutioni, quia hæc pœna non imponitur electioni nullæ, sed negligentiæ eligendi; si vero quis nominatus fuerit a minori parte cum hæc non sit electio, jus devolvitur ad superiorem *Passerin. de Elect Cap.* 13. *n.* 40 *et seq. Pignattel. Consult.* 34. *num.* 13 *et seq. tom.* 8., quod de Patronis speciatim tradunt *Piton. loc. cit. discept.* 156. *num.* 24. *Rota in decis* 16. *num.* 1. *coram Falconer. de jure patr.*, quæ definiit =, *subsistente etiam nullitate praesentationis a patronis factae . . . . illis competere novum terminum ad denuo praesentandum, qui illis vertere incipit a die dumtaxat declaratae, et acceptatae nullitatis primae praesentationis*= Quod si novus terminus, novaque Comitia quatenus illa electio nulla fuerit non concesserint EE. PP. præmium captabunt sui criminis ii, qui favore Anfossi omnia sus deque verterunt.

Utrum competat jus patronatus Passivum Sacerdoti Revelli quæritur in *III. Dubio*. Præterquamquod hic Sacerdos inhabilis est ad Capellaniæ onera sustinenda, nullimode ei competere illud passivum jus contendit Vivaldi Patronus; Deest enim Capellaniæ fundatio sicut vetusta inventaria anni 1674. ostendunt, qua deficiente pro beneficii libertate præsumendum semper est *et Mostago lib.* 3. *cap.* 9. *num.* 37. *de Capellaniis tract. de Causis Piis*, *Piton. loc. cit. disc.* 53. *num.* 35. *et alleg.* 83. *num.* 2. *de controv. patron.*, silent de eo jure Capituli Codices, acta Cancellariæ Episcopalis, judiciorum tabulæ. Hoc induci nequit per continuam Revelliorum nominationem quia non *necessitate*, sed *facultate* ducti consanguineum extraneis prætulere; actus vero facultativi inducere nequeunt Ecclesiæ servitutem *Garcias. de Benef. par.* 7. *cap.* 1. *num.* 88., *Rota in recent. decis* 162. *num.* 19. 20. *part.* 12. *et alibi*. Ex institutionibus datis ab Episcopis eruitur dumtaxat

jus activum. Anno 1666. Revelli nominarunt Sacerdotem Capponi præferentes eum præsenti, et Capellaniam flagitanti Sacerdoti *Joanni Revellio*; et post illius obitum alterum a familia extraneum elegerunt, nomine *Brezzo*. Imo si in deliberatione anni 1675. cognitum fuit = *essere cosa giusta*, *e convenevole, che in avvenire* = eligeretur Capellanus ex familia Revellia, ex hoc ipso evincitur, jus passivum favore familiæ antea non extitisse. Huic autem deliberatione nulla accessit Episcopalis, vel Apostolica approbatio hinc nulla censenda ex *Abb. sup. 3. decret. cap. 3. num. 1. de jure patronat.*, *Felin. super Decret. lib. 2. tit. 20. C. Significavit num. 2. de testib.*, *et attestationib. Rot. in recent. decis.* 593. *num. 1. part. 5. tom. 2.*

Sacerdotem Revelli iis omnibus pollere requisitis, quæ ad Capellaniam necessaria sunt sustinet ejus Defensoris Allegatio. Deinde competere ei passivum jus autumat. Licet enim fundatio inspici non possit, quia malis forsan artibus novissime subtracta est a Sacerdote Anfossi; attamen id præsumi tuto potest, si inspiciatur alterum legatum quod solis puellis familiæ conferendum esse voluit Testator; idem ergo de Capellania dicendum, cum quis suis potius, quam extraneis benefacere velle præsumatur, ut statuit *Rota decis.* 992. *num.* 38. *coram Molino*, et cum ipsa vocatio ad jus activum, quod est plus, influat pro præsumptione vocationis ad Passivum, quod est minus *Rot. decis.*52. *num. 7. cor. Falconer. de jure patronat.* Deliberatio declarat mentem fundatoris, plenisque suffragiis fuit subscripta, et constanter ad hanc usque diem observata. Quæ observantia plusquam centenaria si sensum scriptum in fundatione ad contrarium detorquere valet per *Piton. de contr. Patr. Alleg.* 17. *num.* 13. multo magis est attendendi ubi desunt fundationis tabulæ *de Luc. de jur.Patron. disc.*60. *num.* 9., *Polet de jur. Patr. diss. 6. num.* 11. *Rota dec.* 360. *num. 4. cor. Lanceita etc.* Hanc autem deliberationem factam esse contendit ad abusus tollendos extraneos nominandi, ex quorum duplici nominatione nil inferre in contrarium licet, cum quisque suo possit jure renunciare *leg.* 51. *Cod. de Episc. et Clericis*, *et ex Cap. 6. de Privilegiis excessib.* Nil autem mirum, si

si nihil de jure passivo habeant visationis Decreta, et Capituli Codices, cum ne de activo quidem mentionem faciant, Episcopus enim in sua informatione dicit nihil ex Ecclesiæ tabulis, et S. Visitationis decretis erui potuisse; cujus ratio esse potest, quia nonnisi post Longum a fundatione tempus Capellanus servitio Chori obstrictus fuit, et novissime tantum inter Canonicos cooptatus.

Quartum Dubium, num servanda sit Collatio Vivaldi facta ex præcedentium definitione dependet. Post hæc, aliaque in allegationibus hinc inde deducta dignentur Emi Patres dirimere sequentia Dubia.

I. *An constet de legitima Nominatione, et Praesentatione Sacerdotis Simonis Revelli ad Capellaniam S. Joannis Evangelistae, ita ut sit danda institutio in casu etc.*

Et quatenus Negative.

II. *An sit amplius locus Familiae Revelli deveniendi ad nominationem, seu potius obest lapsus Quadrimestris in casu etc.*

Et quatenus Negative.

III. *An constet de jure Patronatus passivo praedicti Sacerdotis Simonis Revelli, utpote de Familia, et Gente Revelli, ita ut ei sit danda Institutio in casu etc.*

Et quatenus Affirmative ad alterum ex prædictis.

IV. *An sit revocanda Collatio facta favore Sacerdotis Joannis Baptistae Vivaldi in casu etc.*

Ad I. Affirmative
Ad II. Provisum in primo
Ad III. Constare de jurepatronatus passivo
Ad IV. Affirmative

PISANA ELECTIONIS. Pisanæ Metropolitanæ Ecclesiæ Capitulum alternativo cum suo Archiepiscopo fruitur, jure conferendi Canonicatus, et Præbendas. Se- *Sess. 22. cap. 4. de Reform.*

Sequuta ineunte hoc anno vacatione Canonicatus in mense ad Capitulum spectante, cum duo Clerici Præbendam postulassent, quorum alter, utpote ex Sorore Nepos, consanguinitate jungitur cum uno ex Canonicis, qui Suffragium ferre debent in electione, orta est quæstio, utrum hæc sanguinis conjunctio consanguineum a votando repellat. Re ad Capitulum dilata duos e gremio elegit, in quorum doctrina plurimum fidebat, ut prævio maturo examine votum suum super exorta quæstione proferrent. At quæ electa prudenter fuit via, ut noscere posset Capitulum, ubi tutius figeret pedem, causa majoris fuit hæsitationis. Nam dissentientibus inter se Canonicis Deputatis, in diversam abiere Sententiam, ita ut coacto iterum Capitulo unanimi voto hujus S. Congregationis Sapientissimum Oraculum exquirendum duxerint Canonici, ut ita, et rectum in electione judicium, et suæ erga S. Sedem devotionis novum specimen redderent.

En quomodo in precibus SSm̃o oblatis proposita fuit quæstio = *Sanctitatem Vestram enixe, ac humiliter exorant, ut a Sacra Congregatione Tridentini Concilii Interprete declaretur, an in concursu Postulantis nullius Canonici votantis consanguinei, Canonicus alterius Postulantis consanguineus votum in electione facienda praebere queat* = Statim super hisce precibus rogavi Archiepiscopi Sententiam, utque audito Capitulo, et Canonico del Bono, qui consanguineus ille est de cujus suffragio quæritur, referret de consuetudine, et exemplis transmissa particula Constitutionum Capitularium. Quæ in jure, et in facto deducta sunt tum a prædicto Canonico del Bono ad jus ferendi Suffragii sibi tuendum, tum ab altero ex Canonicis consultoribus ad illud negandum, transmittit Archiepiscopus, qui in sua Informatione aliquid innuit de exemplis, de quibus inferius redibit sermo; nihil vero habet de Capitularibus Constitutionibus, utpote quæ de hac quæstione minime loquuntur. A voto autem ferendo sibi abstinendum putat, *ne* ut ipse ait, *uni potius, aut alteri videar dissidentium Canonicorum parti favere*.

Porro hujusce quæstionis solutio pendere deberet vel a dis-

dispositione Juris Comunis, vel a peculiaribus Capituli Constitutionibus, vel demum a consuetudine. Nihil dicam de Constitutionibus, quia pacificum est inter partes, eas de hac re prorsus silere. Ad primum quod attinet; certum, receptumque ex jure est, id esse proprium Canoniæ, ut Canonicis tribuat indistinctum, et æquale jus vocis quoad omnia, quæ in Capitulo fiunt, et Collegialiter expediuntur. Ita post *Glossam in Cap.* 1. *Verb. vel quasi de elect. tradunt Barbos. de Canon. et Dignitat. Cap.* 12. *num.* 19. *Fagnan. in Cap. Cum M. cap.* 9. *de Constitut. n.* 26. *Lotter. de re Benef. lib.* 1. *quaest.* 15. *num.* 25. *et* S. Congregatio *in Senen. Vocis in Capitulo* 27. *Februarii* 1768. Si ergo Canonicus del Bono, quia Canonicus, jus certum habet ad Suffragium ferendum sequitur, ut ad inducendam contra ipsum limitationem necesse sit, ut concurrat expressa legis dispositio, quæ ex causa consanguineitatis Canonicum a ferendo Suffragio repellat.

At si deficit expressa isthæc dispositio juris contra Canocum del Bono, præsto est legitima Sacrorum Canonum interpretatio, quæ cum oriatur ex lege in duriori casu sancita, locum etiam sibi vindicat in præsenti, ut ajunt qui Canonicum del Bono a jure nominandi esclusum dicunt. Sane Innocentius III. *in Canone Cum Canonici* 35. *de Officio, et potest. Jud. delegat.* in Causa Canonici Januensis omnes alios Canonicos ab officio Judicis exclusos voluit non alia de Causa, quam quia erant unius litigantis Socii, ac pronde alteri litiganti suspecti = *Ut exceptis Canonicis Januensibus* (sunt verba Canonis) *quos cum sint ejus Socii, merito habet pars adversa suspectos* = Si ergo Summus ille Pontifex a judicando rejiciendos esse putavit omnes Canonicos, quia Socii tantum alterius litigantis merito pro suspectis habebantur, quanto magis in præsenti casu, in quo non Socius in officio, sed is, qui alteri ex concurrentibus vinculo Sanguinis conjunctus est, judex quodammodo esse deberet quoad merita unius, alteriusque Postulantis Beneficium.

Hanc ipsam interpretationem sequuta est S. Congregatio, cum ad ejus judicium delata est quæstio, utrum Canonici Familiares Episcopi Suffragium ferre possent in

in Comitis Capitularibus, in quibus ageretur de negociis ad ipsum Episcopum spectantibus. Nam censuit abstinendos esse a Voto omnes Familiares, et Vicarium Generalem, quos præsumpta erga Antistitem affectio suspectos reddebat. Ita decretum est in *Mediolanen. Januarii* 1587., *et in Pharen. Residentiae* 28. *Aprilis* 1674.

Ita pariter S. Pius V. sua Constitutione cujus initium = *Quanta* = quæque extat in Bullario *sub num.* 50. prohibuit Episcopis, ut Beneficia in eorum manibus resignata suis consanguineis, aut familiaribus conferrent. Nam facile contigere poterat, ut nimia affectio, vel ex Sanguine, vel ex familiaritate causam daret fraudibus in hujusmodi resignationibus quæ pararent viam minus rectæ Beneficiorum collationi. Hinc in præsenti casu si sanguine Conjunctus suo suffragio concurrat in electione, si præsens sit in Capitularibus Comitiis, verendum esset, ne immoderata erga Conjunctum affectio fraudibus, et circumventionibus rectum interciperet inter utrumque concurrentem judicium.

Sed e contra haud levis momenti sunt, quæ ex jure favore Canonici del Bono afferri possunt. Ipsi favet expressa legis dispositio, quæ omnes Canonicos ad suffragium ferendum vocat in quovis actu Capitulari, ita ut si convocetur Capitulum prætermisso aliquo ex Canonicis, nulla sit, et inefficax Capitularis Resolutio. Ut vero quis suo privetur jure; et a sua deturbetur possessione, expressa requiritur legis dispositio, nec satis sunt, vel simplex interpretatio, vel argumenta ex legibus ad alios casus respicientibus deducta, ut odiosa induci possit privatio. Cum igitur nullo Ecclesiæ Canone repellatur Consanguineus a votando, et ex consanguineitate suspicio tantum nimii favoris erga Conjunctum oriri possit, tanti hæc esse non potest, ut Consanguineus suo jure expolietur. Ita sentit Wan-espen Tom. V. Cap. 7. de Vitio accept. person. §. 6. = *Verum quia in Consanguineo Patroni, vel Collatoris etiam concurrere possunt merita, et qualitates ad causam spectantia, sive quae ipsum Beneficio, seu Ministe-*

rio Ecclesiastico dignum reddant, ipsa Consanguinitas per se spectata non obstat, quominus ipsi sine personarum acceptione collatio fieri queat, considerando nimirum (ut requirit justitia distributiva) solas conditiones personae, quae faciunt ad dignitatis, vel debiti causam = id ipsum tradunt *Pignatiel. Consult. 53. num. 6. tom. 6. Piton. discept. Eccles. 137. part. 4. num. 16.* = *Canonicus in electionibus ratione naturalis affectionis non prohibetur dare suffragium pro Fratre.* =

Hinc etiam frequens occurrit casus Beneficiorum de Jure patronatus, cujus nominatio uni tantum personæ tribuitur, quæ non prohibetur conjunctum sibi sanguine, cæteris concurrentibus exclusis, eligere, ac præsentare. Idem *Piton. Cons. super citat. n.16. Pater non prohibetur praesentare Filium ad Beneficium juris patronatus, seu votare pro illo in universitate, ad quam pertinet jus praesentandi.* = Quod si in hujusmodi casu consanguinitas non obest nominationi faciendæ ab unico Patrono sanguine conjuncto, eo minus obesse poterit in electione Capitulari, in quo non solus Consanguineus, sed omnes Canonici pari suffragio eligere debent.

Nec Canonicus del Bono sibi quidquam timendum putat, vel *ex Canone 35. de Offic. et potest Judic. Deleg.* vel ex *Piana Constitutione*, de quibus supra. Ex juris quippe dispositione derivat, ut is Judex esse non possit, qui sit uni ex litigantium suspectus. Recte igitur Innocentius III. a delegatione exclusos voluit Canonicos Januenses in Causa Concanonici, quia inde suspecti erant alteri ex litigantibus, ut ferunt verba ipsius Canonis = *merito habet pars adversa suspectos* = Plurimum vero differt casus a casu. Nam in eo, de quo loquitur Innocentius III. agebatur de Judice delegando, nec delegari poterat qui suspectus esset ex *Can. Quod suspecti 3. quaest. 5. Canon. Cum speciali, et Cap. secundo. de Appellat* = nec quisquam ex Canonicis Januensibus jus ullum habebat ad judicandum; unde sine injuria poterat quisquis alius delegari. At in præsenti casu

 non

non de Judice delegando res est, et Canonicus *del Bono* jus habet ad ferendum suffragium, quo sine injuria nequit privari.

Quod vero S. Pius V. prohibuerit Episcopis Beneficia in eorum manibus resignata consanguineis, et familiaribus conferre, hoc ex peculiari constitutione procedit, ac proinde semper eo redit difficultas, ut necessaria sit expressa legis prohibitio. Quin imo ex hac ipsa constitutione, quæ de præciso tantum casu Resignationis loquitur, et quæ non extenditur ad alios casûs duo sequi videntur, nimirum quod consanguinitas, et familiaritas per se spectata non officiunt exercitio juris conferendi Beneficia, et quod nequeant ad diversos casus trahi quæ in peculiari tantum Casu sunt constituta. Ita docte respondit Sa. Me. Benedictus XIV. *in Synodo Dioeces: lib.* 13. *Cap.* 24. §. 6. = *Quoties igitur Paraecia per resignationem vacaverit, si eadem suo, vel resignantis consanguineo, aut familiari Episcopus conferat, aperte peccat in Litteram Pianae Constit: prohibentis, ne Beneficia, in Episcoporum manibus resignata personis supradictis conferantur: at si iisdem conferat paraeciam, quae per obitum vacaverit, nullatenus Pianam Bullam laedit, quippe quae nonnisi de vacationibus per resignationem loquitur. Etenim in vacationibus per resignationem facile irrepere possunt eae fraudes, dolosique circuitus, qui nullo modo, aut saltem difficilius in vacationibus per obitum occurrere possunt: Itaq. patet primo quam prudenter constitutum fuerit discrimen inter unum; et alterum vacationis modum: deinde quomodo gerere se debeant Episcopi, cum hujusmodi casus contigerint, absque eo quod Congregationem de illis consulant: denique cui regulae tuto adhereat eadem Congregatio in responsionibus dandis ad ejusmodi postulata, si quae forte proponi contingant*. Tandem resolutiones hujus Sac. Congregationis in *Mediolanen. Januarii* 1587., *et in Pharen. Residentiae* 28. *Aprilis* 1674. respiciunt casum, de quo S. Tridentina Synodus disposuerat, cum in *Sess.* 25. *Cap.* 6. *de Reform.* Episcopis jus tribuit

buit convocandi Capitulum, illiusque votum exquirendi, dummodo non agatur = *de re ad suum vel suorum commodum spectanda* =

Hæc ex jure adnotanda censui, ut possint facilius Emi Patres propositam dirimere quæstionem. Quo vero ad Constitutiones Capitulares, ut præmisi, nihil habent super iis, qui suffragium ferre possint in Capituli Comitiis, ac proinde dici debet id sub juris communis dispositione relictum esse. Tandem aliquid addendum superest quoad *consuetudinem*, de qua pauca adducuntur exempla. Ea diligentissime refert Archiepiscopus in sua Informatione, quam exscribo:
„ Canonicus del Bono adfert ad sui favorem acta Ca-
„ pitularia anni 1807, ex quibus patet ab ipso lata
„ fuisse suffragia absque ulla oppositione in Electione
„ etiam Canonici dell' Hoste licet sibi in secundo con-
„ sanguinitatis gradu, utpote sui Amitini, conjun-
„ cti „.

Alter vero ex duobus Relatoribus Canonicis, Sacer-
„ dos nempe Gaspar Lanfranchi Chiccoli, profert
„ acta Capitularia anni 1796, ex quibus habetur,
„ quod Archipresbyter Dominicus Cosi-del Vollia
„ tunc *sese voluntarie a ferendo suffragio abstinuit*
„ cum de Electione Canonici Josephi ex Fratre Ne-
„ potis agebatur; Ac etiam acta anni 1806. in quo-
„ rum regestu dictum Canonicum Josephum *sese a*
„ *ferendo suffragio abstinuisse* commemoratur in Ele-
„ ctione Vicarii Capitularis respectu præfati Archi-
„ presbyteri. Addit præterea ex duorum testium re-
„ latione, quæ hic pariter adjungitur, Capitulum re-
„ jecisse suffragium Canonici decani Thomæ Gaspari,
„ dum anno 1778. in deliberationem venerat Electio
„ sui fratris in Vicarium Capitularem. De hac tamen
„ asserta rejectione animadvertendum est, nihil om-
„ nino in Capituli regestis illius temporis expressum
„ inveniri: Quinimo prædictæ Electionis Processus
„ ibidem describitur, in quo simul cum aliis Cano-
„ nicis sessioni interessentibus adnumeratur etiam di-
„ ctus Canonicus decanus, et proposita per scruti-
„ nium Electio Canonici fratris dicitur quidem *non*
„ *adprobata*, sed ne verbum quidem, quod dictus
„ Canonicus decanus a Capitulo discesserit, vel quod

„ de ejusdem facultate ferendi suffragium fuerit dubitatum „.

Dubium proponitur

An Canonicus del Bono in electione, de qua agitur, reijciendus sit a ferendo suffragio in casu etc.

Negative.

Sess.25.cap.11. de Reform.

NUCERINA EMPHYTHEUSIS. Dilationem postulantibus Deputatis Seminarii Nucerini, ut defensionem parare possent, in Congregatione diei 8. Augusti proxime præteriti rescriptum prodiit = *Dilata ad primam post proximam* = At nihil ex parte Deputatorum mihi exhibitum est, unde Causa iterum proponitur cum Allegationibus nomine Fratrum Zuccari jam distributis.

Rogo Emos Patres, ut illius diei folium reassumere dignentur, ut respondere possint Dubio

An Litterae Apostolicae sint exequendae in casu etc.

Non proposita.

Sess. 21. Cap.7. de Reform.

FOROLIVIEN. REINTEGRATIONIS PARAECIAE. Vestrum Sapientissimum judicium iterum exorant Emi PP. Confratres SS. Sacramenti in Causa Forolivien. Reintegrationis Paræciæ, cui in Congregatione 17. Maii 1817. a Vobis responsum fuit NIHIL PRO NUNC INNOVANDUM. Dignentur igitur Eminentiæ

tiæ Vestræ folium a me tunc exaratum resumere, a quo tota facti species facile dignoscetur, nec non rationum momenta, quæ ab utraque parte afferebantur, quæque pro muneris mei officio tum ex Episcopi informatione, tum ex Confratrum supplici libello SSmo porrecto excerpsi. Ast dicti Confratres cupientes suam Ecclesiam *S. Mariae in Laterano*, nuncupatæ *di Schiavonia* in Parochialem restitui, seu redintegrari nova allegatione typis impressa, et Vobis distribuenda jura sua strenue defendunt, quæ utrum tanta sint, ut a prolata responsione sub die 17. Maii 1817. recedatis, Vestrum erit dijudicare postquam ea, quæ a Confratribus in præfata allegatione deducuntur ad trutinam revocaveritis, et cujus præcipua capita breviter attingam.

Constat in facto Ecclesiam S. Mariæ in Laterano et extitisse, et adhuc existere, constat iisdem adhuc instructam esse reditibus, constat eosdem et numero habere subditos, eumdem ipsum habere Parochum, ergo ajunt Confratres numquam suppressa fuit hec Paræcia, sed illi propter infelicissimas eorum temporum circumstantias unita fuit altera *S. Antonii Novi*, quæ solum gaudebat titulo Vicariæ Parochialis amovibilis, et 343. tantum animas enumerabat, et demptis oneribus tenuissimam 27. scutatorum congruam possidebat. Nec certe tam facile credi poterit, posito arbitrio unam vel alteram Paræciam supprimendi, quod Episcopus illam potius, quæ et 1470. capita enumerabat, et annua scut. 130. certi reditus habebat, et proprium Parochum litteris Apostolicis provisum, supprimere voluerit, et alteram tam pro numero animarum, quam pro annuo reditu adeo inferiorem superstitem relinquere. Attamen hoc voluisse Defunctum Episcopum Foroliviensem in epistola sua circulari 20. Julii 1806. edixit.

At in dicta Epistola, quæ vim decreti obtinuit, si dictum fuit *esser cassate, e soppresse le altre di S. Martino in Castello, di S. Mercuriale, e di S. Maria in Schiavonia*, dictum etiam fuit *S. Antonio di Padova traslocata in Schiavonia*, ex quibus verbis potius suppressam Vicariam S. Antonii, et unitam S. Mariæ in *Schiavonia* dici debere contendunt Confratres. Utcumque

que vero vel facta, vel scripta fuerit hæc unio, quia decreta, et facta fuit ob infaustas illorum temporum conditiones, cum hæc causa cessaverit, etiam hujusmodi unionem rescindendam esse, et Ecclesias suo pristino ordini restituendas esse probare nituntur Confratres.

Sed reintegrata Parochialitate S. Mariæ in Laterano vulgo *di Schiavonia*, cum Ecclesia *S. Antonii Novi* alienata sit, et ad horrei seu promptuarii usum destinata mensa Episcopalis privaretur jure patronatus, quo potiebatur, scilicet eligendi, et deputandi Vicarium Curatum amovibilem ad nutum Episcopi pro administratione dictæ Ecclesiæ, et Paræciæ *S. Antonii Novi*. Et certe commendatione dignus est Episcopus si pro viribus suæ Ecclesiæ jura tuetur; Verum enim vero putant Confratres id agi cum alterius damno, non ad tuenda, sed ad augenda Episcopalis Curiæ jura. Nam Episcopus Foroliviensis pinguioris Vicariæ juspatronatus acquireret, et cum damno Parochialitatis Ecclesiæ S. Mariæ in Laterano; et cum ista salva, et integra subsistat ab alia S. Antonii in usum profanum conversa se expoliatam cerneret cum maximo lucro mensæ Episcopalis. Vellent potius Confratres, ut prædicta Vicaria S. Antonii trasferatur ad Ecclesiam S. Mariæ Carminis, et sic nullum damnum in suo jurepatronatus pateretur mensa Episcopalis, nec Tertii jura læderentur, sed suum unicuique redderetur. Sed jam in folio distributo 17. Maii 1817. retulimus alia media, quæ pro indemnitate mensæ Episcopalis ex parte Confratrum proponebantur.

Quod si uno, vel altero modo Vicaria S. Antonii Novi restituatur, vel scilicet illam trasferendo in Ecclesiam Carminis, vel Ecclesiam ipsam S. Antonii in pristinum reducendo, nulla hinc jurgia, nullam publicæ tranquillitatis perturbationem oriri posse contendunt Confratres, quia omnes aliæ Ecclesiæ Parochiales, omnes alii Parochi eosdem limites, eadem capita, eosdem reditus sibi servata esse probe noverint, et sive Ecclesia S. Antonii restituatur, sive ejus Vicaria in Ecclesiam Carminis translocetur, cum non

secum

secum ferat nisi 343. capita, nullos certe rumores, nulla dissidia poterunt excitare.

Reliqua fusius a Confratribus in eorum allegatione exposita, et quæ præsertim in jure adnotata sunt in folio diei 17. Maii præteriti anni satis erunt, ut Eñi Patres dignentur dirimere Dubium.

An sit servanda suppressio Paraeciae S. Mariae in Laterano, sive in Schiavonia, seu potius sit redintegranda in casu etc.

Dilata, et scribatur Episcopo, qui præfigat terminum omnibus interesse habentibus, præsertim promothori fiscali, Vicario S. Mariæ Carminis, et Parocho S. Antonii Novi ad deducendum jura sua in S. Congregatione.

FERETRANA. Cum præterito anno 1816. reparanda esset Ecclesia Parochialis Domagnanì in Territorio Reipublicæ S. Marini posita Diœcesis Feretranæ, factum est *repartimentum* ab illius Moderatoribus, adstante Deputato Ecclesiastico, Taxæ super æs, et libram, eique Episcopus suam adjecit adprobationem his verbis = *Intimetur per decem dies antea Personis nostrae Jurisdictioni subjectis, et postea quatenus opus fuerit exequatur manu regia de Mandato Auditoris nostrae Camerae, cui ad hunc effectum facultates omnes opportunas, et necessarias concedimus, et impertimur*: *Sess. 21. Cap. 7. de Reform.*

Inter cæteros, quorum nomina complectebatur repartimentum, erant PP. Servitæ S. Marini, qui intra fines Paræciæ Domagnani parvulum tantum possident fundum absque ulla Domo Colonica. Aegre quidem, sed ne manus regiæ mandato compellerentur, impositam sibi taxam solverunt, sed timentes novas in dies Taxas imponi contra proprii Ordinis privilegia, et exemptiones, Sac. Congregationem adierunt postulantes = *a volersi degnare di dichiarare, se l' ordinario abbia diritto di tassare un Convento di Regolari per Fabriche Parochiali, ancorchè il Convento esista fuori*

fuori dai limiti della Parrocchia, ancorchè entro quei limiti non possieda alcuna Casa, ma soltanto qualche Terreno; ancorchè finalmente questo Terreno sia di prima erezione.

Preces hujusmodi remissæ fuerunt ad Episcopum Feretranum, ut auditis interesse habentibus, ac præsertim Promothore Fiscali referret de Ordinis Constitutionibus, et Decretis Synodalibus ad rem facientibus, ac de consuetudine quoad præteritum. Ex originali folio, quod Episcopus transmisit, Regentium Reipublicæ confirmatur *Repartimentum* factum fuisse cum interventu Deputati Ecclesiastici, et ab ipso Episcopo confirmatum; Patres Servitas ægre quidem sed tamen Taxam solvisse; et illorum fundum positum intra limites Paræciæ Domagnani non adnumerari inter bona primæ Erectionis.

Episcopus vero ita quæsitis in supplici libello in sua informatione respondendum ducit. „ Tria vero in „ precibus recensitis proponuntur dubia, super qui„ bus Emorum Vestrorum sensum Prior efflagitat: „ primum scilicet, an Ordinarius pro Fabricis Paro„ chialibus taxare possit Regulares; secundum, an „ id valeat dum Conventus extra Paræciæ fines exi„ stit; tertium denique, an idem possit, quando „ Conventus nullam Domum colonicam, sed tan„ tum fundum aliquem intra Paræciæ limites pos„ sidet „.

„ Sermonem habens Orator de sui Ordinis Regularibus „ negativam sententiam hisce de causis defendit: „ quia nempe Instituti privilegia ita suadent, quia „ Parochianorum nomine, quibus *ex Trident. Ses„ sion.* 21. *Cap.* 7. *de Reformat.* Parochiales Ecclesias „ instaurandi onus incumbit, minime veniunt; et „ quia nullum comodum ejus Conventus a Paro„ chiali Ecclesia Domagnani sentit, utpote ejus li„ mites excedens „.

„ Pro responsione tamen breviter omnibus hisce ar„ gumentis auctoritatem opponam *Ventrigl. rer. Ec„ cles. lib.* 2. *adnot.* 18., ubi demonstrat Parochianos „ teneri in subsidium ad restaurationem Ecclesia„ rum non per capita hominum, nec per capita „ Domorum, neque secundum Personarum nume-

„ rum,

„ rum, sed per æs et libram, ac juxta facultates, „ cum ædificationes æque, ac restaurationes Paro„ chialium Ecclesiarum ad publicum usum, et om„ nium utilitatem fiant; ex quo infert ad eas indi„ stincte milites, Nobiles, Magnates, Clericos om„ nes, vel alios quantumvis exemptos, nec non ex„ teros quoque ratione bonorum, quæ in Territorio „ Ecclesiæ reparandæ possident, teneri: quod ma„ xime in hac Diæcesi obtinebit, in qua licet Sy„ nodales constitutiones nihil super hac re decer„ nant, consuetudo tamen viget distribuendi ut plu„ rimum tales expensas super Censum, ut in præ„ senti casu accidit „.

„ Neque simulare debet Orator, Episcopos, vigore „ Tridentini loco ab ipso citato, etiam tamquam „ Apostolicæ Sedis Delegatos Parochianos in subsi„ dium ad contribuendum Ecclesiarum instauratio„ ni omnibus remediis opportunis compellere pos„ se, quacumque appellatione, exemptione, et con„ tradictione remota. „

Hæc Episcopus. Contra vero suam exemptionem tuentur PP. Servitæ, ex quo Regulares inter Parochianos adnumerari nequeant, quippe quia Parochus nulla in eorum Cænobiis jurisdictione potitur, nec ipsi Cænobitæ quidquam utilitatis ex Paræcia percipiunt. Sed et ab ipsius Episcopi jurisdictione exempti sunt, et nonnisi Summo Pontifici immediate subjecti. Ita colligitur ex litteris, quas dicunt, Monitorialibus de mandato S. M. Pauli V. expeditis sub die 3. Aprilis 1614. = *Quod cum dictus ordo ob fructus uberes, quos in Dei Ecclesiam produxit, et labores, quos pro animarum salute impendit, et in dies impendere non desistit, illiusque superiores Regulares, Caeterisque Fratres, OMNESQUE CONVENTUS, DOMUS, et Ecclesiae fuerint, et sint a primaeva ejusdem ordinis erectione, immunes, et exempti penitus, et omnino a quavis Jurisdictione, tam ORDINARIORUM quam, quorumcumque ALIORUM LEGATORUM APOSTOLICORUM etiam si de Latere, et S. Sedi Apostolicae soloque Romano Pontifici, superioribusque Regularibus dicti ordinis immediate, absque ullo medio subjecti.*

Quod privilegium extenditur etiam quoad bona ejusdem Cœnobii, ut in iisdem citatis Litteris = *Dictam Congregationem, ET ILLIUS BONA, et Personas a solutione Decimarum talis, aut quovis genere exactionis, etiam praetextu Visitationis, aut transitus exemit.*

Huic vero exemptionis privilegio famulatur observantia, ex qua deducitur nunquam Episcopos Feretranos super hoc Conventu Servitarum, vel super illius Personas, et Bona ullam usquam exercuisse jurisdictionem. Quod si plurimum valet quævis observantia, quæ longo, nec interrupto tempore ducta sit, eo magis ea valere debet quæ originem a legitimo titulo Privilegii derivat, quæque conformis etiam est generali juris dispositioni, qua Regularium exemptio ab Episcoporum jurisdictione vindicatur ad *Text. in Cap. Tuarum de Privilegiis*, *Fagnan. in Cap. Venerabilis. de Cens.* quæque imo omnem respuit contrariam, si quæ inducta fuisset, observantiam *Rot. in Recent. dec.* 324. *num.* 3. *par.* 1. *cor. Falconer. dec.* 10. *num.* 2. *de Officin Ordinat.* et *S. Congregatio in Aquipendien. Functionum.* 18. *Decemb.* 1773.

Quod si PP. Servitæ in hac reparatione Ecclesiæ Domagnani summam in repartimento ipsis impositam solverunt, id egerunt necessitate coacti, ne scilicet manus regiæ mandati ab Episcopi concessi executionem paterentur; non vero voluntarie, ut fatentur Reipublicæ moderatores = *benchè i Frati dei Servi pagassero di mala voglia, pure saldarono la loro porzione* : = Non inde aut confessio legitimi tituli exactionis, aut privilegiorum renunciatio erui potest. Quod enim metu mandati solvitur inter voluntarias solutiones scribi nequit.

At enim in sua Informatione Episcopus SS. Tridentini Concilii dispositioni innititur in *Sess.* 21. *Cap.* 7. *de Reform.* ubi committitur Episcopis etiam tanquam Apostolicæ Sedis Delegatis reparatio Ecclesiarum Parochialium, et methodus in hisce reparationibus servanda præscribitur = *Parochiales vero Ecclesias ita collapsas refici, et instaurari procurent, ex fructibus, et proventibus quibuscumque ad easdem Ecclesias quomodolibet pertinentibus; qui si non fuerint suf-*

sufficientes, omnes patronos, et alios, qui fructus aliquos ex dictis Ecclesiis provenientes percipiunt aut in illorum defectum Parochianos omnibus remediis opportunis ad praedicta cogant, quacumque appellatione, exemptione, et contradictione remota = Si ergo deficientibus aliis mediis ad ultimum confugere necesse fuit nimirum ad contributum super Parochianos, quod per æs, et libram fuit divisum nequeunt hujusmodi solutionem declinare PP. Servitæ utpote quæ non ab ordinaria Episcopi auctoritate, sed ab Apostolica delegatione proficiscitur quæque ex SS. Concilii dispositione omnem appellationem, exemptionem, et contradictionem respuit

Frequentissimæ sunt hujus S Congregationis Resolutiones, quæ prælaudati *Decreti* 21. *Cap.* 8. *de Reformat.* vigorem in singulis casibus contra reclamantes vindicant, ac præsertim *in Spiren. Reaedificationis Ecclesiae* 17. *Februarii* 1768. *in Nepesina Restaurationis Ecclesiae* 28. *Augusti* 1773. *et in Spoletana Restaurationis Ecclesiae, et Sacrarum supellectilium* 19. *Februarii* 1780. At nihil in iis invenitur, ex quo erui possit etiam Regulares, qui ab Ordinaria Episcopi jurisdictione exempti sunt, teneri, ad solutionem Taxæ super Parochianos distributæ pro reparatione Ecclesiæ Parochialis.

E contra PP. Servitæ negant sese inter Parochianos accenseri posse ex quo illorum Conventus, in quo vitam Deo Sacram ducunt, positus est extra fines Paræciæ Domagnani, de cujus Ecclesiæ reparatione agitur, et terræ frustulum, quod intra illius fines possident, præter insitam ex Apostolicis Constitutionibus exemptionem ad eos pertinet, qui non sunt de Paræcia, nec proinde Paræciani dici possunt.

Dubium erit.

An PP. Servitae teneantur ad solutionem Taxae, de qua agitur in casu etc.

Non propositi cum sequen.

Sess. 25. *de reform. cap.* 5.

PANORMITANA LEGATI MISSARUM. Exposuit Petrus Piaggia se ex publica Mensa Nummularia, quæ extat Panormi annuum reditum percipere unciarum sicularum viginti. Hoc certo reditu licet Missarum celebrationi ab ejus bisava Materna destinato libere frui posse autumabat ex præcedenti fideicommisso, ad quod jure proprio vocatur, quin tale onus eidem imponi potuisset. Verum cum non impositum tantum, sed et religiose exequutum illud videret a suis prædecessoribus ab anno scilicet 1711. ad annum usque 1803., conscientiæ stimulis agitatus sanationem quoad præteritum tempus, declarationemque, qua incertitudo omnis in futurum tolleretur humiliter supplicavit. De hisce precibus requisitus Vicarius Capitularis ut referret factorum seriem, nec non rationum momenta ab Oratore adducta accurate exposuit.

Usque ab anno 1684. (res enim ab origine repetenda est) ultimis quibus decessit tabulis Angelus Passalacqua perpetuum fideicommissum instituit, ad quod duas, quas habebat filias Antoniam et Eleonoram earumque descendentes in infinitum vocavit cum reciproca substitutione. Bona utrique Sorori assignata Antonia quæ nupta Joachimo Battaglia dotem acceperat in Unciis Siculis 443., biscentum alias habuit uncias, Eleonoræ adhuc innuptæ præter annuum reditum unciarum quatuor. unciæ 400, in pecunia numerata tributæ fuerunt ea tamen lege, ut annuus ex ea reditus constitueretur.

Utriusque portio, intestata præmortua Eleonora in Antoniam coaluit: mortuo etiam Joachimo ejus viro anno 1706. cum hæres ab eo una cum filiis instituta esset, Antonia, dotem quam attulerat, et cætera quæ tum in ipsam tum in Sororem a Patre profecta occupaverat Vir, ab ejus hæreditate separavit, ac fideicommisso a Patre suo instituto vindicavit, sibique addixit. Ea quæ supererant Joachimi bona vix ac ne vix quidem satis fuerunt æri alieno dissolvendo, quo ejus gravabatur hæreditas, super qua cæteroquin, et ipse fideicommissum instituerat.

Sedulo notandum est, sequenti anno post obitum viri sui nimirum 1707. summam unciarum 560. depo-

fuisse Antoniam *de suis propriis pecuniis* apud Sacerdotem quemdam nomine Cardinale cum expressa lege, ut fert ipsius Sacerdotis solemnis confessio eodem anno exarata - ut quanto citius cum dictis un-
„ ciis 560. emere debeat tot reditus tutos, et secu-
„ ros eosque assignare Francisco Battaglia, et Passa-
„ lacqua Antoniæ filio cum expresso vinculo, et
„ fideicommisso, in quo succedant descendentes etc.,
„ et extincta linea Francisci Battaglia succedere de-
„ beat Anna Xaxia filia legittima, et naturalis Anto-
„ niæ, et descententes in infinitum in stirpes, et
„ non in capita - Paulo post solemni pariter instrumento declaravit idem Cardinale cum præfatis unciis 560. aliisque unciis quadraginta ab ipsamet Antonia habitis *ipsiusque propriis* reditus emptos fuisse unciarum viginti quatuor *pro causis, et effectibus in praecedenti actu declaratorio expressis* Emptos reapse fuisse reditus ex Mensa nummularia Panormitana innuit Orator Piaggia. Singula empta, et acquisita jura cum omni causa cessit idem Cardinale dictæ Antoniæ, Notarioque *pro ea aliisque Personis nominatis, et contemplatis in praeinserto actu declaratorio stipulanti etc.*

Rebus ita compositis anno 1711. moritur Antonia hæredemque universalem, ac fideicommissarium instituit, filium Masculum Franciscum, eidemque substituit nascituros ex eo liberos, in quorum defectu filiam Annam, ejusque descendentes vocavit, Codicillis vero, quos antea testamento confirmaverat, hæc quoad Missarum celebrationem de qua quæritur disposuit - *Lascia una Messa perpetua giornale coll' assegnazione di onze venti da pagarsi sopra le onze 24 che gli rende la tavola di Palermo ogni Anno, e detta Messa l' abbia da celebrare D. Girolamo Galassi quando si farà Sacerdote con obligo di dire, o mandare a dire tutte le feste dell' anno alla Pietra del Vojaro per comodo di quei Villani. Voglio però che detta Messa sia in persona del detto di Galassi fino, che i miei Eredi non avranno figli Sacerdoti, che però ordinandosi Sacerdote uno de miei Eredi di linea mascolina, e femminina, a chi sarà si assegni la rendita di onze venti per la celebrazione di detta Messa*

sa

sa incaricando la coscienza de miei Eredi ad assistere perchè non si trascuri la detta celebrazione di Messe per suffragio dell' Anima mia Sacerdos Hieronymus Galassi Capellanus ab Antonia nominatus annuum reditum percepit a Testatricis morte missasque celebravit. Post Antoniæ obitum, apertumque ejus testamentum variæ exortæ fuerunt controversiæ inter Franciscum, et Annam ejusdem Antoniæ filios, sed extinctæ hæ protinus fuerunt assignatione parvorum redituum ad paternam hæreditatem spectantium a fratre sorori facta præter solutionem unciarum centum huic a matre relictarum legati titulo.

Hæc, et alia quæ ad rem non pertinent narrat Orator Joannes Piaggia in foliis Vicario Capitulari exhibitis, ab eoque huic S. Congregationi transmissis. Illud subdit, anno 1716. obtinuisse Franciscum a Regia Curia Prætoriana Panormi *mandato di assenso sulle on.24 „ annuali dovute dalla deputazione delle nuove Gabel- „ le quali furono assentae insieme col Capitale di on.600. „ lasciando oncie 20. annue per sodisfo della Messa „ quotidiana, che trovavansi allora assentate a nome del „ Sacerdote Girolamo Galassi giusta la disposizione „ di detta Antonia Battaglia Passa lacqua. Dietro ciò „ vendè le restanti onze quattro, e durante sua vita, „ consumò il patrimonio libero di sua Madre* - Antonius Francisci filius ejusque hæres una cum Sororibus anno 1738. dictum reditum unciarum viginti sibi pro Sacro Patrimonio primum assignavit deinde vero anno 1774. nupturæ Sorori Sussannæ cum aliarum sororum consensu dotis nomine promisit eumdem reditum, post dotantis mortem ab ipsa consequendum, adjecto etiam fideicommissi Vinculo, filiorum favore, qui fortasse ex ineundo ab sorore Matrimonio cum Antonio Piaggia orirentur.

Anno 1805. reditus modo dictus pervenit in Joannem Piaggia Susannæ Filium qui aliquando solum aliquando cum Fratre Francisco Piaggia illum possedit, integreque nunc retinet ex ejusdem Fratris donatione. Ab eodem anno 1803. usque ad præsentem diem viginti unciarum reditum suum fecit Joannes, quin Missarum onus, quibus ex Antoniæ voluntate gravabantur unquam adimpleverit. Sacrum aliquod vix

quo-

quotannis ad expiandam testatricis animam celebrari curavit, ut scrupulum omnem evelleret, ex animo.

Hæc factorum series ex qua Orator sibi suadet ex S. Congregationis Oraculo immunem se ab omni Missarum onere renunciandum esse. Quæcumque enim, sic ipse arguit, fuerit Antoniæ dispositio quoad indictum onus, quomodocumque exequutum ipsum fuerit sæculi prope spatio, illud certissimum videtur viginti unciarum reditum non ad fideicommissum pertinere ab Angelo Passalacqua institutum, cui Antonia ejus filia primo successit, et cui nullum Missarum onus imponere potuit, qui integrum illud restituere obstringebatur cæteris a testatore vocatis nimirum liberis ab se descendentibus quorum in numero Joannes Piaggia in præsens recensetur, ac unicus existit de genere vocatorum ad fideicommissum ab Angelo Passalacqua institutum pertinere videtur summa unciarum sexcentum, quæ conflatur ex duabus summis Antoniæ, et Eleonoræ filiabus relictis. Ad dictam summam unciarum 600. adamussim respondet pretium, quod pro acquisitione annui reditus inpensum fuit ab Antonia, in qua utraque summa coaluit, perpetui tamen fideicommissi vinculo innodata.

Quod si prædictum reditum propriis Antoniæ pecuniis comparatum fuisse fingas, nihilominus nullo Missarum onere gravari ab ea potuisse manifestum est. Cum enim nulla alia fideicommissaria bona supersint Angeli Passalacqua, nec aliud fructuosum caput, prout præseferebat Fideicommittentis placitum, acquisiverit unquam Antonia, si illud excipias annui reditus unciarum 24. quodque propriis emisse nummis supponitur, sponte sua sequitur paternam substantiam totumque fideieommissum a Patre relictum disperdidisse ipsam Antoniam. Quo res cum perducta fuerit, et illud sequitur luculentissimum juris axioma in bonorum fideicommissariorum locum subrogata fuisse bona libera Antoniæ, et eo vel magis hunc, de quo agitur reditum, qui ex ejus bonis tantummodo superest. Subrogationem quidem istam exigunt jura omnia, ne fideicommissa impune disper-

sper-

sperdantur in perniciem eorum qui ad ea vocantur. *L. fin. C. comm. de legatis L. Imperator ff. de Legatis 2.*

Hisce tamen non obstantibus jus Antoniæ fuisse quomodolibet de viginti unciarum reditu disponendi ex duobus eruitur publicis Instrumentis huic S. Congregationi exhibitis, ex eo scilicet anno 1707. quo tradidit Francisco Cardinale uncias 560. quas ex ære proprio derivatas dixit, alteroque ejusdem Anni, quo idem Cardinale reditum unciarum24.pecuniisAntoniæ propriis emisse iterum declaravit. Quæ cum ita sint immerito unciæ illæ subrogatæ dicerentur in locum fideicommissi Angeli Passalacqua, cum inter antiquitatis tenebras lateat quale, quantumque fideicommissum illud fuerit, ac integrum in Antoniæ manus pervenisse asserit Piaggia citato quidem, sed nullo allato monumento.

Præterea subrogatio in fideicommissis non directe quidem ex jure, et tacite inducitur, sed tum demum ipsi locus patet, cum cognita causa, cognitisque alienationibus decreta fuerit a Judice. Eo minus vero subrogationi locus dandus est in themate, quo longius ab eo provocanda abfuisse videntur quotquot ab Antonia intercesserunt usque ad Petrum Piaggia Fideicommissi Possessores, a quibus Missarum onus constat exacte fuisse adimpletnm.

Si EE. VV. videbitur Missarum onus adhuc subsistere id præ oculis habebunt, num bona fides, qua ab anno 1803. usque in præsens non nisi paucas Joannes Piaggia Missas celebravit, suffragari illi possit ad dispensationem, et Apostolicam absolutionem obtinendam. Hinc solvenda proponuntur.

Dubia

I. *An, et quomodo sit locus satisfactioni Legati Missae quotidianae, de qua agitur, in casu ec.*

II. *An sit consulendum SSmo pro condonatione, et absolutione quoad praeteritum in casu etc.*

Die Sabathi 19. Decembris 1818. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua præter alia proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

AURIEN. DISPENSATIONIS. Post quam una, alteraque, atque tertia etiam sententia validum declaratum fuerat Matrimonium initum die 1. Junii 1805. a Laurentia Grande, cum Benedicto Cotilla in Auriensi Civitate, dispensationem ab ipso Matrimonio rato, et non consummato, quam usque ab initio sibi præservaverat Laurentia a SSmo exoravit intra terminum in prædictis sententiis constitutum. *Sess. 24. Cap. 3. et 5. de Refor. Matrim.*

Hæ preces die 2. Martii 1816. ex audientia SSmi remissæ fuerunt Emo Auriensi Episcopo, ut servata forma Constitutionis S. M. Benedicti XIV. *Dei Miseratione* processum conficeret super non consumatione, et Canonicis Causis Dispensationis. Cum vero inter cætera in instructione contenta præscripta fuisset inspectio Corporis, a qua et ob naturalem verecundiam, et ut ipsa putabat in casu non necessaria nimium abhorrebat Laurentia, hinc novæ datæ sunt litteræ, ut omnimode fieret corporis inspectio.

Expleto quo id omnia Processu Emus Episcopus acta non solum super non consummatione, sed etiam præcedentia super nullitate transmisit hæc habens.

Ex actis, declarationibus Laurentiae, et Benedicti, Testium depositione, et circumstantiis, moralique fere impossibilitate consummationis illud plane conficitur, nunquam consummatum hoc Matrimonium fuisse; imo, et ratum extitisse, si non obstarent tres sententiae pro valore Matrimonii latae, una dumtaxat pro nullitate interposita non sine gravi fundamento negari possit = unde concludit = *Dispensationem Matrimonii rati impedimenti, et libertatem ad aliud contrahen-*

 dum

dum, si Sanctissimo videbitur, concedi posse, cum et contractum nullum declarari non esset mirum, aut sine gravi fundamento; nec jam contractum bonum exitum habere posse, sperari detur, et insuper utrique Conjugi gratum sit, eorumque saluti consulatur. Si hocce Matrimonii vinculum Authoritate Apostolica dissolvi fas est, in circumstantiis, quae hoc in casu militant, fieri id posse videtur.

Causa hodie proponitur, haud dissentiente Viro, distributis allegationibus tum ex parte Mulieris dispensationem exorantis, tum ex parte Defensoris Matrimonii specialiter in hac Causa ab Emo, et Rmo Præfecto subrogati ob absentiam eximii Defensoris ex officio omnium hujusmodi Causarum. Quæ hinc inde notatu digna afferuntur brevi, qua fieri poterit, expositione complectar.

Mulieris Defensor probationem non sequutæ Matrimonii consummationis deducit *ex* juramento utriusque Conjugis, *ex* septima propinquorum manu, *ex* Testium depositionibus, ac demum *ex* inspectione corporis ipsius Mulieris.

Postquam Laurentia Grande in prima instantia facta coram Ordinario die 25. ejusdem Mensis Junii 1805. quo initum fuerat Matrimonium, exposuerat = *esser cosa certa, che non abbiano consumato il Matrimonio* = in processu super non consummatione jurata id ipsum confirmavit; atque iterum monita ab Emo Episcopo de gravitate rei eadem sub jurejurandi fide ratum habuit = *che non vi è stata consumazione* = Ita pariter Vir Benedictus Cotillo non semel, sed bis, et tertio juramenti interposita religione declaravit = *che non ha consumato il Matrimonio, ne tentato, ne ha fatto alcun atto a quest' oggetto* =

Conjugum depositioni septimæ ex utraque parte manus adstipulatur juramentum. Omnes enim testantur se putare verum dixisse tum Laurentiam tum Benedictum, cum uterque de non sequuta consummatione jurarunt. Nec succensendum videtur, quod aliqui ex septem Testibus a Muliere inducti non sint ejus propinqui, quia totidem in Auriensi Civitate, ejusve Provincia Castiliæ non reperiebantur, nam scitum est, in defectu Propinquorum vetitum non esse alios

licet

licet extraneos, sed bonæ famæ Testes afferre ad complendam septimæ manus confirmationem; ita ad *Text. in Cap. Laudabilem de Frigid. et maleficiat.* censuit Sac. Congregatio in *Barchinonen. Matrimonii* 14. *Junii* 1806.

Accedunt Testes quorum alii non sequutam affirmant consumationem ex quo, ut pote vel Familiares, vel amici, sciebant noluisse Laurentiam maritali operi sese præbere, nec unquam reapse cum Viro convenisse. Alii vero ex audito, vel ex conjecturis non sequutam consummationem confirmant. Quin his Testibus obsit vel quod inducti fuerint in præcedenti Judicio super Nullitate, in qua per Rem judicatam Matrimonii validitas vindicata est, vel quod aliquas in personis exceptiones patiantur, præsertim quia familiares, aut amicitiæ vinculo cum actrice conjuncti. Nam postulante Defensore Matrimonii in Auriensi Curia antecedens Processus super Nullitate subsequenti Processui super non consummatione conjunctus est, atque instante Laurentia plures Testes, qui in primo fuerunt inducti, in altero sunt compulsati. Hinc ne contra receptissimam regulam litigantes ad imparia judicentur, putant Laurentiæ Defensores, ut matrimonii assertori, ita et sibi licere quascumque probationes ex præcedenti Processu depromere. Exceptiones vero, quæ contra personas afferuntur, evanescere contendunt, tum quia Testes sunt numerosi, tum maxime quia Formali examine cribrati, tum demum quia in re, quæ agitur remotis arbitris, ut est Matrimonii consummatio, qualitas Familiaritatis Testibus non minuit, sed auget fidem, ut sentiit Rota in *Gadicen. Nullitatis Matrimonii* 8. *Februarii* 1765. §. 22. *cor. de Zelada*.

Tandem ex inspectione corporis Laurentiæ ejus Defensores Matrimonii consumationem excludunt. Hanc enim inspectionem, quam reluctante licet Laurentia Sac. Congregatio omnino fieri jussit juxta præscriptas regulas expletam fuisse contendunt, tribus electis fœminis, quæ solitæ erant parientium necessitati opem ferre, prævia earum instructione a Medicæ, et Chirurgicæ artis Professoribus, omnibus servatis cauthelis, quæ quamlibet removerent fraudem cum

deputatione Matronæ, ac formali, postmodum omnium examine. Quod si non eæ deputatæ sunt Fœminæ, quæ publice Obstetriciam artem exercerent, id usui Regionis, ac Civitatis tribuendum putant, quia in Auriensi Civitate eæ tantum, adhibitis penes Parochos, et Medicos diligentiis, inventæ sunt, quæ amicam, non vero mercenariam, ut alibi usuvenit, præstant Parientibus manum. Nec inde in aliquo deficit Virginitatis probatio, statimac Mulieres in re Maritali instructæ per inspectionem Corporis, tactumque partium, nulla licet alia adducta scientiæ causa, Virginem incorruptam pronunciant ad tradita per *Abb. in Cap, 4. de Probat. n. 2. Fermosin. ibid. n. 12.*, *et Sanchez. de Matrimon. lib. 7. cap.* 113. *num.* 12.

Porro hæ tres fœminæ ad inspectionem Corporis Laurentiæ specialiter deputatæ unanimi judicio eam Virginem, et intactam judicarunt, et id ipsum confirmarunt Medicus, et Chirurgus, qui earum relationem exceperunt. Quidquid vero sit de nonnullis authoribus, qui hujusmodi virgninitatis probationem dubiam dicunt, quod quidem Accademiarum disputationi relinquendum est, satis esse videtur, quod ad probandam virginitatem Mulieris inspectio corporis præscripta sit a SS. Ecclesiæ Canonibus, ac præ cæteris *in cap.* 14. *de Probat. et in cap.* 5. *et* 6. *de Frigid. et Malefic.* quodque S. hæc Congregatio ipsorum Canonum vindex semper in hisce causis eam requisiverit, ac in præsenti fieri omnino mandaverit. Quod si ex *Capit. Proposuisti de Probat.* ibique *Glossa*, tantum defertur Mulieris juramento de non sequuta consummatione, si ejus dictum a septima manu, et ab inspectione Corporis probante Virginitatem confirmetur, ut ejus assertio prævaleat juramento Viri consumationem asserentis, eo vel magis putant Laurentiæ Defensores, excludi quamlibet consumationis suspicionem in præsenti Causa, in qua prædictis probationibus superaccedunt ipsius Viri juramentum, Testiumque depositiones.

Contra hæc plurima advertenda proponit Matrimonii Defensor. Ac primum suspectum dicit utriusque Conjugis juramentum de non sequuta consummatione ex eo potissimum, quia eorum concordia collusionis suspicio-

gionem inducit. Plurimas in id affert Authoritates quæ ut ait Folium in *Pragen. Matrimonii* 27. *Februarii* 1734. intelligi debent = *si huic tantum confessioni Conjugum nitatur probatio ; nam caeteroquin confessio ipsorum conjugum jurejurando confirmata, ac etiam septima propinquorum, vel, si ii desint, vicinorum manu munita approbatur in Cap. Laudabilem, et in Cap. Litterae vestae de Frigid., et Maleficiat* =.

At non solam collusionis suspicionem vim jurejurando minuere, sed in præsenti Casu mendacii, et contradictionum congeriem fidem prorsus adimere dictis utriusque Conjugis advertit. Neque enim solum, si demas factum non consummationis, in quo concordant Vir, et Uxor, pugnant inter se, quæ ex una parte Laurentia, ex altera Benedictus jurati narraverunt de circumstantiis, quæ præcesserunt, quæ concomitarunt, quæque subsequutæ sunt Matrimonium; verum et unus, et altera in repetitis depositionibus, ac potissimum in Responsionibus ad interrogatoria modo affirmarunt, quod antea negaverunt. Unde concludit, nullam promereri fidem etiam in facto non sequutæ Consummationis eos Conjuges, quos ipse de mandacio, et perjurio in cæteris reprehendi posse arbitratur. Habent EE. PP. harum contradictionem syllabum in Restrictu Defensoris Matrimonii, ac proinde facile judicare poterunt, utrum tanti sint ponderis, utrum circa substantialia versentur, ita ut præstiti ab utroque Conjuge jurisjurandi vim prorsus enervent.

Pauca habet quoad septimam manum; quæ collabente juramento unius, alteriusque Conjugum, sponte sua ruit, potissimum quia invecta est hæc solemnitas famulative ad ipsorum Conjugum juramentum, utque septem Propinqui *de sola credulitate* deponant, quod scilicet credant Conjuges verum jurasse. Multa tamen reprehendenda invenit in Testium depositionibus. Decem ii præsertim sunt ex veteri Processu *Super Nullitate* desumpti, quorum quinque iterum in novo Processu *Super non Consummatione* iterum formali examini subjecti fuerunt; alii quinque tantum compulsati. Negat Matrimonii Defensor potuisse hos Testes, postquam tribus senteniis

fue-

fuerant rejecti, iterum in medium afferri, iterum examinari, atque compulsari. Juris quidem Comunis regula est, ut si publicata fuerint dicta Testium, nequeant iidem Testes reproduci, aut novi super eorum depositionibus induci. *Text. in Auth. de Testib. Reinfestuel lib.* 2. *Decret. tit.* 20. *num.* 457. Cum ergo hi decem Testes producti, et examinati fuerint in precedenti Processu, ac postea per Remjudicatam super Nullitate prorsus rejecti, nulla de iis ratio in novo Processu haberi poterat.

Et vel magis rejiciendos hujusmodi testes putat ob illorum *personales* exceptiones. Ac primum quia ex illis duæ sunt Fœminæ, ipsius Laurentiæ famulatui addictæ, ac vilissimæ conditionis, ex quibus omnibus a ferendo testimonio præsertim in gravissima Causa prohibentur. Alii licet Mares, aut pariter servitio addicti, aut sanguinis, vel amicitiæ vinculo, conjuncti Laurentiæ cujus favore deposuerunt, aut etiam in minorili ætate constituti. Omnes vero aut generice nimis, et sine causa Scientiæ, aut ex publica tantum voce, vel de auditu de non sequta Consumatione testantur, quo in casu nullam constituunt probationem, *S.* Congregatio in *Viterbien Matrimonii* 23. *Novembris* 1776.

Post hæc Matrimonii Defensor, ut ex inspectione Corporis Laurentiæ illius assertam Virginitatem excludat, fuse agit de incertitudine, ac fallacia hujusmodi explorationis, præsertim ab Obstetricibus expletæ; ut videre est in ejus Restrictu, in quo totus est, ut ex pluribus rationum momentis suspectas reddat Virginitatis notas in quavis fœmina, ac multo magis in Laurentia, quæ trigesimum septimum jam attigit annum, quæque tresdecim ab hinc annis a quovis Virili amplexu abstinuit. Animadvertit etiam fidendum non esse inspectioni expletæ per tres Mulieres, quæ Obtetriciam artem non exercent, et quæ nonnisi triduo ante a Professoribus ignotam sibi scientiam didicerunt; unde concludit hoc experimentum, licet semper incertum, haud rite peractum fuisse, nec ex eo ullam oriri Virginitatis probationem.

Paucam addam *DE CAUSIS* dispensationis, quas Mulieris Defensores constituunt in mutuo Conjugum consensu, cui adstipulantur internus Laurentiæ dissensus,

sus, cum Nuptias contraxit, irreconciliabilis animorum alienatio, et scandala quæ oriri poterunt, nisi per Apostolicam dispensationem succurratur. E contra Matrimonii Defensor impugnat, mutuum Conjugum consensum legitimam præbereCausam dispensandi, nec per se solum, nec etiam junctis levissimis aliis Causis, quas in sui præsidium Laurentia quæsivit. Vestrum erit EE. Patres judicare ex iis, quæ hinc inde deducuntur, an, posita non consummatione Matrimonii, legitima nec ne intercedat Causa consulendi SSm̃o pro dispensatione, quam quidem Causam necessario requiri semper censuit S. Congregatio, ut *in Albiganen. Matrimonii* 12. *Septembris* 1807. *et in Januen. dispensationis* 9. *Septembris* 1815.

Dubium proponitur:

An sit consulendum SSmo pro dispensatione super Matrimonio rato, et non consummato in casu etc.

Affirmative.

LUNEN. SARZANEN. SPONSALIUM. Plures post Annos, mutua benevolentia transegerant Joseph Rocchi, et Angela Castelpoggi ex Civitate Carrariæ ita ut hac sub spe futuri Matrimonii Copiam sui Corporis Amasio fecerit, mutato postea Consilio alias ille expetivit Nuptias. At dum Fides de statu libero ab Episcopali Curia Lunen. Sarzanen. postulavit statim Angela die 20. Octobris 1815. opposito *nihil transeat* juratam emisit declarationem, pluresque induxit Testes *per comprovare l' enunciate circostanze, e la giustizia della mia opposizione, onde verificate queste sia costretto il nominato Giuseppe Rocchi ad effettuare meco il Matrimonio, ed adempire al suo dovere*. Statim coram Vicario Foraneo Carrariæ ab Epi-

Sess.24. Cap.3. de Reform Matrim.

Episcopo specialiter deputato confectus est Processus, examinatique sunt plures Testes vel ab Angela, vel a Josepho inducti sub interrogatoriis ab una, alteraque parte propositis. Hoc absoluto Processu Vicarius Generalis die 10. Octobris 1816. sententiam tulit qua declaravit = *Antedictam oppositionem a praedicta Angela Castelpoggi factam, ut ex actis fuisse, et esse attendendam*.

Tunc Joseph Rocchi ad hanc Sacram Congregationem convolavit, postulans prædicti judicati revocationem oblato in id supplici libello, quem ad Episcopum remisi, ut audita præsertim Angela Castelpoggi, eidemque præfixo termino unius Mensis ad deducendum jura sua in Sacra Congregatione, referret præcipue ex fide Parochi de vita, meritis, et honestate ejusdem Angelæ Castelpoggi, suumque votum aperiret. Omnia præstitit Episcopus, ut erat in mandatis Suam enim transmisit Informationem, de qua inferius verba faciam, terminum Angelæ præfigi curavit sub die 30. decembris 1817. et juratam remisit Parochi attestationem, qua refert, *Che Angiola figlia del q. Ceccardo Castelpoggi mia Parochiana, e la quale dalla sua nascita sino al presente ha sempre dimorato in detta Città, è stata sempre riconosciuta non solo da me, ma anche da tutti gli Abitanti di questa Parochia per una Giovane di specchiata vita, di buoni costumi, e di una particolare onestà, che non ha mai amoreggiato altro Giovane, se non che Giuseppe Figlio di Domenico Rocchi di Nascita eguale, e di eguale fortuna, e che in fine non ho mai intesi riclami contro il di lei contegno, e condotta*. = Statuta Vadimonii die Joseph Rocchi tantum ad suam tuendam libertatem Typis impressam allegationem distribuet silente (forsan ob inopiam) Angela Castelpoggi. Negat Josephi defensor, unquam prætensa intercessisse sponsalia, de quibus nulla exhibetur probatio, vel ex Scriptura, vel ex præcisa Testium depositione. Nam actum esset de hominis libertate, si quævis amoris indicia statim de Matrimonio ineundo promissionem secumferrent. Quod si etiam concederetur, mutuum aliquando intercessisse consensum quoad Matrimonium *de futuro*, hæc ipsa obligatio po-

posteriori dissensu sublata est, cum nihil tam naturale sit, quam eo genere quidvis dissolvi, quo colligatum est. Angelæ vero dissensum probare conatur ex posterioribus ejus amoribus cum quodam Francisco Sardella. Etsi enim daretur, inita fuisse sponsalia a Josepho cum Angela, ab iis recessisse videretur, tum Mulier illa, quæ postea alium sequebatur Amasium; tum Vir, qui alias expetivit Nuptias; atque ita factum est ut mutuo dissensu dissolutum fuerit vinculum, quod mutuo consensu fuerat colligatum.

Sed ulterius progreditur Josephi defensor; ut Clienti suo jus etiam vindicet recedendi a Sponsalibus renuente licet Angela Castelpoggi. Ut difficilem hanc probationem adstruat, iterum in medium inducit Amores Angelæ cum Sardella, dubiam dicit ejus famam, et honestatem, ex quibus præsumi contendit turpem consuetudinem, atque etiam fornicationem. Porro in *Canone* 25. *de Jurejurando* Innocentius III. sancivit = *Si post contractum conjugium Vir propter fornicationem licite potest Uxorem a sua cohabitatione dimittere, longe fortius ante Conjugium celebratum propter eamdem Causam Sponsus licite potest in suam cohabitationem non admittere Sponsam* =. Fusius hæc habent EE. Patres in distributa Josephi defensione.

Contra vero Angelæ oppositionem tuetur Episcopus in sua Informatione, quam per extensum referendam arbitror = *Testes omnes ab utraque parte inducti, et examinati formiter in hac Caussa (si paucos excipiamus, qui non fuerunt hac de re interrogati, quia materia per Angelae adversarium articulata in hac parte silebat) omnes inquam unanimiter conveniunt super bona voce, et fama Mulieris supradictae, ejusdemque notoria honestate, etiam ipse Parocus testificatur hoc idem in adjuncta pagina, quam proprio Caractere a me requisitus, et quidem honorificentissimis, atque apertissimis verbis.*

Per Testes similiter ante dictos luculentissime comprobatur, et mutuus eorumdem amor, et non interrupta consuetudo simul conversandi per annos non paucos.

 Pro-

Probatur etiam frequens accessus utriusque ad alterius domum, non clandestine factus, sed palam, et publice: Probatur scientia, et annuentia utriusque Genitorum: et quod magis urget, probatur etiam adhibita nuncupatio=Nurus= a Patre Josephi erga dictam Angelam, eidemque facta donaria a futura Socru, et alia id generis, quae non sponsalia tantum, sed Matrimonium etiam occulte celebratum suadere videbantur: Ac demum probatur quod talis revera esset publica opinio, credulitas, et fama in eorum communi Patria, seu Civitate. Nulla sane habetur in processu positiva probatio sponsalium: sed haec probationis deficientia parum concludere videtur; eo quia non semper Sponsalia tradi solent in scriptis, vel coram Testibus fieri; sed plerumque inter Amantes verbaliter, et secrete perfici solent; et tunc praesertim inita praesumuntur, cum a Virgine honesta fuit extorta copula, ut evenisse constat in casu nostro; non tantum ex depositione jurata ipsius Angelae, verum etiam ex ipsius Josephi confessione exarata in precibus ante dictis. Quod enim plerumque fieri solet, illud etiam in similibus facti circumstantiis factum fuisse jura praesumunt, et habetur pro veritate.

Animadvertendum praeterea est aliam ab Oratore adduci suae Poenitentiae, vel indignationis Caussam in Processu, aliam vero in Precibus seu recursu habito apud dd. VV. EE. et RR. In Processu allegatur pro causa infidelitas Angelae; Insimulando illam quod erga alterum Juvenem fuerit eodem tempore amore capta. Hoc autem non probato, confugit Orator in precibus ad aliam, videlicet ad humilem, sibique imparem istius foeminae conditionem, eo quod officinam teneat, et sit Sculptoris filia. Nunquid et Orator ipse non est Sculptor? Sed hanc conditionis disparitatem nullus Testium ausus est affirmare: Omnemque prorsus abigit haesitationem etiam in hac parte praememorata Parochi fides, per quam evincitur paria fuisse utriusque natalia, et aequalem esse utriusque conditionem.

His positis admittenda videbatur oppositio, quae causam praebuit Liti, et per sententiam, quae ab Oratore impugnatur, canonizata fuit; Quia sine justa, et gravi

Cau-

Causa, iniquum foret datam fallere fidem, et ad alias Nuptias convolare, prout Josephus sibi licere contendit, postposita eadem Angela; quae cum prior in tempore fuit; ita etiam debet esse potior in iure, de quo agitur, attenta potissimum defloratione passa, caeterisque facti circumstantiis hucusque enarratis. Caeterum sententia praedicta non cogit Oratorem ad illata damna per Matrimonium reparanda, ut saepe saepius a Sac. Rota fuit resolutum, fieri debere in similibus circumstantiis, ac etiam seclusa copula; Praesertim vero in decis. 376. cor. Ludovisio, ne honor Sponsae praejudicatum remaneat, et commodum reportet Sponsus ex propria fraude: Sed sententia, de qua loquimur, relinquit Oratorem in plena sua libertate vel nubendi cum Angela, vel ducendi vitam caelibem, non secus ac ipsa quoque ducere compellitur illius facto, et culpa.

Addam *in facto* omnes Testes in Processu inductos, etiam ex parte Josephi Rocchi, deponere de honestate vitæ Angelæ Castelpoggi ab eaque excludere notam minus honestæ consuetudinis cum Francisco Sardella. Unicus est Testis, Michael Bonanni, cujus depositio relata est in Summario Josephi, qui Angelæ nomen in discrimen adducit, ejusque amores cum Sardella refert. At contra hunc Testem duo animadvertenda videntur, nimirum quod unicus sit, quodque ipsius Josephi Rocchi servitio sit addictus.

Addam *in jure*, ex *cap.* 1. *et* 2. *de Adult. et Stupr.* Quod deflorans Virginem sub fide Matrimonii sit omnino cogendus cum omnibus pœnis Canonicis ad eam in Uxorem ducendam, etiamsi promissio ex parte viri fuerit ficta, et simulata. Ita post *d. Thomam* 4. *distinct.* 28. *quaest. unic. art.* 2. *num.* 4. decrevit S. Congregatio in *Licien. Sponsalium* 18. *Decembris* 1728., *et* 12. *Martii* 1729. quam sequuta est Rota *in Costantien. Sponsalium* 7. *Junii* 1751. §. 6. *cor. Matthaejo*, *et in Majoricen. Sponsalium* 18. *Aprilis* 1755. §. 3. *coram Stadion.* Neque ab hac obligatione dissolvi virum sub prætextu, quod Puella cum aliis viris inonestam habuerit consuetudinem, nisi afferantur argumenta, quæ hoc crimen pernecesse evincant, respondit Rota

in Majoricen. Sponsalium 2. Julii 1777. §. 12. coram Azedo.

Dubium proponitur

An sit attendenda oppositio in casu etc.

Affirmative, et amplius.

Sess. 21. Cap. 4. de Reform.

REATINA DISMEMBRATIONIS.

Cum *Villae Collis* Incolæ a Paræcia Alabri per plura millia passuum distarent, et ob itineris asperitatem difficilis pateret accessus in Paraeciam ad Sacramenta recipienda, ita ut persæpe evenerit, ut sine Sacramentorum spirituali subsidio Incolæ villæ vitam cum morte commutarent; hinc dismembrationi locum esse censuit Sac. Congregatio die 20. Septembris anni 1817. juxta votum Episcopi, contradicentibus licet Archipresbytero Alabri, duobus Canonicis, et Canonicatuum Patronis, et erigendam esse jussit novam Paraeciam in Ecclesia S. Mariæ Magdalenæ Collis reservato aliquo honoris signo favore Matricis arbitrio Episcopi; non vero deputandum esse Capellanum Curatum, prout volebant, qui dismembrationi renuebant. Congruæ autem novi Parochi providit unione Capellaniæ Laurenti, et assignatione Decimarum, facta tamen prius per populum Collis obligatione in forma juris valida de solvendis Decimis in perpetuum, et constituto fundo pro manutentione Lampadis. Hæc omnia in præfata Congregatione diei 20. Septembris anni 1817 constituta fuere, quin ullus contra hæc reclamaret patefacta resolutione, cujus folium EE PP. reassumere precor, in quo hæ leguntur dubiorum formulæ. *I. An et quomodo sit locus dismembrationi Villae Collis a Paraecia Ecclesiae Alabri, et Electioni novae Paraeciae in Ecclesia S. Mariae Magdalenae Collis seu po-*

potius deputationi Capellani Curati in casu etc. II. An et quomodo sit providendum congruae novi Parochi in Ecclesia Collis, seu potius, et a quo sit solvendum stipendium Capellano Curato in casu etc. = Responsum vero datum est = *Ad I. Affirmative ad primam partem juxta votum Episcopi reservato favore Matricis aliquo honoris signo arbitrio ejusdem Episcopi, negative ad secundam. Ad II. affirmative ad primam partem per unionem Capellaniae Laurenti, et assignationem decimarum, facta tamen prius per populum Collis obligatione in forma juris valida de solvendis decimis in perpetuum, et constituto fundo pro manutentione Lampadis, negative ad secundum.* Claræ Mem. Episcopus Fioravanti illico sategit, ut hæc omnia executioni darentur, et erectionis etiam Bullam addidisset, nisi immatura morte præreptus fuisset. Obligatio nihilominus a populo Collis emissa fuit solvendi decimas Novo Parocho non quidem in perpetuum (ut S. Congregatio præscripserat) sed donec aliter congrua dote provideretur; Fundus quoque assignatus fuit ut ex publico Instrumento in Episcopali Curia stipulato die 5. Junii anni 1818. compertum est.

Hac occasione capta Canonici Concurati Ecclesiæ Matricis, qui dismembrationi sese jam ante resolutionem S. Congregationis opposuerant, coram Vicario Capitulari tum judicialiter, tum extra judicialiter pluries institerunt, ut ne dum in decimarum possessione tritici nimirum, et frumenti Indici manutenerentur, sed curarunt etiam decimas *omnium frugum* colligere, quod prorsus retroactis temporibus inusitatum fuit. Incolæ e contra Collium, cum pauperes sint novum istud onus decimas *omnium frugum* solvendi sibi imponere renuerunt consuetas dumtaxat tritici, et frumenti Indici persolvere parati, non quidem Parocho, et Concuratis Ecclesiæ Matricis Alabri, sed novo Parocho erectæ noviter Paræciæ S. Mariæ Magdalenæ Collium. Vicarius Capitularis provisionale tunc edidit decretum, quo Alabri Concuratos in possessione decimarum manutenendos esse statuit, permittens, ut ex Decimis collectis, et penes probum virum depositis octo rubra dumtaxat Canonicis Concuratis darentur,

tur, quæ 8. Rubra eam equant portionem, quæ ex prædiis colligitur Familiarum Vitelleschi, et Crispolti fruentium jure patronatus Canonicatuum in Matrici Ecclesia erectorum.

Non hic malorum finis. Augusti mense labente quidam Augustinus De Sanctis Instrumento exhibito probavit Capellaniæ *Laurenti* pro novæ Paræciæ dote assignatæ passivum juspatronatus ad propriæ familiæ Clericos pertinere; Dotis igitur complementum novæ Paræciæ dari non potuit. Magis hinc magisque clamat Populus Collium, ut omnes decimæ et etiam quæ a familiis Crispolti, et Vitelleschi persolvuntur, novæ Parochiæ adjudicentur. Interea jurgia inter Incolas Collium, et Matricis Concuratos augentur et præterea dum res perpenditur Collium Incolæ sine Sacramentis decedunt, prout hoc ipso anno non semel evenit.

Non hic amplius locus est quærendi de dismembratione cum eam jam præscripserit S. Congregationis resolutio in primo Dubio. Congruæ in secundo Dubio decretæ supplendum, cum deficiat Capellaniæ Laurenti reditus. Huic suppleri posse dicunt Incolæ Collium si decimæ dumtaxat frumenti indici, et tritici ab omnibus, qui intra limites novæ Paræciæ possident, novo Parocho persolvantur.

Canonici Concurati renuunt ut sibi ea auferatur portio, quæ a Familiis Crispolti, et Vitelleschi suorum Canonicatuum Patronis persolvitur, ut alteri Ecclesiæ, adjudicetur; tenues enim exponunt Canonicatuum præbendas sublatis decimis; concludunt, quod si populi Collium novam Paræciam exoptant, et consuetæ decimæ tritici, et frumenti indici non sufficiunt, novis aliis ex omnibus frugibus suorum prædiorum colligendis suppleant, cum æquum non sit, ut Patroni suorum Canonicatuum reditus minuant, ut alteri Ecclesiæ opem ferant. Quibus Canonicorum sensibus, et Patroni calculum suum adjiciunt. E contra Collium populi dicunt, nullo jure posse Canonicos Alabri percipere decimas ex prædiis familiæ Crispolti, et Vitelleschi, quæ in territorio Novæ Paræciæ sita sunt; cum hæ aliud non sint *nisi pars fructuum ad quam petendam jus competit Eeclesiis Parochialibus*

ra-

ratione ministerii Sacramentorum ex Barbosa *de offic. et pot. Parochi p.* 3. *C.*28. *num.* 2. seu ut ait Rota *decis.* 230. *num.* 6. *part.* 17. *Recentiorum* decimæ sunt *quota frugum , et aliorum licite quaesitorum debita Ministris Ecclesiae ratione administrationis Sacramentorum* ; cum itaque jus percipiendi ex administratione Sacramentorum Parocho proveniat , patet tantundem ei competere , quoadusque Sacramenta administrentur ; hinc si non ipse , sed aliud Parochus sit perpetuo Sacramenta administraturus , liquido apparet , plebem non amplius veteri , sed novo Parocho debere solvere decimas , a quo administrantur Sacramenta ; ac proinde Canonicos Concuratos Alabri non amplius jus habere decimas recipiendi ab iis Familiarum Crispolti , et Viteleschi prædiis , quæ intra limites novæ Paræ iæ sita sunt . Præterea si Canonici Concurati reditus amittunt exonerantur etiam a tot animarum cura . Quod si nimis tenues reditus sunt , eosque augere Patroni recusant , uniri poterunt tres Canonicatus , et duos tantum efformari , præsertim cum sint Massæ communis , et vicissim amplius opus non sit uno Archipresbytero , et duobus Canonicis Concuratis cum sufficere possit Archipresbyter cum unico Concurato . Quæ omnia confirmant ex Trid. quod C. 4. Sess. 21. de Reform. statuit ut *illis Sacerdotibus qui de novo erunt Ecclesiis praeficiendi competens assignetur portio arbitrio Episcopi ex fructibus ad Ecclesiam matricem* QUOMODOCUMQUE *pertinentibus* , et id fieri vult *etiam invitis Rectoribus* .

Vicarius Capitularis qui bullam erectionis efformaverat sed præfatam ob causam eam exequutioni dare non potuit postulat = *ut hoc litis discrimen ex decimis exortum omnimode auferatur, sed cum inter decimas colligendas sint quoque decimae compatronorum Canonicatuum Alabri , hinc si EE. VV. placet pro populorum concordia proponerem , ut decimae quae tam ex tritico, quam ex frumento indico ex agris compatronorum colliguntur huc usque existentibus Canonicis Alabri traderentur . Caeterae vero , quae ex populis Collium colliguntur huic novo Parocho assignarentur (quae quidem essent duodecim rubra tritici , et* 8. *circiter frumenti indici)* =

Reas-

Reassumpto itaque folio *diei* 20. *Septembris anni* 1817. dignentur EE. PP. dirimere dubium, quod proponitur.

An et quomodo sit standum vel recedendum a decisis in II. Dubio sub die 20. Septembris anni 1817. in Casu etc.

In decisis etiam, quoad decimas Patronorum super bonis intra fines novæ Paræciæ existentibus firma remanente perpetuitate hujus oneris quoad omnes, dempta tamen Capellania Laurenti.

Quæ duæ sequuntur Causæ pertinent ad Congregationem diei 19. Septembris proxime præteriti, cujus folium EE. Patres reassumere precor.

Sess. 21 Cap. 7. de Reform.

FERETRANA.

An PP. Servitae teneantur ad solutionem Taxae de qua agitur in Casu etc.

Affirmative.

Sess. 25. Cap. 5. de Reform.

PANORMITANA Legati Missarum.

I. *An, et quomodo sit locus satisfactioni Legati Missae quotidianae, de qua agitur, in Casu etc.*
II. *An sit consulendum SSmo pro condonatione, et absolutione quoad praeteritum, in Casu etc.*

Ad I. Dub. Affirmative ad formam fundationis Antoniæ Passalacqua.

Ad II. Affirmative celebratis Missis mille intra triennium.

RO-

ROMANA.

Sess. 25. Cap. 4. de Reform.

Proposita haec Causa fuit in Congregatione diei 7. Martii proxime elapsi sub hac triplici dubiorum formula: I. *An, et quomodo sit consulendum SSmo pro absolutione in Casu etc.* II. *An, et quomodo sit concedenda venia pro acceptatione haereditatis, et respectiva erectione Capellaniarum in Casu etc.* III. *An sit locus reductioni in Casu etc.* Quibus EE. VV. respondere dignati sunt. *Ad* I. *dubium affirmative facto investimento summae superexiantis ex Capitali scutorum* 674. *demptis scutis* 215., *quatenus erogata fuerint in celebrationem Missarum juxta fundationem Giannini, sin minus cum obligatione celebrandi sumptibus Oratricis pro dicta summa scut.* 215. *tot Missas ad manualem ad formam dictae fundationis attenta compensatione capitalis facienda, ut in sequenti dubio. Ad* II. *affirmative cum onere erigendi tot Capellanias ad taxam perpetuae comprehensis utensilibus, aucto capitali ex fructibus Bimestrium non solutorum. Ad* III. *Provisum in secundo.*

Ut Congregatio Illyricorum EE. VV. mandatis obtemperaret, necesse foret ut scuta 458., quae ex haereditate Giannini supersunt in frugiferi capitalis investimentum impenderet. Verum impossibile omnino est ei hujuscae summae erogatio, ut deinde fiat investimentum, cum rei familiaris angustia ob publicas praeteritorum temporum calamitates summopere prematur, nec non aere alieno gravata existat. Postulat hinc, ut seipsam constituere possit debitricem praefatae summae, et pro hac debitis formis hypotecae vinculo obstringere sua bona, spondetque annuum fructum, qui LL. MM. ad eamdem haereditatem spectantium fructui junctus impendi debeat in totidem Missarum celebrationem juxta Testatoris voluntatem.

Emi Protectoris Vicarius Congregationis vires diligenter refert, et dum laudat Confratrum illorum diligentem administrationem, pandit etiam statum passivum longe superare activum. Plura enim scutorum millia deficiunt, et perdifficile, atque etiam impossi-

sibile videtur, ut annorum lapsu reditus aequiparare possit exitum; Hujusce defectus redituum causa fuit exilium Sacerdotum exterorum ab imperante tunc Gallica potestate decretum, quod evadere minime potuere Illyricae Congregationis Presbyteri, qui durante hostili ea occupatione Laicis viris redituum administrationem concredere coacti sunt. Praeterea universus fere reditus ex domibus promanat, quae tamen cum in angustis locis positae sint nonnisi Pauperibus, atque pro tenui vilique summa locari possunt. Censet ergo laudatus Vicarius Oratricis precibus annuendum cum haec summam scut. 458. neque integre possit, neque ratatim singulis annis, usque ad totalem extinctionem persolvere. Ad fructum autem transit qui licet nunc constituatur septem, vel octo scutorum pro quolibet centenario attamen mitiorem constitui putat, loco pio magis dignum, ejusque paupertati consentaneum.

Constans, et perpetua est Sacrae Congregationis praxis, ut scilicet ad investimentum teneatur, qui summam ad hoc destinatam consumpsit, ut *in Trojana* 21. *Aprilis* 1742., et aliis omissis in *Polycastren. Reductionis, et absolutionis* 9. *Augusti* 1817. ad primum dubium, et quatenus ad hoc impotens sit tempus prefinire solet, quo labente redintegratio fieri possit. Hoc tempus valde remotum, et difficile putat Illyricae Congregationis R. Vicarius, et ideo putat concedendum, ut Congregatio sua bona generice hypotecare possit pro summa scutor. 458., et seipsam debitricem persoluto fructu constituere quibus utrum annuendum sit EE. VV. judicabunt. Animadvertant tamen hypotecam alienationis speciem esse. Alienatio autem facilius conceditur si adsit legittima, ac necessaria Causa, et Ecclesiae utilitas *ex Canone sine exceptione* 12. *q.* 2. quae tamen utilitas debet esse manifesta, ut scilicet Ecclesiae conditio patenter melior fiat, non autem simpliciter, ut Ecclesia non damnificetur, cum requiratur lucrum de tempore alienationis. Haec quae stricte de alienatione sancita sunt a S. Canonibus videant EE. PP. utrum etiam hypotecae praesertim *generali*, qualis in praesenti Casu est, conveniant, cum hypoteca generalis bono-

norum Ecclesiae pro ejusdem utilitate adeo faciliter concedatur, ut eam a Praelatis fieri posse etiam sine juris solemnitate, si sit Ecclesiae utilis, censeant multi doctores, *ut Abbas in C. nulli s. de rebus Eccl. non alien. Joan. And. num.* 1. *Covarruv. Variar. Resol. c.* 16. *num.* 7. *Molina disp.* 466. *n.* 1. *Layman lib.* 3. *Tract.* 4. *cap.* 10. *n.* 2. Animadvertendum tamen est id, quod de generali hypotecha in novissimo Motu proprio SSm̃i sancitur.

Quod si censeant EE. PP. annuendum esse Oratricis precibus fructum etiam, et in qua summa sit persolvendum statuere debebunt. Licet enim pecunia per se sterilis sit, adeoque pro ea nihil debeatur, attamen in hoc casu agitur de pecunia, quae in frugiferi capitis investimentum est eroganda, hinc nisi hujusmodi fiat investimentum adest *Lucrum Cessans*, qua interveniente Causa licet pecuniae fructus persolvere, ut comuniter tradunt doctores post Text. *in c. quoniam* 14. *quaest.* 5.

Hisce perspectis Vestrum erit decernere.

Dubium.

An, et quomodo sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc.

Dilata ad proximam.

OVETEN. IRREGULARITATIS. *Sess.* 14. *Cap.* 7. *De Reform.*

Precibus Cajetani Alvarez in folio diei 20. Julii relatis proxime elapsi, quibus dispensationem postulabat ab Irregularitate contracta ob transfugam militem morti Populo clamante damnatum respondere dignati sunt EE. PP. in sequenti Congregatione diei 11. Julii - *Dilata, et scribatur Episcopo pro nova infor-*

matione, et referat de aetate Oratoris, ejusque idoneitate praesertim quoad scientiam, nec non de Ecclesiae utilitate, et necessitate - Vestris mandatis obtemperans Episcopus illud primum observandum Vobis offert - *non omnino liberum, ac voluntarium homicidium, de quo agitur dici posse attentis temporum, et locorum circumstantiis: Cum enim tunc fidelis Populus plus a transfugis, ac proditoribus timeret, quam ab ipsismet inimicis, si Orator remisisset, vel prohibere voluisset, quatenus transfuga, de quo mentio fit, morti mandaretur, forte Populus ad milites ipsum ducem veluti proditorem traducerent, ac trucidarent, prout illis calamitosis temporibus, non semel factum vidimus cum Ducibus Exercituum etiam superioris ordinis: Proinde cum Orator mitissimo sit animo, ut omnes testantur consensum praebuisse videtur invitus, et quasi coactus, ut infelix ille morte plecteretur ob praedictas temporum circumstantias, et in Patriae defensionem, quae tot mala a transfugis patiebatur: His positis S. Concilii Congregationi notum facio Oratorem in trigesimo primo aetatis suae anno versari; sufficienti scientiae gradu ad S. Ordines non carere (pro quibus tamen postea diligenti erit examine probandus) Ecclesiae necessitatem in summo consistere, ac de Oratoris promotione ad Clericalem statum non mediocrem utilitatem reportaturam. Dignum propterea judico, ut a S. Congregatione SSmo de dispensatione consulatur, eique misericorditer provideatur* -.

Videant EE. PP. utrum ob novam hanc Episcopi Informationem in qua novae emergunt circumstantiae vere *voluntarium* dici possit homicidium; Cum Orator sua plena libertate haud utens morti damnaverit, seu potius sese non opposuerit ex mortis sibi infligendae metu, populo, qui transfugae supplicium magis magisque clamabat. Quod si censuerint Oratorem ex reliquis requisitis dignum ascensu ad Sacros Ordines, decernere debebunt etiam modum absolutionis ab Irregularitate.

Fo-

Folium itaque diei 20. Junii labentis hujusce anni EE. VV. reassumere precor, ut respondere possint sequenti dubio.

An et quomodo sit consulendum SSmo pro dispensatione ab Irregularitate in Casu etc.

Affirmative peractis Exercitiis Spiritualibus in domo religiosa, et pro tempore arbitrio Episcopi designandis per Breve.

REATINA UNIONIS BENEFICIORUM QUOAD PARAECIAM S. FLAVIANI. Duodecim in Ecclesia Parochiali S. Flaviani oppidi Capitignani Reatinæ Diœcesis, et in Neapolitana ditione positi extant Beneficia, de quorum erectione, et vera qualitate nihil statui certo potest. Licet enim *Canonicatuum* nomine apellentur; nihil tamen de residentia, et adnexis oneribus statuere certo potuere in Sacris Visitationibus Defuncti Episcopi tum Marini, tum Fioravanti; quin imo tamquam simplicia a Sede Apostolica, et Ordinario Reatino pro mensium viversitate collata reperiuntur. Unicum dumtaxat Divinæ Psalmodiæ vestigium remansit, quæ festivis diebus a Parocho, et Sacerdotibus Capitignani commorantibus canitur, pro quo servitio Massa extat scutorum duodecim inter præsentes distribuenda, cum distinctione pro Paroc o assignationis duarum portionum. *Sess. 24. Cap. 13 de Reform.*

In præterita rerum publicarum eversione Laica tunc dominans in Neapolitana ditione potestas fisco addixit, quæ ex iis vacabant beneficia, legemque addidit, ut uniuscujusque Parochi cogrua annua scuta centumviginti pertingere deberet. Factum hinc est, ut ad propriæ congruæ Parochialis tenuitatem subveniendam duo ex Laudatis Beneficiis sibi uniri postulaverit Dominicus Cavalli Parochus Oppidi Pelliscriptæ ejusdem diœcesis, cujus

 se-

secutus est exemplum Hieronymus DeAndreis Parochus Capitignani, qui tria ex iis obtinuit. Præterea Dominicus Cavalli a Fisco accepit, et aliud beneficium S. Mariæ Gratiarum in loco Maranæ erectum, et aliud Hieronymus DeAndreis sub titulo S. Pauli ad Nurum fundatum in Ecclesia S. Petri Oppidi Sivignani ejusdem Diœcesis. Uterque Parochus Sacram adiit pacatis rebus Congrgationem, ut Apostolicum auctoritate firmarentur illegittimæ hujusmodi uniones. De Parocho Cavalli, qui elapso anno diem obiit supremum, nedum inferius, sed et in sequenti causa redibit sermo: Nunc ergo de Parocho DeAndreis.

Ut tuta ipse conscientia Beneficiorum hujusmodi reditus percipere posset illico non obstante temporum illorum adversitate curavit Aps.olium Indultum quod voce tantum obtentum fuisse ostendit quædam ejus Agentis epistola Episcopo deinceps ab Oratore exhibita, in qua tum concessa facultas legitur, tum adiecta omnium onerum satisfactio, unusque ad S. Sedem recursus præscribitur mutatis circumstantiis pro confimatione concessionis. Novus hic recursus impeditus fuit ab ea tempestate, quæ in Neapolitana, et Romana ditione excitata est anno 1814 quæ tamen Deo favente illico sedata est. Pacatis itaque rebus nedum petiit obtenti Indulti confimationem; sed ut et alia Duo beneficia S. Flaviani a Laica *Demaniali* potestate Dominico Cavalli adscripta canonice unirentur suæ Parœciæ, quæ octingentis conflantur animabus; exiguam probans Parochialem congruam, quæ est scutorum 55. et obul. 45. detractis oneribus, adeo ut impar sit ad Coadjutoris onus ferendum. Resignare autem paratus est enunciatum beneficium, S. Pauli ad Nurum.

Agitur in I. Dub. An, et quomodo sit concedenda unio et quibus Beneficiis augenda sit congrua Parochialis. Sane a *Cap. Nuper de his, quae fiunt a Prelatis, Clem. Si una*, 2. *de reb. Eccl. non alienan. et a Concilio Tridentino sess.* 7. *cap.* 6. *de Ref.* vetantur uniones beneficiorum absque legittima, et rationabili causa. Verum rationabilis, et legittima causa ab eodem Tridentino *Sess.* 24. *cap.* 13. *de Reform.* habetur tenuitas congruæ Parochialis, cui succurri vult beneficiorum unione. Paræcia Capitignani octingentas enumerat fide-

delium animas, quibus omnibus opem se ferre non posse ait Archipresbyter, et confirmare videtur Episcopus. Teneretur ergo Parochus Coadjutorem sibi sumere, eique idoneam substentationem præbere, quod certe non patitur Parochialis congruæ angustia. Reditus enim Paræciæ licet summam conflent scutorum 90., attamen si pro oneribus vectigalium, Procurationis Synodaticæ, taxæ pro Seminario, Cathedratici, et Missarum scuta 34. et obul. 55. demantur pro Parocho libera vix remanent scutata 55, et obul. 45., ut testatur Episcopus. Obstare quidem posset unioni ea beneficia *Canonicatus* vocari, nec non enunciata superius officiatura, quæ festis peragitur diebus, quæ certe detrimentum patietur, si beneficiatorum numerus minuatur.

Huic tamen objectioni respondit Episcopus in suo voto, qui dum unionem non reprobat, ejus tempus, et quod Parocho injungendum sit Vobis EE. PP. indicat. „ Et si (inquit ipse) ob petitam unionem Cultus Divinus non minuatur ex eo, quod prædicta Beneficia uti simplicia jam essent ultimis vacationibus collata, tamen non in omnibus putarem assentiendum Oratori Parocho, sed unionem *pro nunc concedendam*, ut bona prædicta serventur *penes Ecclesiam*, sed ipsa cum Lege, ut ipse Orator *teneatur assumere Coadjutorem* in exercitio Curæ . . . . Jurgia vero ne oriantur inter Parochum, et Coadjutorem sapientissimo judicio ab EE. VV. consulendum, quod ex parte forsan obtinebitur, si Coadjutor tantum exerceat munera stricte Parochialia dependenter a Parocho, at non ita ut Parochus possit absolute Coadjutorem privare, sine Ordinarii approbatione, a quo etiam deputatio Coadjutoris videtur confirmanda „. Quæ tamen omnia Sapientiæ, et prudentiæ Vestræ submittit.

Quod si EE. PP. in Episcopi sententiam descendant, unionemque necessariam ducant, tunc statuere debebunt quænam sint Ecclesiæ Parochiali beneficia unienda ad Parochi congruam augendam. Archipresbyter de Andreis dum a resignatione non abhorret præfati beneficii S.Pauli ad Nurum, postulat, ut suæ Paræciæ uniantur nedum tria Beneficia S. Flaviani sibi

sibi a Demanio illegittime concessa, et Apostolico Indulto sanata; sed et alia duo sub eodem titulo S. Flaviani, quæ Archipresbytero Pelliscriptæ Dominico Cavalli ab eadem Laica potestate adscripta fuere. In duplici, quam Episcopus dedit, Informatione refert ex hisce Beneficiis annuatim percipi Frumenti Rubra 14. et mensuras duas; unde constituto pretio scutorum septem pro quoljbet Rubro Frumenti, adjectoque tenui reditu in pecunia numerata, annuus fructus constituitur in scut. 119. Ab hoc tamen reditu cum demenda sint onera Procurationis Synodaticæ, Cathedratici, Taxæ pro Seminario, et quintæ partis totius reditus pro vectigalibus, remanent scuta circiter centum libera, Vestrum nunc erit perpendere, an scuta centum requirantur pro substentatione Coadjutoris Parochi, vel potius minori etiam stipendio satis provisum sit necessitati, et aliquid relaxandum sit Archipresbytero de Andreis, qui resignationem spondet beneficii S. Pauli ad Nurum, quique ex sua congrua detractis oneribus annuatim percipit scuta quinquaginta sex. Licet enim difficile sit generice statuere, quæ congrua exigua, quæque pinguis dici possit cum *temporum conditio* sit potissimum inspicienda, ut colligitur ex *Rota decis.* 374. *num.* 2. *part.* 18. *recen. Decis.* 342. *num.* 1. *coram Emerix*, et ex Sacra Congregatione *in Sabinen. Congruae* 17. *Junii* 1807. Attamen haud difficile suasu erit, tenuem dici posse congruam, quæ nec ad annua Scuta Sexaginta assurgit. Episcopus in ea est Sententia, ut assignentur = Duæ ex tribus partibus totius reditus beneficio-
„ rum unitorum favore Coadjutoris, posteaquam one-
„ ra omnia fuerint soluta; nam unio petitur ob im-
„ possibilitatem Parochi unius curam animarum exercendi; et ita etiam augentur reditus Parochi, onere
„ etiam ambobus imposito divinis interessendi diebus
„ Festivis, uti Parochus nunc tenetur. Videtur ta-
„ men injungendam esse Parocho dimissionem alte-
„ rius Beneficii sub titulo S. Pauli ad Nurum, cujus
„ reditus sunt Rubri unius circiter frumenti =. Obstare quidem omnium S. Flaviani beneficiorum unioni posset, duo ex his jam esse penes Ecclesiam Pelliscriptæ ob ipsorum collationem Parocho Cavalli factam,

ctam , quam quidem collationem præcessit Informa-
tio Vicarii Generalis Diœcesis Reatinæ . Verum enim
vero hæc unio peracta fuit a Laica potestate nulla le-
gittima fulcita auctoritate , quæ nudam dumtaxat , et
simplicem Informationem de tenuitate congruæ Paro-
chiæ Pelliscriptæ requisivit ; nulla autem adfuit vel
Vicarii Generalis , vel alterius legittimæ auctoritatis
Ecclesiasticæ quoad unionem consensus , sicut idem
Vicarius in folio ab Episcopo petito testatur .

Utrum et quomodo sit concedenda absolutio respicit
II. Dubium . Archipresbyter De Andreis sollicitus fuit
de Apostolico indulto obtinendo , quo illegittima pe-
racta unio sanaretur , fructusque beneficiorum ab-
sque ullo suæ conscientiæ discrimine percipere pos-
set . Ejus in Urbe Procurator Indultum obtentum
fuisse respondit , non quidem scripto , sed voce dum-
taxat , sub hac formula = *Pro gratia adimpletis oneri-
bus Missarum si quae sint , et aliis oneribus Beneficii
adnexis* = adjectaque fuit conditio novi ad S. Sedem
recursus mutatis illorum temporum circumstantiis .
Hujusmodi Agentis Epistolam , in qua hæc omnia
continentur , se inspexisse testatur Episcopus . Verum
quia nulla authentica forma munitum fuit Indultum ,
et dubitari forsan posset de asserta concessione , vi-
deant EE. utrum ad cauthelam saltem sit conceden-
da absolutio .

Dubia igitur erunt .

*I. An , quomodo , et quae Beneficia sint unienda Pa-
raeciae S. Flaviani in casu etc.*

*II. An , et quomodo sit concedenda absolutio in ca-
su etc.*

Non proposita cum sequen.

REA-

REATINA UNIONIS BENEFICIORUM.

Sess. 24. *Cap.* 13. *de Reform.*

Petiit a S. Congregatione Parochus Pelliscriptæ Dominicus Cavalli, antequam è vita migraret, unionem suæ Paræciæ nedum beneficii S. Mariæ Gratiarum loci Marani, sed et duorum Beneficiorum sub titulo S. Flaviani existentium in Parochiali Ecclesia sub ejusdem invocatione oppidi Capitignani. Hæc Beneficia sibi a *demanio* adscripta usque ab anno 1812. retinuisse Vobis in præcedenti Causa narravi absque ullo Ecclesiasticæ auctoritatis assensu tum quoad actum unionis, tum quoad fructuum perceptionem, quia hæc omnia præcessit simplex Vicarii Generalis Informatio a *Cultuum*, ut vocabatur, *Ministro* Neapolitanæ ditionis requisita dumtaxat super reditibus Paræciæ Pelliscriptæ. Parochi De Andreis, qui ab eo usque anno sollicitus fuit de Apostolico Indulto obtinendo, exempla sequutus non est Parochus Cavalli, qui non prius quam post compositas res publicas illud postulavit.

Non hæc solummodo illegittime retinuit simplicia beneficia, sed et alterum sub titulo S. Antonii Patavini in suamet Parochiali Pelliscriptæ Ecclesia erecti, cujus reditus ipse computat ad scut. undecim et obul. 93. ob onus celebrationis 60. Missarum ad rationem obul. 16., et ob vectigalia scut. 2. ob. 33. At Episcopus ait ex publici Castatri copiis reditus beneficii, immunes a vectigalibus ascendere ad scut. 22. a quibus tamen demenda est celebratio 60. Missarum. Huic flagitanti, quo jure ipse beneficium istud retineret, respondit Parochus de auctoritate prædefuncti Episcopi Marini. Fraude postea detecta contiteri coactus est, collationem nunquam habuisse, sed tantum voce ipsi permissam fuisse retentionem a præfato Episcopo Marini, nec ullam Populi nominationem, cui jus præsentandi competit, apud acta curiæ Episcopalis exhibuisse.

Quæritur primum, an beneficiorum unio sit concedenda. Postulabat Parochus Cavalli ut suæ Paræciæ Pelliscriptæ canonice unirentur tum duo beneficia S. Flaviani fundata in Ecclesia Parochiali sub ejusdem Sancti invocatione oppidi Capitignani, tum alte-

terum S. Mariæ Gratiarum. Nulla est peracta unio a Laica potestate, quæ præterea in præsenti Causa nullo Apostolico Beneplacito deinceps sanata est. Prima siquidem solemnitas ad validitatem unionis est Legittima uniendi potestas, qua deficiente unio nulla est. Nihilominus conscientiæ stimulis agitatus sanationem petebat Parochus restitutis rebus dum adhuc vita frueretur. Quæ causæ ad uniones beneficiorum perficiendas requirantur in superiori causa retuli, ac proinde ne actum agere videar ab iis me consulto abstineo. Tota ergo res ad factum reducitur. Paræcia Pelliscriptæ 150. complectitur capita; reditus a Parocho computantur in scutatis 27. circiter, et onera in scut. 21., at Episcopus refert ex *Calustro* reditus Paræciæ liberos a vectigalibus esse circiter scut. 40. quibus addenda sunt incerta stolæ. Videant EE. Patres an adeo tenuis sit hæc congrua, ita ut per Beneficiorum unionem sit augenda, juxta SS. Concilii Tridentini Sanctionem, de qua in superiori causa.

Si affirmativa arrideat sententia quærendum erit quænam Beneficia sint unienda, nimirum an omnia, quæ ab illegitima authoritate postulavit, recepitque Parochus, an unum, alterumque dumtaxat. Episcopus in votis erat, ut duo Beneficia sub titulo S. Flavieni unirentur pro nunc Paræciæ Capitignani, in qua fundata sunt, ut illius oppidi Parochus Sacerdotem adjutorem sibi sumere possit, ut in superiori causa memini, Beneficium vero S. Mariæ gratiarum in loco Maranæ erectum Paræciæ Pelliscriptæ pro *nunc* uniretur, itaut non penes Parochum, sed Ecclesiam remaneat. Reditus beneficii hujus est scut. 5., et obul. 47. a quo pro vectigalibus demendum est scutum unum cum obulis 4.

Restat, ut EE. Patres decernant, quid agendum sit quoad alterum beneficium S. Antonii Patavini in eadem Parochiali Ecclesia Pelliscriptæ erecti cujus nominatio competit populo; utrum nimirum debeat in suo veteri statu remanere, et præsentatio fieri a populo debeat Paræciæ, cum ejus tenuitati subveniri plene non possit unione beneficii S. Mariæ Gratiarum. In hoc casu exquirendus videtur consensus populi tamquam

quam *patroni ex Conc. Trid. Sess.* 24. *C.* 15. *de Reform.* quia durante unione cessat jus præsentandi ad trad. per *Garciam de re benef. part.* 12. *cap. n.* 202. *et seqq.*

Dubium erit

An, et quae beneficia unienda sint Paraeciae Pelliscriptae in casu etc.

INDEX
RESOLUTIONUM

Quae prodierunt in Causis in S. Congreg. Concilii anno 1818. propositis.

A

B

C

E

L

nium bonorum cujuscumque generis, et speciei persolvendum esse ab Archiconfraternitate Pistorum Urbis haerede instituta rubrum frumenti a Fabritio Liberati Patribus Eeremitis relictum definivit S. Congregatio in annuis scutis decem quoad futurum; pro praeteritis vero annis (a quibus excepit quinquennium Invasionis, quo et PP. de Poenitentia a Gallicis copiis e Claustro ejecti, ac LL. MM. persoluta non fuere) praestanda esse scuta sexaginta in *Romana Legati* 8. *Augusti ad I. Dub.*

Eidemque Archiconfraternitati decrementum Locorum Montium proponenti per modum exceptionis, ut Legatorum reductionem, ac praesertim praefati Rubri frumenti consequeretur quoad hoc Legatum reductionem denegavit Sacra Congregatio, quoad alia respondit, ut videretur particulariter. *Ibid. ad II. Dub.*

Vide *Reductio*.

Legatum de celebratione Missarum anno 1711. ab Antonia Passalacqua assignata dote annuarum unciarum 20. sicularum institutum, atque adimpletum ad annum usque 1803., Sacra Congregatio adimplendum esse a Petro Piaggia, qui illis libere frui posse autumabat ex praecedenti fideicommisso ad quod jure proprio vocabatur definivit, tum quia non satis constabat quale fuerit hujusmodi fideicommissum; ac vicissim Antonia dotem Legati constituerit ex propriis pecuniis, tum quia saeculi prope spatio religiose exequutioni demandatum fuit in *Panormitana Legati Missarum* 19. *Decembris ad I. Dub.*

Longissimi temporis *Locationem* a Thoma Ermelia Parocho *Ceri* peractam sine Apostolico Beneplacito favore Bernardini, et Andreae Salvi, eorumque haeredum, ac successorum pro annua pensione scutorum quinque, in qua evidens Ecclesiae non aderat utilitas, sed ejus gravis laesio, reprobavit Sacra Congregatio, et locum non esse censuit concessioni Beneplaciti Apostolici in *Portuen. Affictus* 21. *Februarii ad I. Dub.*

Vide *Beneplacitum*, *Conductor*, *Damnum*.

M

Ob mutuum Conjugum quoad dissolutionem consensum, ac Sponsae internum dissensum de ineundo *Matrimonio*, irreconciliabilem animorum alienationem, et scandala, quae deinceps oriri possent, consulendum esse SSmo censuit Sacra Congregatio super *Matrimonio* rato, et non consumato inito die 1. Junii 1805. a Laurentia Grande cum Benedicto Cotilla in *Aurien. Dispensationis* 19. *Decembris.*

Canonicos Collegiatae Castri Franchi omnibus diebus Choralis Officiaturae ad applicationem *Missae Conventualis* pro Benefactoribus ad formam Constitutionis Sa: Mem: Benedicti XIV. *Cum semper oblatas* teneri non obstante praebendarum tenuitate, ac varietate, nec non consuetudine tercentum annorum ex Constitutionibus Capitularibus derivante, in quibus unusquisque pro suo Canonicatu applicare jubetur, respondit Sacra Congregatio in *S. Miniatis Visitationis SS. Liminum* 7. *Martii ad I. Dub.*

Antequam definiret Sacra Congre-

cto Ordini adnexis postulanti, cum deficeret coactio *directa*, *et absoluta*, Sacra Congregatio respondit ad primum dubium constare de validitate tum Ordinis, tum Voti Continentiae, aliorumque onerum adnexorum. In *Aversana Subdiaconatus* 21. *Februarii ad I. Dub.*

Cum vero nulla adesset rationabilis causa, SSmo consulendum esse negavit pro dispensatione a Voto continentiae Sacro *Ordini* adnexo. *Ibid. ad II. Dub.*

P

Ob locorum distantiam, et Viarum difficultatem, quae sine magno incommodo superari non poterat, et ad tollendas rixas inter Populum Oppidi *Pennae* Vintimilensis Dioecesis, et Pagorum *Olivetta*, *Bossarè*, *Cianti*, *Migrane*, *Torre*, *S. Michele*, *Ginestra*, *Rivoira* dismembrationi a Paraecia S. Marci Oppidi Pennae, et erectioni novae Paraeciae in Ecclesia S. Antonii Olivettae locum esse censuit Sacra Congregatio, jussitque, ut constitueretur prius in forma juris valida a Parochianis octo Pagorum congrua scutorum centum comprehensis Decimis, et reservato aliquo honoris signo favore Matricis arbitrio Ordinarii in *Vintimilien. Dismembrationis* 8. *Augusti ad I. Dub.*

Ac proinde locum non esse deputationi Capellani Curati prout, et Vicarius Capitularis suadebat, et Parochus S. Marci contendebat, qui libellas 150. Januenses, quas huc usque praestiterat, Capellano Olivettae solvere non recusabat. *Ibid. ad II. Dub.*

Ab Incolis autem octo pagorum solvendas esse decimas Capellano S. Antonii Olivettae usque ad erectionem novae Paraeciae; deinde favore novi Parochi ut in I. Dubio, ac auferendam esse statuit praestationem libellarum 150. a Parocho Pinnae hucusque factam. *Ibid. ad III. Dub.*

Ad coadjuvandum Archipresbyterum in cura animarum teneri definivit Sacra Congregatio Possessores Canonicatus S. Pii V. ab eodem S. Pontifice erecti in Cathedrali Comaclensi assignatione quartae partis fructuum Archipresbyteralium, ut cum *Parocho*, seu Archipresbytero eidem Cathedrali deservirent, ac adnexa onera supportarent juxta providam ordinationem ab Episcopo faciendam, cumque an, et qualis fuerit haec Ordinatio ignoraretur, adeoque recusarent illi praefatum Archipresbyterum coadjuvare in cura animarum Sacra Congregatio, dum definivit eos ad hoc onus teneri, voluit, ut omnino fieret ab Episcopo provida ordinatio in *Comaclen* 11. *Julii.*

Ad solvendam taxam per aes et libram auctorante Episcopo tamquam Sedis Apostolicae Delegato impositam a Moderatoribus Reipublicae S. Marini pro reparanda Ecclesia *Parochiali* Domagnani Patres Servitas; licet non Coenobium, sed tantum fundum sequioris tamen erectionis intra fines praefataeParaeciae quavis colonica domo destitutum possident, teneri declaravit Sacra Congregatio, cum exempti quoque, et exteri ratione bonorum ad eam taxam teneantur, in *Feretrana* 19. *Decembris.*

Parochum ruralis, ac filialis Ec-

R

S. Augustini inter Testamenti onera minime scripta; reliquum vero, quod deerat, ex annuo emolumento a Testatore Exactori relicto demendum esse statuit in *Romana Reductionis* 2. *Maii ad I. Dub.*

Ac proinde non esse locum scutorum quinque *Reductioni* octo puellis quolibet anno dotatis pro vestibus vulgo *Roversi* persolvendorum decrevit. *Ibid. ad II. Dub.*

Reductionem, quoad Legatum Rhemigii Romani de accendenda Lampade quotidiana ante Altare S. Mariae Virginis Septem Dolorum in Ecclesiae S. Marcelli Urbis favore Patrum Servitarum, quam denegaverat Sacra Congregatio, et juri suo eis uti concesserat contra quos, et prout de jure *die* 11. *Aprilis anni* 1807. ad effugiendas incertas et sumptuosas lites praevio recessu a decisis concessit ad ratam reddituum Locorum Montium; injuxit tamen, ut scriberetur in tabella in *Romana Reductionis* 11. *Julii.*

Sacerdoti Philippo Genovesi eleemosynae Legati Missarum a fundatrice Catharina Punzi statuate in granis viginti *Reductionem* ad minorem cum facultate ejus, quod supererat, sibi retinendi postulanti in praemium maximarum curarum, quas adhibuit, ut pia testatricis voluntas adimpleretur, denegavit Sacra Congregatio, quia isthaec necessaria, et utilis causa non erat ad commutandam Catharinae voluntatem, et quia haec annuum emolumentum ab omni onere liberum reliquit Oratori, aliisque sui Legati exequutoribus in *Caven.* 2. *Maii ad V. Dub.*

Reductionem plurium onerum Missarum, quibus gravabatur haereditas Gibboni, petitam ob diminutionem reddituum denegavit Sacra Congregatio, tum quia illa diminutio non omnino inculpabilis videbatur, tum quia extantes adhuc redditus pares erant adimplendis oneribus in *Lunen. Sarzanen.* 20. *Junii ad III. Dub.*

Non esse locum *Reductioni* Legati Capellaniae a Plautilla Bossi institutae, quam ob Locorum Montium decrementum postulabat Haeres Xenodochium SSmi Salvatoris ad Sancta Sanctorum, definivit Sacra Congregatio tum quia fundatrix pro adimplemento Legati praeter LL. MM. universa caetera bona obligavit, tum quia haec paria erant ad satisfaciendum Legatum in *Romana Reductionis* 5. *Septembris ad I. Dub.*

Atque ob easdem rationes, et ob acceptationem ex contractu locum non esse dixit Legatorum *Reductioni* a Petro Moretti eidem Xenodochio haeredi instituto impositorum. *Ibidem ad II. Dub.*

Nec non *Reductionem* trium Capellaniarum a Theresia Gambardelli fundatarum licet integras haereditatis vires absorberent denegavit Sacra Congregatio Archiconfraternitati Sacrarum Stigmatum Urbis a Theresia haeredi institutae, quia illarum implementum praelativae reliquit Fundatrix in *Romana Capellaniarum* 5. *Septembris ad I. Dub.*

Eidem autem Archiconfraternitati, cui reliquerat Testatrix tertiam partem reddituum satisfactis Capellaniis, postulanti, ut aliquid retineret ex haereditate Gambardelli pro expensis, id concessit Sacra Congregatio ad formam fundationis, satisfactis nempe Capellanis ex superextantibus red-

V

FINIS

INDEX CONCLUSIONUM

Quæ adnotatæ sunt in Foliis Causarum anni 1818.

J U B I L A T I O

J U D E X

JUSPATRONATUS

LEGATUM PIUM

L E X

LITTERAE APOSTOLICAE

L O C A T I O

LOCUS PIUS

MATRIMONIUM

METUS

MISSA

MONS PIETATIS

NOMINATIO

ORDO SACER

PAROCHIA, JURA PAROCHIALIA

PRAEBENDA THEOLOGALIS

PRAESENTATIO

PRIVILEGIUM

RATIHABITIO

REINTEGRATIO

REDUCTIO

REGULAE JURIS

RESIDENTIA

RESIGNATIO

TEXTUS CANONICI

TEXTUS CIVILES

TRANSACTIO

VIGESIMA

VOLUNTAS

UNIO

USURA

FINIS